



**Diui Iustini, philosophi ac martyris Opera non ita pridem
Graece edita, nuper uero? Latine? reddita,**

<https://hdl.handle.net/1874/428911>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**


More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

G. fo.
163



16.

m.

36.9.
Tusting Spring





Incipit malachii id est regum li
ber tertius

D rex dauid senuerat ha
bebat q̄ etatis plurimos
dies. Atq̄ opret vestib
nō calefiat. Dixerūt s̄
seru sui. Querant̄ dno
mō regi adolescentulā v̄gnē et stet
coram rege et foueat eū dormiat q̄
in sinu suo et calefiat dnm̄ meū
regem. Querierūt igit̄ adolescentulā
speciosā in omnibus finib̄ isrl̄ et ue
nerūt abisaḡ sumanite et adduxerūt
ad regem. Erat aut̄ puella pulchra in
mus. Dimicabat q̄ cū rege et minis
trabat ei. Rex vō nō cognouit eam.
Adomas aut̄ filius agad̄ eleuabat̄
dicens. Ego regnabo fecit q̄ sibi crū
et ceteros et quinquaginta viros q̄ ante e
ū currēt nec corripuit eū pat̄ su
us aliquā dicens. Quare hoc fecisti? E
rat aut̄ pulcher valde et ip̄ secundus
natu post absalon. Et sermo ei fuit
cū ioab filio saruie et cū abiachar sa
doce q̄ adiuuabant p̄ces adome. Sa
doch vō sacerdos et banaias filius ioab.
Et nathan p̄pheta et semei. Et sele
thy et robur. p̄teritis dauid nō erit cum
adoma. Immolans s̄ adomas arietib̄ et
virulis et vniuersis pinguib̄ iuxta lapidē
zoelē q̄ erat vicinus fonti rogel vo
cauit vniuersos fr̄es suos filios regis et
om̄es viros iuda seruos regis. Nathan
aut̄ p̄phetam et banaiā et robustos q̄s
et salomonē fr̄em suū nō vocauit.
Dixit q̄ nathan ad bethsabee matrē
salomonis. Nūc audisti q̄ regnauit
adomas filius agad̄ et dñs n̄r da
uid hoc ignorat. Nūc s̄ veni accipe
a me consiliū et salua animā tuā filij
q̄ tui salomonis. Vade et ingrede ad
regem dauid et dic ei. Nonne tu dñe
mi rex unasti in ancille tue dicens.
Salomō regnabit post me filius tu
et ip̄ sedebit in solio meo. Quare s̄
regnabit adomas. Et adhuc ibi te
loquēte cū dauid ego veniam post te
et cōplebo simones tuos. Ingressa ē

itaq̄ bethsabee ad regem i cubiculo
Rex aut̄ senuerat nimis et abisaḡ su
namites ministrabat ei. Inclinauit
q̄ se bethsabee et adorauit regem. Ad
quā rex. Quid tibi vis m̄st. Que r̄s
ait. Dñe mi tu unasti p̄ dnm̄ deū
tū ancille tue salomō filius tuus
regnabit post me et ip̄ sedebit i so
lio meo. et ecce nūc adomas regnabit te
dñe mi rex ignorante. Inclinat̄ ho
ues et pinguis queq̄ arietes pluri
mos et vocauit om̄es filios regis.
Abiachar q̄ sacerdotem et ioab p̄ncipē
militie salomonē aut̄ suū tū nō vo
cauit. Venit̄ dñe mi rex in te ocl̄
respiciūt totus isrl̄ ut indices eis
q̄ sedē debeat i solio tuo dñe mi rex
post te. Erat q̄ cū dormiret dñs m̄s
rex cū pat̄e suis erim̄ ego et filius
meus p̄ccores. Adhuc illa loquēte cū
rege nathan p̄pheta venit. Et nūc
uerūt regi dicentes. Adest nathan
p̄pheta. Atq̄ introisset ante cōsp̄m
regis et aduast̄ p̄ncipis in t̄ra. Dicit
nathan. Dñe mi rex tu dixisti ad
omas regnet post me et ip̄ sedeat i so
lithronū meū. Quia descendit hodie et i
molauit boues et pinguis et arietes
plurimos et vocauit vniuersos filios
regis et p̄ncipes exercitus. Abiachar q̄
sacerdos. Et q̄ vniuersis et bibentib̄
coram eo. Dicentib̄. Vniat rex ad
omas me seruū tuū et sadoch sacer
dotem et banaiā filiū ioab et salomo
nē famulū tuū nō vocauerūt. Nū
qd a dno meo rege exiit hoc ver
bū et nō indicasti in seruo tuo qui
sedit̄ sup̄ thronū dñi mei regis
post eū. Et r̄dit rex dauid dicens.
Vocate ad me bethsabee. Que cum
ingressa fuisset coram rege et ste
tisset aut̄ eū unauit rex et ait. Dñi
dñs q̄ eruit animā meā p̄ om̄i au
ditiā. Quia sicut iuravi t̄ p̄ dnm̄ de
ū isrl̄ dicens. Salomō filius tuus
regnabit p̄ me et ip̄ sedebit sup̄
solū meū post me. sic fecisti hodie.
Submisit q̄ bethsabee in t̄ra vlti

Patres Ecclesiae

Folio n°. 163.

~~N. 16. C.~~

N. 56. 9.

8

1

DIVI IVSTINI PHI-
LOSOPHI AC MARTYRIS OPE-
RA NON ITA PRIDEM GRAECE EDITA, NVPER
vero Latinè reddita, interprete Sigismundo Gelenio:
quorum tituli pagina operis initio ob-
uerfa apparent.



EX DONATIONE HUBTI à Bristol

Cum gratia & priuilegio Imperiali in quinquennium.

BASILEAE M D LV.



DIVI IUSTINI PHI

LOSOPHI AC MARTYRIS OPERA

HAEC NOMINE PRIDEM GRAECE EDITA NUPER

EX LATINE REDDITA INTERPRETE SIGISMUNDO GELSENIO

QUORUM TITULI PAGINA OPERIS INITIO OBS

UERTI APPARENT



FR. O. P. R. M.



Gum gratis & privilegio Imperialis in quibusdam

BASILIAE M. D. LV.



NICOLAUS EPISCOPIVS

CANDIDO LECTORI S. D.



TSI nunq̄ nostri huius scripturientis seculi hominum mores mihi placuerint, candide Lector, quo, ut refert Horatius,

Scribimus indocti doctiq̄ poemata passim:
semperq̄ plus p̄deris apud me habuerit, λάθε βιώσας, quàm indignantis Iuuenalis dictum,

Aude aliquid breuibus Gyaris & carcere dignum,

Si uis esse aliquid:

eaq̄ de causa animus fuerit, nunq̄ ullo scripto meam infantiam in uulgus efferre, & quorumlibet subire iudicium. uerum Sigismundi Gelenij, hunc autorem in Latinam linguam conuertere aggressi mors importuna ad scribendum me cōpellit, qui dum in suo instituto occupatus esset, plusq̄ iam dimidia parte absoluisset, lethali est correptus morbo: à quo mēse plus minus tortus superas euasit ad auras, cum suo Iustino, cui transferēdo immortalis est, uitam acturus caelestem ac uerè felicem. Hinc factū est, ut alij cuidam docto uiro, nobis amico, Latinæq̄ ac Græcæ linguæ perpulchrè gnaro, reliquum eius autoris traducendi prouincia fuerit tradita: qui non solum libros postremos fecit Latinos, sed multos etiam locos in prioribus, ubi carmina ex autoribus fuerant allegata, quæ Gelenius ne suæ interpretationis cursum moraretur, trāsilierat, (sed eo animo, ut libro ad finem perducto, dum suam conuersionē priusquam ederetur, recognosceret, eadem opera carmen carmine redderet) suppleuit: sensu tamen magis quàm carmine, etiamsi poeta sit eximius, exhibito: secus quàm noster Sigismundus solebat, semper obseruans ut eodem orationis genere Græca Latio donaret: excellens etiam multis alijs dei donis, maximè autem restituendis utriusq̄ linguæ scriptorū deprauationibus: de quo tanto parcius loquar, quanto id notius est pluribus. De diuo Iustino, Prisci Bacchiij F. Flauia Neapole Syriæ Palestinæ oriundo, philosopho & martyre, non plura cōmodè possunt recenseri, quàm quæ D. Photius in Mille libris, & Hieronymus in Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum, tum Eusebius Pamphili, Nicephorusq̄ Callisti in Historiæ suæ ecclesiasticæ libris referunt, quorum testimonia huic epistolæ subnectere libuit, posthabitis quæ Suidas & Volaterranus, ex prædictis scriptoribus mutuata, de eo tradunt: de quo hoc meum est iudiciū, (si modo mihi de tanto uiro ferre iudiciū licet)

AD LECTOREM.

eum sacrarum literarum fuisse peritissimum: quod præter alia uel ex unico ipsius colloquio cū Tryphone ludæo cōstat, ubi tam ualidis scripturarum testimonijs probat & cōuincit, Iesum Christum seruatorem nostrum, esse uerum illum Messiam, quem adhuc hodie Iudaica gens obstinatè sed frustra expectat: talibusq; eum premit argumentis, ut nisi natiuam eius gentis peruicaciam maluisset imitari, quàm inuictæ cedere ueritati, indubiè Iustino porrexisset herbam, Christumq; fuisset amplexus. Oratorem præterea fuisse, uel inde apparet, quòd Christianis, ne innocentes, ut antè, plecterentur, impunitatē religionis suæ, cū à Senatu Romano, tum ab Ælio Adriano, Antoninoq; Pio Cæss. & Imp. duabus Apologijs, huic operi insertis, impetrauit, quod magna eloquētia affectum esse oportet, nisi malimus id diuino adscribere numini. Cæterum quòd magnus fuerit philosophus, declarat ipsius cognomē, quod assiduo nimirum philosophiæ studio sibi parasse consentaneum est. Quapropter amice Lector, Iustinum huncce, paruum, si chartas numeres, librum: si doctrinam, ingentē, hilari fronte excipe, ex quo uno cum oratoria & philosophiā ueram pietatem ad discere potes: cuius scripta quædam intercidisse, quædam mutilata esse, maxime dolendum est. Vale. Ex bibliographiā

mihī & Frobenio communi, Cal. Aprilis,

Anno salutis hominum,

M D LV.

DE DIVO IUSTINO

EX DIVI PHOTII OPERE,
quod inscribitur, Mille libri.

Lecta est Iustini Martyris apologia pro Christianis, & contra Gentes & Iudæos: itemq; alterum eius opus contra primum & secundum de naturali auscultatione, siue contra speciem & materiam & priuationem, acuti sermones, & uiolenti, & utiles: itemq; contra quintum corpus, & contra æternum motum, quod ratio cinationum acumen peperit Aristoteles: itemq; dubitationum contra religionem summaria solutiones. Est autē homo qui ad philosophiæ cum nostræ tum peregrinæ, summum peruenit, diuitijs scattens eruditionis & historiarum. Sed non fuit ei studium colorandi arte dicendi natiuam philosophiæ suæ pulchritudinem. Itaq; eius libri, cum sint alioquin ualentes & scientia pollentes, non redolent artis condimenta: neq; pellacia & illecebris multos auditorum alliciunt. Conscripsit autem opera quatuor contra Gentes, quorum unum Antonino Pio, & filijs ac senatui dicauit. Alterum item illius successoribus. In tertio de natura dæmonum disseruit. Quartus eius liber item contra Gentes compositus, refutatio inscribitur. Eius sunt & liber de dei monarchia, & qui inscribitur Psaltes, necnon contra Marcionem necessarij libri, & contra omnes hæreses opus utile. Is filius fuit Prisci Bacchi: patriam habuit Neapolim, eam quæ pertinet ad præfecturam Palæstinæ. Romæ uersatus est, & uerbis & uita & habitu philosophans. Cum esset autē ardens religionis amator, aduersarium habuit & uita & religione quendam nomine Crescentem, de eorū genere qui Cynici uocantur, à quo oppugnatus, ut dignum erat totius eius uitæ instituto, etiam insidias composuit. Hanc enim martyrij occasionē adeptus, generosè gaudensq; mortem pro Christo appetijt.

EX HIERONYMI CATALOGO Script. Ecclesiast.

Iustinus philosophus, habitu quoq; philosophorū incedens, de Neapolī urbe Palæstinæ, patre Prisco Bacchio, pro religione Christi plurimū laborauit, intantum ut Antonino quoq; Pio, & filijs eius, & senatui librum cōtra Gentes scriptum daret, ignominiamq; crucis non erubesceret, & aliū librū successoribus eiusdem Antonini, M. Antonino Vero, & L. Aurelio Cōmodo. Extat eius & aliud uolumen contra Gentes, ubi de dæmonum quoq; natura disputat, & quartum aduersus Gentes, cui titulum prenotauit, ελεγχος, sed & aliū de monarchia dei, & aliū librum, quem prenotauit Psalten, & aliū de anima. Dialogus contra Iudæum, quē habuit aduersus Tryphonem principem Iudæorum: sed & contra Marcionem insignia uolumina, quorum Irenæus quoq; in quinto aduersus hæreses libro meminit: & aliū librum contra omnes hæreses, cuius facit mentionē in apologetico, quem dedit Antonino Pio. Hic cum in urbe Roma haberet τὰς σατριὰς, & Crescentem Cynicum, qui multa aduersum Christianos blasphemabat, redargueret, gulosum, & mortis timidum, luxuriæq; & libidinum sectatorem, ad extremū studio eius & insidijs accusatus quod Christianus esset, pro Christo sanguinem fudit.

Iustinus germanus uerae philosophiae amator, denique & in Gentilium eruditione tritus & exercitatus, eiusdem & ipse temporis in Apologia ad Antoninum sic scribens meminit. Non autem absurdum fore putamus, si hoc loco etiam Antinoi recordemur, & eius quod illius nomine etiam nunc faciunt, quem cuncti tanquam deum propter metum colere properant, cum sciunt quis, & unde fuerit. Idem autem Iustinus belli quoque tum contra Iudaeos gesti mentionem faciens, haec adiicit: Nam in bello Iudaico, quod iam gestum est, Barchochebas Iudaicae defectionis dux solos Christianos grauissimis supplicijs, nisi Christum negassent & blasphemassent, puniri iussit. In eodem opere declarans, quomodo non temere, sed cum iudicio relicta Gentili philosophia ad pietatem transierit, haec scribit: Nam ipse ego, quum Platonis dogmatis delectarer, Christianos traduci audirem, & tamen imperterritos ad mortem & omnia ea quae formidabilis putantur cernerem, cogitabam fieri non posse, ut hoc genus hominum maliciae & studio uoluptatum sit obnoxium. Quis enim uoluptatis amans, aut intemperans, aut ingluuium humanarum carnum iucundam ducens, mortem sic complecti poterit, ut concupiscentijs suis priuetur, & non magis uitam hanc semper uiuere, & principes fallere, nec seipsum occidendum prodere conetur? Praeterea & hoc idem Iustinus scribit, quomodo Adrianus literis a Serenio Graniano illustrissimo praeside pro Christianis acceptis, significantibus iniustum esse, quod sine ullo crimine, populi uociferationibus, traditi, absque iudicio occiderentur: rescripisset Minutio Fundano pro consuli Asiae, ac praecipisset, ne quisquam sine crimine & accusatione rationi consona occideretur. Quin & exemplum Epistolae obseruata Romana lingua, sicut potuit, adiecit, cui ista praemisit: Et cum ex epistola maximi & illustrissimi Caesaris Adriani patris uestri a uobis exigere possemus, ut sicut ille praecipere dignatus est, iudicia fiant: hoc tamen non tanquam ab Adriano praecipitum petimus, sed ex eo quod scitis acclamatione populi quae iusta sunt esse petenda.

EX NICEPHORO CALLISTI ECCLESIAST.
Hist. Lib. III. Cap. XXVI.

Hac ipsa aetate Hadriani, Iustinus etiam ex philosophis martyr, inter praecipuos est habitus, germanus & sincerus uere philosophiae amator, & in Graecorum disciplinis egregie exercitatus. Sedenim quis qualis uel fuerit, & quemadmodum a Graecorum erroribus ad germanam philosophiam transierit, commodissimum fuerit ex ipsius uerbis recognoscere. Quum enim aduersus Graecos & Gentiles pro Christianis orationes scripsit, quibus repugnare atque refragari illi non potuerunt: tum Romae, ubi uitam degebat, Antonino Pio Imperatori, & Senatui Romano pro nobis Apologiam exhibuit, ita eam inscribens: Tito Aelio Hadriano Imperatori, Antonino Pio Caesari Augusto, & Verissimo filio Philosopho, & Lucio Philosophi Caesaris natura, & Pij adoptione filio, amatori doctrinae, sacroque Senatui, & populo Romano uniuerso, pro eis qui ex omni hominum genere iniquissime iniuria laborant & affliguntur: Iustinus Priscus Bacchij filius, Flauia noua ciuitate

D. IUSTINI VITA.

tate Syriæ Palestinæ oriundus, orationem atq; deprecationem hanc obtuli. Et in eadem oratione se non temerè, sed iudicio ad Christianam professionem peruenisse, ita refert: Ego quidem, qui Platonicis delectarer disciplinis, quum Christianos calumniosè deferrè audirem, uideremq; eos impuidos interritosq; esse ad mortem, & quæcunq; horrenda mortalibus uidentur: consideràui ipse mecum, fieri omnino non posse, ut illi in flagitijs delicijsq; uiuerent. Quotus enim quisq;, uoluptatis consecrator & libidinosus, quiq; humanarum carniū dapibus delectetur, bono sibi mortem esse putet: ut per eam cupiditatibus delicijsq; suis priuetur: & nō potius illud agat, ut semper hanc uitam uiuat, magistratusq; & leges fallat, nedum seipsum ad eadem offerat. In Apologia ea illud quoq; scribit: Non absurdū uerò fuerit, Antinoi quoq; hic meminisse, qui nō ita pridem decessit, quem omnes ueluti deum per timorem colere sustinuerunt: quum quidem omnes probè sciuerint, & quis fuerit, & unde prouenerit.

EX EODEM CAP. XXXII.

EO tempore adhuc Iustinus, cuius paulo antè fecimus mentionem, enituit. & quum, quos diximus, Principibus aliam etiam pro dogmate nostro defensionem obtulisset, & contra oppugnatores Græcos & Iudæos, in faciem eorum, Christianæ professioni patrocinatus esset, atq; etiam hæreticorum uanam linguæ loquacitatem nocentemq; mentis insaniam Iululentis orationibus retudisset, fidem nostram firmis adamantinisq; propugnans rationibus, abundeq; ueritatem certitudinemq; eius demonstrans, corona martyrii seipsum exornauit. Cui Crescēs quidem philosophus, uita morūq; æmulatione Cynicus, insidias struxit. Quum enim in multis sepe colloquijs & disputationibus Crescentē, quòd pleraq; perperam faceret, falsoq; in professionem nostram criminans inueheretur, Iustinus conuicisset, cum improbis quibusdam qui magistratus gerebant, atq; itidem cum alijs, ille conspiratione contra Iustinū facta, tormentis quamplurimis eum affecit, & postremò gladijs etiam confecit, ueræ prorsus sapientiæ sectatorem. Ita ille ad desideratum sibi Christum transiit. Quæ autem passurus fuerat, ea antea quoque in ea, quam diximus, defensione diuinans prædixit, ad hunc modū scribens: Ego quidem insidias & fustuariū expecto à quopiam, qui alicuius sit nominis, uel ab ipso etiam Crescente insipiente, arrogantia quippe magis quàm sapientiæ amante. Indignus nanq; est, qui philosophus & sapientiæ amator dicatur: propterea quòd publicè de rebus quas ignorat, uidelicet q; Christiani athei prorsusq; sine deo & impij sint, asseuerat, ad gratiam & libidinem eorum qui ab eo sunt in errorē seducti, id faciens. Si enim doctrinam Christi, quā non attigit, reprehendendo proscindit, improbissimus est, idiotis atq; indoctis hominib. multo deterior: qui sæpe de rebus quas ignorant, loqui, & falso testificari supersedent. Sin Christianam professionem didicit, aut amplitudinem eius non intellexit: aut certè intellexit, & ne Christianus esse suspectus fiat, nos criminatur. itaq; longè adhuc est importunior, nihil ingenui & liberalis ingenij habens, utpote inepta & absurda opinione uir, timorib; fordido obnoxius, &c.

DIVI IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS
operum hic contentorum catalogus.

- Ad Zenam & Serenum fratres epistola.
Sermo exhortatorius ad Gentes.
Cum Triphone Iudæo colloquium.
Apologia pro Christianis, ad senatum Romanum.
Apologia altera pro Christianis, ad Ælium Adrianum &
Antoninum Pium Imperatores.
Expositio fidei de recta confessione, siue de sancta & coessentiali trinitate.
Confutatio dogmatum aliquot Aristotelicorum.
Quæstiones Christianæ ad gentiles, & gentiliū responsiones,
earumq; refutationes.
Responsiones ad Orthodoxos, de quibusdam necessarijs quæstionibus.
Quæstiones Græcicæ, siue gentiles, ad Christianos, de incorporeo,
& de deo, deq; resurrectione mortuorum.

IUSTINVS ZENAE ET SERENO FRATRI

BVS. S. D.

SIGISMUNDO GELENIO INTERPRETE.



DE EA QVAE uidetur quibusdam eruditio, cum sit rationis experta inutilisque disciplina, petita è traditionibus hominum, cum Pharisæis uita opinio necque consentientium, in Epistola ad Papam diligentissime disserui. uerum ne uidear reprehensor nimius, utque bene ac feliciter degendi cupidis occasionem salutarem præbeam, quamuis iam antè accurate scripsissem ad Principes mihi uideor, non grauabor tamè uobis quoque scribere, quo cognoscatis instituta quorundam puerilia. prodest enim scire conuersationes à ratione alienas, ne quis improuiso studio in eas incidat. uos certe recte facitis quòd ut boni uiri euadatis adnitimini. sed quoniam his turbatorum temporum motibus ad mundum retrahimini, à quo noster seruator nos auocat, negans se esse ex eo: & ut ueritatis amici simus nobis consulens, expectemusque effectum coelestis potentiae, uoluntatem æterni patris exsequentes, & longe alieni à mundanis rixis ac æmulationibus. nam sibi metipse infestus est quiuis iracundus, & contentio solet in autoris caput recidere: id quod crebris exemplis compertum est, quosdam cum nesciant unde acceperint iniuriam, seipsos diuexare ac rodere. non est igitur moleste resistendum prouocantibus & lassentibus, sed constanter placideque respondendum hoc tantum: Nunquam efficies ut me dimoueas à proposito. Curandum autè ut pacem habeamus cum aduersarijs, nec indulgendum iræ, uel sic sibi blandiendo, ut dicas: Tali sum ingenio, nò possum non irasci: uel sic, ut etiam à solenni communionem precibusque publicis abstinere. nam iuxta naturæ ductum uiuere, est hominis qui nondum credidit: sicut æmulari per inuidiã, est longè à ueritate semoti. Debemus igitur quemuis docere, ingenuè condonatis offensis præteritis, modò ne sit aduersus monita contumax. non desunt certe quidam qui iuxta carnem proficiunt, iracundiæ suæ patrocinantés ex Euangelio, & sententiæ in quam proniores sunt, accommodantes seruatoris nostri oracula: in quorum potestate si esset situm gehennæ quoslibet addicere, totus mundus exhaustus esset eorum
a sæuitia,

læuitia, attamen quantum in ipsis est & condemnant, & ignis fornaces aperiunt, ideo nos non simus talium similes. præterea suas deo uobis, uideatis quas res contemplari cōueniat, & proximis erudiendis tradere: quandoquidem opus est ut quisq; primū apud se retractet quicquid suspectū de falsitate habet, atq; ita demū admoneat alios, donec aut persuadeat, aut erroris ipse coarguatur. aberimus autem à perturbationibus, si primatum non affectauerimus, & alios affectātes eum æquo animo tulerimus, & cesserimus ingerentibus se ad ea ad quæ seruator inuitat neminem. quod si quis nobis occlamet, sileamus: si uictor sibi uidebit, derideamus: ne ob inanem gloriam præsentibus alijs & audientibus, putet se ex æquo contendendo illorum quoq; peruicaciam alere. licebit per me cuius qui male quid asseuerat, cogitet me aut perperā sentire, aut nolle, non audere ue contradicere: modò silendo sim mihi conscius, posse rationem reddere: & tamen qui uidetur reprehensibilis, non dedignetur fratri persuadere: & qui admonet, non iracunde id faciat, sed familiariter. oportet enim ut ambo accommodentur sibi inuicem, & ad pacem contendant pariter: quandoquidem etiam patrem illum uidemus occurrisse pœnitenti filio, & nō expectato aduentu obuiam excepisse huius pœnitentiam: bonitas enim à fide profecta utrumq; placatum conciliat, siquidem & iniurius peccatum agnoscendo flectit amicum: & affectum iniuria pœnitebit, quod aduersus familiarem fuerit commotior. proinde oportet fidelem procul abesse ab omni carnali affectu atq; concupiscentia: alioquin committit in dei templo sacrilegium, uel si libere dicendum est, è seipso deum profligat, ut cuius occalluit conscientia nullam ferentis admonitionem, dum mauult imitari Adamum, & Euæ factum probare, quàm Christo commori. atq; diligenter cauendum est ne uita nostra sit culpabilis, ne ue sermonem nugis impendamus: sed plerunq; taciti, non nisi modeste respondeamus quando usus postulat. cauendum item à malis suspitionibus, aut si incidant examinandæ sunt, patienter compescendo iracundiam: nec inuidendum si quis amari præ nobis cupiat, ac ne in ministeria quidem debemus nos ingerere, quasi seruitutem affectando, & ultro deuorando (ut aiunt) amaritudinem: sed agenda cuncta iuxta rectam fidei regulam. quisquis enim secus fecerit, tantumuis in admiratione fuerit apud ociosos & stupentes ad alienā iactantiam. sciendum igitur, qualia sint ostentatorū studia, qualia ueritatem sectantium & exercentium: ac perinde gubernandū cuiq;

suum nauigium, non fingendo gubernandi peritiam, nec tempe-
 states horrendo, sed expectando quæcūq; pericula. nam mera ca-
 ro sumus, nec boni quicquam in nobis habitat: aduocandus est igitur
 ad nostri curam medicus: sic enim fugato morbo cōtinget sa-
 nitas. Curandum item ut sermone neq; à uulgo nihil differamus,
 neq; nimis p̄fuse abutamur: alter enim ille segnis est & inefficax,
 alter p̄ferret mundana studia. Cibus sumendus non ad uolupta-
 tem, sed ut uiuendo aliquibus simus utiles. quòd si quando nos e-
 gestas apprehēderit, cōtenti simus rebus tenuibus. Vultis audire
 compendio quomodo effugiatis molestias? nullā fortunam asper-
 namini, ita fiet ut neq; ditati cadatis in iactantiam, neq; per egesta-
 tem collabatur uobis animus, dum mens ratione uirtuteq; munita
 eundem semper uultum obtinet. p̄terea credendū est, hunc mun-
 dum alienum esse, & in eo nihil nobis proprium, nisi fidem religio-
 nemq;. proinde nec amicitia terrena quærenda est, nec opulencia,
 qualem stulti homines magnificiunt, placentes sibi ob ampli-
 tudinem patriæ, aut commodorū copiam, quæ ne desideranda quidē
 sunt. non enim sumus ex hoc seculo, nisi cognati huius mundi esse
 uolumus: & ut cōpendio dicam, qui uult feliciter uiuere, nec uide-
 re multa nec audire studeat: & quæ uidet audit ue, dissimulet. hinc
 enim originem habet tranquillitas animi. cæterū qui multis se ne-
 gotijs ingerit, & seipsum lædit & proximum, peccatq; ultrò con-
 tendendo cum eo. ergo quodcūq; negotium incidit, iterum atq;
 iterum dispiciendū est, & tum demum relinquendum, si nec uisio-
 ne nec sectione sit curabile. Loquendum etiam mundanum nihil,
 sed quicquid nos ad uirtutem instruit: quod ni fiat, multam scurri-
 litatem nō effugimus, & cōtentiosis occasionem præbemus. sunt
 enim quidam sic addicti suis opinionibus, ut quantum in ipsis est,
 ex die noctem faciant: & quia in absurda imaginatione occallue-
 runt, non credunt quosdam recte sapere, his in tantum iniqui, ut
 malint mendacibus eorum obtreccationibus credere: nequid dicā
 de his, qui propter malam conscientiam, quod de alijs dicitur, ad
 se trahunt, & quicquid de quouis loquaris, ad se pertinere putant,
 atq; inde ut sit nouas cōfingunt fabulas & tragœdias, cōtenti suas
 suspensiones dicere uel scribere. illos quoq; merito ridēdos iudico,
 qui in angulo cum sodali quopiam componunt librorum capita,
 & orationes ad nihil conducibiles, excitaturas tantum murmura,
 & obambulando se tanquam in scena ostentaturas: quemadmo-
 dum ille qui Orestem agens immani & uasta uoce, terribilis ma-
 gnus que uisus est populo stulto, propter cothurnatos pedes li-

gneos & uentrem facticium, inusitatumque habitum ac personam prodigiosam, eodem modo qui zelum & linguæ libertatem profitentur, ut fiant uoti compotes, contentiose sibi affingunt quamlibet libertatis speciẽ, deuoratis æmulatoribus, nõ aliter quam bacchæ sub pacis prætextu lanceas thyrsis suis inserunt. Hoc quoque cauendum, ne modo hilari uultu prodeamus, modo tetrico, & (si uerum licet dicere) in totum abstinendum ab officio quotidiano diuiso in partes xij. mea quidem sententia, quisquis cum mundo sapit extra rectam regulam, seipse condemnat, sciens sua studia, & in se bellum intestinum agnoscens, nec tamen pacem intra pectus atrahens. Amici honorandi sunt omnes, & reprehensio non exercenda solum, sed & admittenda est. Vini usus tantisper conceditur, dum à lectionibus interquiescimus: qui secus facit, fit uino perditus, & mentem deprauatur, mero calens cõtinue. Dum proximus loquitur, nec uituperandus nec uetandus est, sed sinendus donec silentio pudefactus ipse finem faciat. Consilium quod in commune confert omnibus, per unum proferendum est. Qui peccat, moneri debet, nec tamen publice, nisi hoc postulet eius contumaciã. Mulieres etiam alloquendę sunt seridõ propter uanitatem ingenij, donec enim se facit spectabilem, & sexum prætexit, & indulget otio, fœmina est, & proinde nondum fidelis. quapropter nec insecetemur eas, nec tamen eis blandiamur: sic autem diligamus ut absit periculum. multipliciter enim admittitur uitium, ideo uigilandum, uacando seruatoris eloquijs, ne de quoquam quicquam mali dicamus audiamus ue. affricatur enim menti scabies, ita ut multis malis humoribus repleatur ex aliorum colloquijs, quam obrẽ utilia sola sunt audienda faciendaque, sicut docet Euangeliũ, fugienda uerò quęcunq; mentem supplantant. Quærendum de oraculis diuinis prudenter, si fieri potest, sin minus, saltem uulgari modo. amenti enim roganti de sapientia, hoc ipsum imputatur pro sapientia. qui autẽ sibi uidetur sapere, magna notabitur ignominia. uocat autem spiritus amentem, qui per imperitiã fallitur sensibus, ut amentẽ intelligamus atq; simplicem. Paulus quoque sic scribit: Quis nouit mentem domini daturus ei consilium? ac rursum: Nos autem mentem Christi habemus. Nam qui per incogitantiam secus quàm oportet dicit facit ue, is cũ sibi uideatur prudẽs, fatuus existimabitur: redigendus est autem ad modestiam nõ uerbis tantum, uerũ & operibus, ne simus præstigiatores impostoresque, sed mites non adultores etiam. præterea decet recte institutum hominẽ quietũ ac minime curiosum esse, non iracundum, nõ

tacentem

tacentem contumaciter, cōsiderantem quicquid opus est, an possit eloqui bene, ac tum demum proloquētem. Hymni etiam, Psalmi, odæ laudesq; canantur, at non per contentionem, ut quidam faciunt, quo id alios male habeat, dum taxantur obscure per quædam ænigmata, ne uideantur quæri dissidia, & hac arte cęlari contentionis studia, quo minus accusationi obnoxia fiant. Consilium audiendum est, non dandum tantummodo: & persuaderi oportet ei quem uelis in tuam sententiam traducere. Bene sentiendum de aliorum quoq; prudentia, non usurpando sibi soli intelligentiã: cauendumq; ne plus æquo nobis tribuendo incidamus in periculum. Præceptor non est contēnendus, sed monendus si minus sapiat: quòd si uera docet, parere ei debemus & obsequi: contentiosus enim uir peccatū suum cōduplicat: & cum cedere debeat, uult Cadmæam (ut aiunt) uictoriã uincere. in causa est uanæ gloriæ cupiditas, dum ne erratum fateatur, māuult opinioni suæ quamuis periculosæ acquiescere. Ridiculi enim sunt, qui ut aliquid euincāt, agunt quotidianis clamoribus, quos Eris illa obiecto pomo concitat, ut de rebus mundanis differant. Alij quidā histriones miseri nihil se nescire aiunt, profitentes & fabrilem artē & sutoriam, & in quauis re pollicētes suam industriam: quòd si quis de his nugatoribus dubitet, prosequuntur eum odio. Sunt & illi uane gloriosi, qui proximo benefaciūt ut laudentur ab hominibus. Hi quoq; in magno sunt periculo, qui inuocāt diem Domini: aut enim persuasum habent, euasuros se illud iudiciū, aut proximo debent remittere, ut & ipsis Deus remittat sua peccata, isti uerò ira præcipites malunt astringere suis debitis uincula. Obseruanda est etiam quorundam arrogantia, qui cum deberent moniti sese corrigere, stolidè de responsant: Nō est cur causam dicam te iudice: suspicari de me ut libet. Taceo de his, qui sibi placentes cōsultorem reſciunt fastu mundano turgidi, & in promptu habent illud: Tu me nec seruare potes nec damnare. nec desunt qui tā conscientia quàm bona mente carentes ex alienis peccatis uoluptatem capiunt. improbandi & illi qui offendi se dissimulant, & quamuis modeste loqui conātur, tamen colore, oculis, capitis superciliūrum uē nutu, aut manuum gestu se produnt: impossibile est enim seipsum non accusare. omnis autem fidelis quando se putat haberi ludibrio, malam mentem illusoris ex aduerso pensitat, cuius nouit insolentiam: & ut cōpendio dicam, quisquis seipsum iudicat, ab omni delicto abest plurimum. Ex istis autem clamosis iurgatoribus nemo est sobrius, qui uerò nunc pallet nunc rubet, colorē subinde uarians, chameleontē

refert errantem in æstuosis solitudinibus. Obseruandum est etiam quomodo quidã inter legendũ afficiantur: nam interea mores eorum & sensus deprehenduntur per homines acri iudicio præditos, interdum & uita indicat qualis sit anima: nam per conuersationẽ etiam occulta cognoscuntur. Nec est contendendum cum eo qui dat operã ut quomodocunq; fiat superior, & modo uictor habeatur, ueras rationes negligit. debent autem colloquia fieri cum bona conscientia. Ambulationes corpus exerceant, non proximum circumueniant iniquis negotiationibus. Nec absurdum fuerit comitatẽ diluere opinionem morositatis & nimix sapientiæ. nam & naturæ requisita secessus secretos postulant, in quos quidam simulate se conferunt, ut ibi aduersus aliquem cogitent. quemadmodum autem apud Comicum pater filium luxu perditũ tolerat, & si forte unguetum olfaciat, bene olere negat, ut eius licentiã cohibeat: sic & ego consulo prudentioribus nimis dura disciplina educatis, ut præ se ferant & rerum & sermonum imperitiã. at quis cunq; sapit suo iudicio, non cedit monitis, & repugnando aduersatur consultoribus, cõtentus suis cogitationibus more hominũ infidelium, quapropter præbeamus nos irreprehensibiles, non sola que nobis placent agendo, uerũ & quæ multis, ut salutẽ consequantur. Irascendum, si fieri potest, nunquã. nam hæc est quedã species insanix. quod si quando ira incumbit, utendum est hac ad sanandum proximum. nam qui rationem ei non adhibet, & seipsum & proximum odio prosequitur: se perturbans, & illum afficiens molestia, scriptum est enim, quod quisquis irascitur fratri suo temere, reus erit iudicio. hunc enim motum quiuis mentis compos considerare potest: nonnulli uerò proximos admonendo seipsum condemnant. quod enim quis docet alterum, hoc ipse prior faciat, ne imprudens dum proximum arguit, contra semetipsum ferat sententiam. igitur qui sapit, quoties animaduertit in aliorum peccata, sic apud se loquetur: num forte ego quoq; talis sum? Vinum nec ad ebrietatẽ bibatur quotidie, nec ut aqua requiratur, nam utrũq; Dei creatura est: sed aqua necessaria, uinum autem ad curam corporis. qui uerò lingua impedita micat uelut igneis oculis, & pedibus uacillat impos sensuum, uenenum recepit letiferum: quasi è ferro non falcem faceret aliud ue instrumentum rusticum, sed gladium aut lanceam, in alium usum refingens quod Deus paraauerat. nam uini potor cum debeat hieme bibere ad frigoris remediũ, æstate uerò ad tuendam sanitatem uiscerum, abutitur hoc ad insaniam, & immodicè ingestos feruens more porcorum canumq; gerit

gerit se turpiter, nos autem oportet secus quàm luxuriosos rectè
uti Dei donis, nec ebrietate sitim accersere, sed ne sitiamus potum
capere. nam qui uinum forbillando, uelut febrientes, bibunt,
propediam peribunt per intemperantiam. Fugienda & ligu-
ritio contento paucis ac necessarijs. nam sicut corpus morbidum,
multis uarijs que opus habet remedijs, sic malè affecta anima tan-
tùm non corijs uesci appetit: tum si quis causam quærat, corporis
morbum comminiscitur. talibus respondebimus, non omnium fa-
ctorum quæ nobis probantur rationem reddi facile. quando qui-
dam adulteri quoque & homicidæ ac fugitiui conantur excusare
quæ faciunt: sed qui ueram causam mali rogatus profert, is rem mi-
ram eloquitur. proinde cibo utendum quo minus esuriamus. tali
qui contentus non est, cuperet sibi centum manus, & quinquagin-
ta capita, Geryoni tricipiti seximanoq; inuidens, quòd multis ma-
nibus faucibus que nequeat gulæ cibos suggerere. Nec diuitiæ
laudandæ sunt, nec paupertas uituperanda. nam illæ conflantur
è damnata materia, quæ tandem perit consumiturq; à uermibus,
incendijs, ruinis, tyrannis atque prædonibus: at hæc relictis res-
bus secularibus ueritatem solam inquirit, nec ab ullis tempora-
neis distrahitur. Hæc uobis scribo adhortans ad tranquillita-
tem animi, & ad uirtutis perfectionem uos præparans. nam qui
secus facit, exorbitat à data sibi regula, & ob turbatum ordinem
fit expers præmij, etiamsi ualde adiuuetur à strenuis certatorijs
bus, cibo potu uestitu que accepto, nihilominus corona carebit.
& illi quidem sublimes inuecti intra dilectam ciuitatem patris,
honore sempiterno fruuntur: isti contra propter præsentem ali-
moniam uera uoluptate frustrabuntur. Vxorculæ honoran-
dæ sunt, cautè, ne forte fallamur, conuersandum que cum eis mo-
dice ac sobrie, timendo earum consuetudinis periculum, pro-
pter notam earum inconstantiam, qui semper meminerunt eius
rei ad quam se factas putant. sed ante omnia cauendum ab oc-
cultis earum mundanis studijs, quæ ne ipsæ quidem probant, fa-
ciunt tamen in proximorum perniciem. Sic fit ut non nullæ, quia
non audent propalam fucare faciem, furtiuis artibus id faciant. in
aquam enim aut oleum prospiciendo decernunt, possint ne ad-
uersus pudicitiam bellum gerere. imò & alio modo struunt insi-
dias. implexo enim clàm capillitio, quasi non liceat in propatu-
lo comam curiosius excolere, proximorum barbam mentum que
contrectant summis digitis: interdum etiam capite immoto ocu-
los per totum suum corpus circumferunt, oportet igitur cum

talibus uersari forti animo, & patulos ramos eorum refecare: flectuntur enim deorsum quam primumprehenduntur, & fructus earum absumentur à uulpibus in foueis degentibus. ideo sicut propheta docet, stimulo asinus, scutica equus incitandus est: ut tardus castigetur, & effrenis cohibeatur uerberibus. absit igitur ut simus equi, sicut Hieremias loquitur, insanientes in sceminas, & adhinnientes ad uxorē proximi. est autem soror omnis mulier: diciturq; uxor proximi, hoc est, Iesu Christi seruatoris nostri: quæ propter amorem Dei patrisq; omnium, cui propinquitate iungitur, honorari debet atq; diligi: sicut Paulus dicit: Desponsauit uos omnes uni marito, ut exhibeam Christo castam uirginem. Est & propinqua mulier caro nostra, cui adhinnire non decet. adhinnit autem etiam, qui nondum concupita potitus est, efferuescente cupidine, quamuis non sequatur perpetratio. Oportet autem & pueros attendere, quoniam talium est regnum cœlorum. Nec ægroti negligendi sunt, ut dicamus: Ministrare nō didici. quisquis enim delicias causatur, & quod non assueuerit, sciat se quoq; tractandum similiter: quod ubi acciderit, suapte sententia damnabitur, ea serendo quæ ipse fecit alijs. proinde ne negligentes quidem negligendi sunt. Deus enim est qui iudicat, & quicumq; cupit beneficium accipere, benefaciendo thesaurizet sibi proximi beneficentiam. Pudor autem non conuenit. quocirca nemo nos propter manuum laborem miseros ac inopes existimet. id solummodo cauendum est, ne qui Deum se nosse profitetur, ob malam uiciosamq; uitam fiat reprehensibilis. Dicam paucis: Tristitia mundana mortem operatur in his quos occupat: at quæ iuxta dei uoluntatem contristat, uitæ intellectum parit. Sed ante omnia scire oportet, & morbos imminere nostris corpusculis & damna & egestatem, esseq; ingratos homines in proximo. ideo præmeditari debemus futura, ne postquam uenerint, obstupesciant corda nostra miraculo. nam præmeditatus in tali casu dicturus est, Sciebam te uenturum, non inexpectatus ades, tuum insultum iam antè præfagiebam. ad eum modum si quis se præparauit, subsistet sine ruinae periculo: at ex improviso turbari, uociferari, interdum & lamentari, est mētis ualde miseræ. Itaq; soli uirtuti studendum, & sectandi qui de hac disputant, quod si qui dictis facta non adiungunt, his ualere iussis, commilitones nostros quæramus. nam qui eloquentiæ studet, & quod priuatam uitam agat, nihil boni operatur, nescit se multorū tyrānide oppressum seruire uicijs, & absterrere alios uolentes per rectam uiam incedere. Beatus igitur qui mundum cor habet: nam
hic

hic solus deum uidere potest. Ab inuidia uero & æmulatione fidelis homo procul abesse debet: ac potius precari quotidie, ut & uerbis abundemus & polleamus operibus. membra enim sumus inuicem. quamobrem dolenti condoleamus, laudato gratulemur, uitando alienos à Christi legibus. Hęc uobis fratres dum consulo, reliquos etiam per uos admoneo, ut uoluntatem Dei faciant. Dominus autem gloriæ, qui est in secula, det omnibus uobis cum electis honorem ac requiẽ assequi, cuius gratia sit eũ uobis omnibus.

DIVI IUSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS SERMO AD GENTES EXHORTATORIVS.

SIGISMVNDŌ GELENIO INTERPRETE.



EXHORTATURVS uos uiri, Græci religione, ante omnia Deum precor, ut mihi dicenda suggerat, uobis uero det, ut omiſſa obſtinata peruicacia, erroreꝗ accepto à maioribus, præferatis iam utiliora: ne ue putetis uos illis iniuriam facere, ſi ab eis diſſentiẽdo potiora ſequamini. ſolet enim exactum rerum examen, eas quæ prius placuerant, experimento certiore deprehendere, quod aliter quàm æſtimabatur ſe habeant. ergo quoniam de uero dei cultu dicere propoſuimus, quo nihil habetur præſtantius apud ſecuræ uitæ amatores, futuri poſt hanc iudicij memores: quod nõ ſolum maiores noſtri diuinitus afflati uates legiſtatoresꝗ prædicant, ſed ueſtra etiam exiſtimatione ſapientes tam poetæ quàm philoſophi, profeſſores apud uos rerum diuinarum ſcientiæ: uiſum eſt mihi operæpretium, primùm examinare noſtros ac ueſtros pietatis doctores, qui & quot quibus ue temporibus fuerint: ut homines antea falſo religionis nomine imbuti à ſuis progenitoribus, ſaltem nũc tandem errorem priſtinum ſentiant ac deſerant: nos uero manifeſtis argumentis euincamus eſſe nos ſectatores pietatis maiorum Deo gratiſſimæ. Quos igitur uiri Græci religionis ueſtræ doctores dicitis: poetæ ne: atqui nõ eſt in rem ueſtram, ſi cum poetarum ſtudioſis conſlictemur. ſciunt enim ipſi quàm ridicula ſit eorum theogonia quam uocant, ut liquet ex Homero, antiquiſſimo ſummoꝗ poetarum ueſtratum, nam is primùm ex aqua deos ait habere originem. ſic enim canit:

Oceanusꝗ

Oceanusq; deum genitor, Tethysq; genitrix.

Deinde quid de præcipuo suo dicat, quem & patrem hominumq; deumq; appellat, memorandum est, ait enim:
Iuppiter omnipotens belli mortalibus autor.

Nec solum belli militibus, sed & periurij Troianis, filia sua sequestra dicit autorem, eundem amantem, lamentantem, afflictantem se, & aliorum deorum insidijs impetum introducit, aliubi sic deplorantem suum filium:

Hei mihi, quem ante omnes Sarpedona diligo, fato

Hic Patrocli manibus fertur periturus in arma.

aliubi uero Hectorem in hunc modum:

Eheu: charum ego uirum raptari circum moenia

His oculis uideo, magno cum animi mei dolore.

Quid porro de aliorum deorum contra Iouem cōspiratione dicat, norunt quotquot legerunt uersus hos:

Cum eum uellent alij dī constringere Iuno & Neptunus & Minerva.

& nisi Briareum illum, ut ipsi uocant, formidassent dī beati, uinctus ab eis fuisset Iupiter. Nec silentio prætereundum uideatur, quod de amoribus eius ac libidine memorat. facit enim ipsum his uerbis cum Iunone sua loquentem:

Nunquam enim ullius uel deæ amor, uel foeminæ,

Animum mihi in pectore sic circumfusus domuit:

Nec tum cū amaui Ixioniam uxore, nec cū Danaen Acrisionæ

Filiam, nec cum celebris illius Phœnicis filiam,

Nec cum Semelen, nec cum Alcmenam Thebis,

Nec cum Cererem formosam capillis reginam,

Nec cum gloriosam Latonam, nec cum te ipsam.

Dicendum quid & de reliquis dīs ex eodem poemate Homeri discere liceat, Martem Veneremq; à Diomede uulneratos narrat, & aliorum multorum casus uarios. id enim ex uerbis Dionis filiam consolantis discimus, quæ sic eam alloquitur:

Patere nata mea, & tolera, quamuis ægra.

Multi enim nostrum, qui cœlestes domos habemus, passi sumus

Ab hominibus, dira mala alij alijs inferentes.

Passus est Mars, cum eum Otus durusq; Ephialtes,

Filij Aloeï constrinxerunt duro uinculo.

Cum quidem in ferreo carcere uinctus fuit tredecim menses.

Passa est Iuno, cum eam durus filius Amphitryonis

Secundum dexteram mammam tridente sagitta

Vulneras

Vulneravit, cum quidem eam inuasit dolor insanabilis.

Passus est & Dis immanis celerem sagittam,

Cum eum hic uir, filius Iouis Aegiochi,

In Pylo inter mortuos uulnerans, doloribus affecit.

Ascendit autem in domum Iouis, & magnum olympum,

Corde dolens, doloribus penetratus: sagitta uero

Humero graui affixa erat, animoque ipse cruciabatur.

Quod si & reliquorum deorum pugnas libet cognoscere, audiamus uestrum poetam dicentem:

Tantus strepitus exortus est deorum inter se confligentium.

Nam contra Neptunum regem

Stetit Phoebus Apollo, habens alata tela.

Contra Martem glauca oculos Minerua.

Iunoni restitit auream colum habens clamosa

Diana floribus gaudens, soror Apollinis.

Latonæ restitit Mercurius.

Hæc & huiusmodi alia de dijs Homerus uos docuit, nec is solum, sed & Hesiodus. itaque si præcipuis poetis creditis, qui à prima stirpe deducunt eorum stemmata, alterutrum consequitur, ut eos aut tales esse, aut omnino nullos credatis. Quod si poetarum parum grauis apud uos est autoritas, ut quibus concessum sit comminisci fabulas, & multa de dijs nugari à ueritate alienissima, quos tandem alios habetis pro pietatis doctoribus, & à quo edoctos? non est enim possibile ut tam magnarum diuinarum que rerum notitiam teneat aliquis citra doctoris operam. num sapientes uestros profertis & philosophos? ad hos enim tanquam ad arcem munitissimam soletis confugere, quando poetarum de dijs opiniones refutantur. Ergo quoniam à priscis illis decet incipere, hinc orsus exponam singulorum dogmata, multo magis ridenda quam sit poetarum theologia. Thales Milesius, qui primus rerum naturam scrutari coepit, pronunciauit, aquam esse omnium principium, nam ex ea constare, & in eam rursus dissolui omnia. Hunc secutus Anaximander eius ciuis, ab infinito ait orta omnia, ex hoc enim nata, in hoc ipsum redire post interitum. Tertius Anaximenes, hic quoque Milesius, aerem dicit rerum omnium originem, ab hoc profecta cuncta in hunc redire. Heraclitus Ponticus omnium principium igni tribuit, docens ex hoc orta in hunc finire omnia. Anaxagoras Clazomenius ad homœomerias quasdam refert uniuersorum principia. Archelaus Apollodori filius Atheniensis, aerem infinitum & eius crassiciem raritatemque ait rerum
princi

principium. omnes hi successores Thaletis naturalem tractarunt philosophiã. deinde alterius sectæ autor Pythagoras Mnesarchi filius Samius, arbitratur principium numeros & mensuras & horum concinnitates, elementa quæ ex utrisque composita, præterea unitatem & infinitam dyada. Epicurus Neoclis F. Atheniensis dicit rerum principium esse corpuscula quæ ratione percipiuntur, expertia uacui, ingenita, incorruptilia, quæ nec frangi, nec formari queant è suis partibus, ac ne alterari quidem, & ideo ratione percipi. Empedocles Metonis filius Agrigentinus, mauult id quatuor elementis tribuere, igni, aeri, aquæ, terræque. his addit duas potestates summas, litem & amicitiam, hanc quæ uniat res, illam quæ separet. Videtis igitur quanta confusio sit apud istos uestros sapientes, quos religionis doctores habetis: alius uult ignem esse rerum omnium principium, alius aerem, alius aquam, alius aliud quippiam ex his quæ supra diximus: cum tamē omnes hi conentur probabilibus rationibus opinioniones suas ut bonas adstruere, & has cæteris potiores demonstrare. Hæc sunt eorum placita. Quomodo igitur putatis uiri Greci, salutis cupidos hic posse tuto de religione uera credere, inter quos ipsos parum conuenit dissidentes in suis opinionibus? Dicent fortasse qui pertinaciter retinent errorem ueterem, se non à supradictis, sed à philosophorum celeberrimis absolutissimisque disciplinam religionis accepisse, Platone uidelicet atque Aristotele. hos enim aiunt, scire ueram perfectamque pietatem. ex istis ego libenter scitarer, primum à quibus eos ipsos didicisse credant. non est enim possibile absque ullo doctore tam arduas res uel discere uel alios docere. deinde horum quoque opinioniones examinari æquum censeo. cognoscemus enim an non horum uterque ab altero dissentiat. quod si & hos discordes comperiemus, facile opinor eorum manifestam ignorantiam damnabimus. siquidem Plato, tanquam à superis decidisset, perlustrassetque diligenter omnia cœlestia, summum deum dicit esse in ignea substantia. Aristoteles autem in libro, quo Alexandro Macedoni tradit compendium suæ philosophiæ, aperte oppugnat Platonis opinionem, negans deum esse in ignea substantia, fingensque quintam quandam ætheream & immutabilem essentiam, in qua ille degat, scribit enim sic: Non ut quidam in deum peccantes aiunt, eum esse in ignea substantia. deinde non contentus hoc in Platonem iacto conuicio, Homerum ex eius republica pulsum ut mendacem & à ueritate ad uanas imagines transfugam citat testem de corpore illo æthereo, sic scribens: Certè Homerus etiã ita canit: Iupiter cœlum amplum sortitus est in æthere ac nubilus. Ad eum modum

modum uult graui testimonio suam opinionem approbare, non intelligens, si hoc poeta teste utendum sit, fore ut multæ ipsius opinioniones falsitatis coarguantur. nam Thales Milesius, qui primus apud Græcos philosophari aggressus est, ex huius carmine occasione nactus, negabat opiniones Aristotelicas de principijs. nam cum hic omnium principium dicat deum & materiam, Thales ille citra controuersiam antiquissimus de aqua id asseuerat, ex hac omnia nata prædicat, & in eandem dissolui omnia. id colligit, primum quia genitura, ex qua cuncta oriuntur animalia, est humida. deinde, quia stirpes omnes humore nutritæ fructum ferunt: quod si humiditate destituantur, arescunt continuo. Verum hac sua coniectura non contentus, Homerum testem adducit idoneum, sic canentem:

Oceanus qui origo est omnium.

An non igitur merito Thales ad hunc modum appellabit Aristotelem, Cur Platonis opinioniones oppugnans, ut ueraci assentiris Homero: à nobis uero dissentiens negas poetam ueridicum? unde liquet mirandos illos sapietes uestros ne in alijs quidem rebus consentire, nam cum Plato tria dicat huius uniuersitatis principia, Deum, materiam, speciem, siue ideam: deum factorem omnium: materiam subiectum primæ generationis, quod creandi occasionem præbuerit: & speciem illam rerum singularum exemplarem: Aristoteles speciei nullam mentionem facit inter principia, duo tantum asserens, deum & materiam. Rursum quum Plato in prima summaque cæli sphaera planetis superiore, primum deum cum ideis collocet: Aristoteles post primum illum deum non ideas, sed quædam intelligentiarum numina subiungit: adeo de rebus cælestibus discrepant. itaque scire debemus, ne nostras quidem eos potuisse cognoscere, sed de his quoque discordantes, fidem sibi abrogare cælestia scrutantibus. certe de humana anima eis non conuenire, ex utriusque dictis apparet. nam Plato tripartitam eam ait, partim rationalem, partim irascibilem, partim concupiscibilem: Aristoteles non tam late patentem facit, ut quæ non complectatur partes corruptibiles, sed solam rationalem. Plato clamat, omnem animam esse immortalem: Aristoteles entelechiam eam nominans, non immortalē censet, sed mortalem. ille in perpetuo motu dicit eam esse: hic immobilem ipsam ait motus omnis autorem. Verumtamē in his alter contradicit alteri. quod si quis diligenter seorsim consideret singulos, nec ipsi constanter manent in suis opinionibus. Plato modo tria principia dicit omnium, deum, materiam, speciem: modo quatuor,

b addendo

addendo his uniuersalē animam. Rursum cū prius materiā dixisset ingentā, postea genitā ipsam asserit. & cū prius speciei tribuisset propriū principiū, propriamq; essentiā, dein eam inter cogitata censet, præterea cū prius docuisset, quicquid gignitur interitura esse, mox ait, nonnulla genita fieri posse incorruptibilia & indissolubilia. Quæ igitur est causa, ut nō solū à se inuicē, sed & à seipsis uestri sapiētes dissideant: nimirū quod nolint à sciētibus discere, sed seipsos existimēt humanis suis cogitationibus res cœlestes posse exactè cognoscere, cū tamē ne terrenas quidē pernosse ualeant. certe humanā animā quidā uestrates philosophi aiūt in nobis, quidā circa nos esse. nā ne in hoc quidē consentiunt, sed tanquā ignorantia partiti uariē, malunt etiā de anima inter se contendere. quidā aiunt eā esse ignē, quidā aerem, quidā mentē, quidā motum, quidam exhalationē, nonnulli uim defluentē à sideribus, alij motiū numerū, aquā alij prolificā: in summa, perturbata quædam & dissona inualuit apud eos opinio, uno tantum nomine laudabilis apud sinceros iudices, quod isti uidentur uelle se inuicē erroris atq; falsitatis coarguere. Ergo quādo quidē nihil ueri de religione à uestris doctoribus licet discere, & ex mutuis dissidijs satis apparet eorum ignorantia, reliquū opinor est ut ad nostros maiores reuertamur, etiā ætate multo antiquiores uestris magistris: qui neq; suas imaginationes nobis ingerūt, neq; inter se rixantur, aut conātur alter alterius placita subuertere: sed absq; seditione cōtentioneq; nos docēt quicquid diuinitus acceperunt scientiæ. nā nec naturæ ope, nec humana cogitatiōe, tā magnas ac diuinas res homo potest percipere, sed dono descendēte in sanctos uiros cœlitus: qui nō opus habēt arte differendi, aut cōtentiose disputādi, modò se puros præbeāt operationi diuini spiritus: ut ipsum numē superne descendēs pulset eos tanquā lyrā aut citharā, & cœlestē eis sapientiā reuelat. Quamobrē tanquā uno ore unaq; lingua, de deo, de mūdi creatione, de homine cōdito, de immortalitate humane anime, de futuro post hāc uitā iudicio, deq; omnibus cognitu necessarijs, pariter eodē cōsensu nos docuerūt, idq; in diuersis tēporibus locisq; constituti, cū hāc doctrinam traderent. incipiā igitur à primo apud nos propheta legislatoreq; Mose, bona fide indicato prius quo uixit seculo, ut enim libentius credatis, nō tantum ex sacris historijs nostris uobiscum agam, quibus nondum fidem habetis propter inueteratum errorem hæreditarium, sed & ex uestris, à religione nostrate alienissimis. sic fiet ut sciatis, omnibus uestris sapientibus, poetis, historicis, philosophis, legislatoribus, antiquiorē fuisse nostrum

strum Moſen, primum pietatis doctorem, ut liquet ex Græcorū historijs. Nam temporibus Ogygis & Inachi, quos quidam è ueſtris putant terrigenas, Moſes fuiſſe proditur, autor princepsq̃ Iudaici generis. id enim Polemo narrat in primo libro De rebus Græcorum, & Apion Poſidonij F. in ſuo cōtra Iudeos Commentario, itemq̃ in quarto Historiarū ſcribens, Inacho apud Argiuos regnante, & Amaside apud Ægyptios, Iudæos ab eis deſeciſſe, & Moſis ductu ſeceſſiſſe. Ptolemæus quoque Mendefius in Rebus Ægyptiorum eadem hæc memorat, & cum his Hellanicus Philochorusq̃ in Aethide, qui ſcripſerūt res Athenienſiū. præterea Caſtor, Thallus, Alexander Polyhiſtor, & Philo Joſephusq̃ Iudæorum doctiſſimi, omnes mentionem facientes Moſis, ut priſci antiquiſſimiq̃ Iudææ gētis principis. certe Joſephus antiquitatē ſuæ historię profitetur ipſo titulo ſic: Flauij Joſephi de Antiquitatibus Iudæorū, Archæologiam opus hoc nominans. Diodorus quoq̃ apud uos celeberrimus historicus, bibliothecarū abbreviator, qui ſe ait per xxx. continuos annos luſtrata Europa Aſiaq̃ proprijs pleraq̃ contemplatū oculis, historiærū libros xl. conſcripſit. is in primo refert, ſe accepſiſſe ab Ægyptijs ſacerdotibus, quòd apud priſcos Moſes primus legiſlator fuerit, de quo his ipſis uerbis loquitur: Nam poſt priſca illa inſtituta Ægyptiorum, quæ in deorum heroumq̃ uitis narrāt fabulæ, primus fertur Moſes ſcriptas leges tradidiſſe populo, eaſq̃ obſeruafſe, uir magnanimus, & humanę uitæ utiliſſimus. Aliquanto poſt in antiquorum legiſlatorum mentione Moſem primum recenſet his uerbis: Apud Iudeos Moſem uulgo deum appellatum, ſiue propter mirificum diuinūq̃ huius inuentum profuturum populo, ſiue quòd cæteros legiſtatores facultate perſuadendi multum antecelleret. alterum uerò Ægyptium legiſtatozem fuiſſe aiunt Sauchnim, uirum prudentiſſimum. tertium Sefonchoſim regē, non ſolum rebus bello geſtis illuſtrem apud Ægyptios, ſed & pugnacis huius gētis formatore legibus impoſitis. quartum legiſtatozem aiunt fuiſſe Bochorim regem, ſapientem atq̃ callidum. Poſt hunc Amasix rex leges retraxiſſe dicitur, quem ferunt nomorū præfectos inſtituiſſe, & totius Ægypti res diſpoſuiſſe ordinaiſſeq̃. ſextus deniq̃ Darius Xerxis pater, huic gēti leges dediſſe fertur. Hæc ſunt uiri Græci quæ alieni à noſtra pietate de Moſis uetultate prodiderunt memoriæ, fatendo ſe accepſiſſe ab Ægyptiorum ſacerdotibus, apud quos Moſes non ſolum natus eſt, ſed & educatus, ut adoptatus à regis filia, & ideo cura omni dignus habitus, ſicut produnt præſtantiſſimi hiſtoricos

stororum Philo & Iosephus, quibus libuit uitā eius & genus gestaꝫ mandare literis, nam hi res Iudæorum scribentes, à Chaldæis deducunt Mosis originē, cuius maiores propter famē è Phœnicia migrarint in Ægyptum. ibi natum aiunt hunc uirū, quem deus ob eximiā uirtutem honoratum, imperatorē, principē, legislatoremq; sui populī esse uoluerit, quando uisum fuit ei Hebræos in attributam eis regionē reducere. Huic sanctorū primo Deus cœlitus diuinam fatidicamq; concessit gratiā, & hunc primū religionis nostræ doctorem instituit: quē mox cæteri prophætæ secuti sunt benignitate eiusdē numinis, eandē doctrinā de iisdē rebus nobis tradituri. Hi sunt quos religionis nostræ magistros profiteamur, non humanorū commentorum doctores, sed diuinitus acceptæ gratiæ. uos uerò, quandoquidem errori maiorum assueti hos fastiditis, quosnam alios religionis uestre auctores fide dignos proferetis in medium? impossibile est enim (ut sæpe dixi) magnas diuinasq; res absq; præceptoris opera uel discere, uel alijs discendas recte tradere. Ergo quoniā iam satis per ea quæ diximus philosophi uestri conuicti sunt imposturæ atque ignorantæ, omīssis his, sicut prius poetis, confugietis tandem ad illa falsa oracula: id enim moliri quosdam audio. Reliquum igitur opinor, ut quæ aliquando uos iactare memini, ea commodum uobis ingeram. Scitante quosdam, ut ipsi fatemini, uestrum oraculum, qui unquam religiosi uiri fuerint, sic responsum dicitis:

Soli Chaldæi sapientiam adepti sunt, & Hebræi,
Deum regem per se genitum sanctè colentes.

Ergo quoniā putatis uos ex oraculis ueritatem posse discere, cū uestras historias de Mose scriptas ab hominibus à nostra religione alienis legitis, & inde discitis eum cæterosq; prophetas Hebræos fuisse à Chaldæis oriundos: nolite mirari, si uirum è pio natum genere, uita respondentem suis maioribus, deus hac honoris prærogatiua dignatus est, ut omnium primus uates exortus sit. arbitror autem etiam tempora consideranda, quibus uestri florere philosophi, ut sciatis, non ita dudum esse ex quo extiterunt, sic enim facilius intelligetur Mosis antiquitas. uerum ne in ratione temporum uidear prolixior, his paucis contentus ero. Socrates Platonis, Plato Aristotelis præceptor fuit. hi floruerunt Philippi & Alexandri Macedonum seculo, quo & oratores Atheniensium, ut satis liquet uel è Demosthenis aduersus Philippum orationibus. itaq; modis omnibus perspicuum est, omnibus historijs Mosaicam esse longe antiquiorem, cum & illud scire debeatis,

debeat, nihil Græcos certò prodidisse quod sit superius olympiadibus, nec eos habere ullos annales ueteres de rebus suis aut barbaricis. sola Mosis prophetæ præcessit historia, quam diuino spiritu afflatus ille scripsit literis Hebraicis. Græcorum enim scripta nulla tum erant, quod & literatores demonstrant, qui aiunt, Cadmum primum literas importasse à Phœnicibus in Græciam. testatur & Plato, præcipuus uester philosophus, inuentum hoc non esse uetustum admodum. scribit enim in Timæo, Solonem sapientum sapientissimum ex Ægypto reuersum Critiæ dixisse, ex quodam Ægyptio ætatis integræ sacerdote se audisse uerba hæc: ó Solon Solon, uos Græci perpetuò pueri estis, nec quisquã Græcus senex est, Ac mox: Semper estis iuuenes anima, in qua nulla est à priscis accepta opinio, nulla cana scientia. ignota sunt hæc uobis, quia superstites cladibus & literis, muti uita defuncti sunt. Sciendum igitur, quamcunq; Græcorum historiam literis post inuentis scriptam, siue quis poetas ueteres, siue legislatores, siue historicos, siue philosophos, siue oratores proferat: quandoquidem constat hos Græcis scripsisse literis. Quòd si quis contendat, Mosis etiam aliorumq; prophetarum monumenta Græcis scripta characteribus, discat è profanis historijs, Ptolemæum Ægypti regem, dum Alexandrinam bibliothecam apparat, & undecunq; libros contrahit, ea iam referta, ubi didicit priscas historias Hebraicis literis exaratas seruari summa diligentia, uoluisse has cognoscere: accitosq; ab eo septuaginta uiros Græcæ Hebraicæq; linguæ peritos, uertisse hos libros iussu ipsius petitos à Hierosolymis: ut absque ullo impedimento interpretationem suam celerius absoluerent, mandasse regem non in ipsa urbe, sed ad septimum inde stadium, ubi Pharos turris attollitur, totidem extrui cellulas, ut separatim quisque uerteret: cum prius ministris iniunxisset ut illis præberent omnia: cæterùm inter se conferre uersionem non sinerent, quo exactius nosceretur consensus eorũ & diligentia, ubi uerò animaduertit septuaginta uiros eisdem uerbis etiam uos non modo sententijs, & ne una quidem diuersos uocula, sed easdem res totidem prolatas dictionibus, attonitum, persuasumq; id accidisse non sine numine, omnibus eos ut deo caros dignatum honoribus, atq; ita magnifice donatos remisisse in patriam, libros uerò præ miraculo in bibliotheca sua consecrasse. Nihil hic fingimus uiri Græci, nec narramus fabulam, sed quod ipsi uidimus Alexandria, ubi cellularum Phariarum uestigia spectauimus, & ex indigenis rem à maioribus per manus acceptam audiuius: quæ &

uos potestis ab alijs discere, præsertim probatis historicis, Philo-
ne ac Iosepho alijsq; pluribus. Quod si quis obstinatus neget hos
Iudæorum libros ad se pertinere, seruatos hodieq; in eorum syna-
gogis, dicatq; nos frustra inde pietatem discere, audiat ipsam scri-
pturam, quod hæc doctrina non illorum sed nostra sit. seruari au-
tem etiam nunc apud Iudæos nostram religionem, deo nobis pro-
spiciente: qui ne maledicis occasionem præbeamus proferendo
codices eos ex ecclesia, malumus illos è Iudæorum synagoga pro-
ferri, ut ex lectione manifeste appareat, nostram esse doctrinam
quicquid scripserunt uiri sanctissimi. Oportet igitur uos uiri Græ-
ci, futuri prouidos, & expectantes illud non à pijs modò, sed & ab
exteris prædicatum iudicium, uestrorum maiorum errorem im-
probatum omittere, ne falsas traditiones pro ueris accipiatis: præ-
stat perspicere frustrationis periculum, & in ipsos maiores, quos
præceptores uocatis, inquirere. nam & illi multa per diuinam pro-
uidentiam coacti sunt in rem nostrā eloqui, præsertim quotquot
in Ægyptum peregrinati, à Mose huiusq; posteris ad pietatem in-
structiores sunt redditi. puto enim non ignorare quicumq; legi-
stis Diodori atq; cæterorum historias, ut Orpheus, Homerus, So-
lon qui leges scripsit Atheniensibus, Pythagoras, Plato & alij qui
dam in Ægypto uersati, adiutiq; scriptis Mosaicis, postea contra-
rias prioribus potioresq; sententias de dijs introduxerint. Or-
pheus certe ille, qui primus apud uos cecinisse plures deos uideri
poterat, & hanc opinionem docuisse, quid deinde Musæo filio cæ-
terisq; germanis auditoribus de uno solo Deo prædicet, audire
operæpretium existimo. sic enim inquit:

Eloquar quibus fas est: portas claudite profani
Vniuersi: tu uerò audi, lucifera prognate luna
Musæe: effabor enim uera, neq; te quæ prius
In pectore apparuerunt, chara uita priuabunt.
Tu uerò diuinum sermonem intuens huic alside
Dirigens cordis mentale uas: & rite insiste
Viam, solumq; intuere mundi regem.
Vnus est per se genitus, ab eo uno cuncta prognata sunt,
Et in eis ipse superat, nec eum quisquam
Mortalium uidet, at ipse omnes uidet.
Hic ex bono malum mortalibus dat,
Et bellum horridum, & dolores lachrymosos.
Neq; quisquam est alius præter magnum regem.
Eum autem ego non uideo. nam circumfusus est firma nube.

Omnia

Omnibus enim mortalibus mortales pupillæ sunt in oculis,
Ita ut uidere nequeant Iouem omnium rectorem.

Is enim ferreo cœlo affixus est

In aureo folio, pedibusq; terram premit,

Manumq; dexteram ad finem Oceani

Vndiq; extendit. contremiscunt enim longi montes,

Et flumina, gurgescq; cani & amœni maris.

Atq; idem alibi sic dicit:

Vnus Iupiter, unus Dis, unus sol, unus Bacchus,

Vnus deus in omnibus, quid tibi singula hæc eloquor?

Atq; idem in Iuramentis:

Cœlum ego te obtestor, dei magni sapientis opus.

Orationem te patris obtestor, quam primam effatus est,

Cum mundum uniuersum suis firmauit consilijs.

Quid sibi uult dum dicit:

Orationem te patris obtestor, quam primam effatus est:

Hoc loco Dei sermonem nominat per quem cœlum, terra,
uniuersaq; creatura est condita, sicut nos docent sanctorum pro-
phetarum oracula: quorum partem aliquam & ipse nactus in Æ-
gypto, cognouit quod Dei uerbo facta sint omnia. quocirca post
quam dixit:

Orationem te patris obtestor quam primam effatus est, subdit:

Cum mundum uniuersum suis firmauit consilijs. Hic uerbum
orationem nominat, metri gratia. id uerū esse inde colligitur, quia
ubi per leges carminis licet, non abhorret à sermonis uocabulo.

Sic enim dicit:

Tu uerò diuinum sermonem intuens, hunc frequenta.

Quin & illa Sibyllæ antiquissimæ carmina, cuius Plato, Ari-
stophanes, alijq; complures mentionem faciunt, libet uobis occi-
nere, quid de uno solo Deo dicat in hunc modum:

Vnus deus solus est, præmagnus, ingenitus,

Omnipotens, inuisibilis, uidens ipse omnia,

Ipse uerò non cernitur ab ulla carne mortali.

Et alibi sic:

Nos uerò ab immortalis semitis aberrauimus,

Operaq; manufacta ueneramur amenti animo,

Simulachra statuarum, defunctorumq; hominum.

Et rursus alibi:

Felices erunt in terris homines illi

Qui amabunt magnum deum, eum collaudantes

Antequam comedant & bibant, freti pietate.
 Qui quidem templa omnia repudiabunt ubi uiderint,
 Et aras, uanas lapidum stupidorum statuas,
 Sanguine animalium contaminatas, & sacrificijs
 Quadrupedum: spectabuntq; magnam unius dei gloriam.

Haecenus Sibylla. cæterum poeta Homerus abusus poetica
 licentia, & priorem illam Orphei de multis dijs opinionem imita-
 tus, fabulose complures deos memorat, ne uideatur dissentire ab
 illius poemate, quod sibi æmulandum proposuerat, adeò ut & ini-
 tialem uersum similẽ fecerit. Nam cum Orpheus sic exordiatur:
 Iram cane dea Cereris frugiferentis. ipse scripsit:
 Iram cane dea Pelidæ Achillis.

Malens opinor enormitatẽ admittere in primo uersu, q̃ pri-
 mus mentionẽ deorũ facere. postea tamẽ suã sententiã de uno so-
 lo Deo aperit, uel ubi in persona Phœnicis Achillẽ sic alloquitur:
 Non si mihi promittat deus ipse
 Se mihi detracturum senectutẽ, facturumq; me iuuenẽ pubẽtem.

Ubi dum per nominis excellentiam dicit, Deus ipse, signifi-
 cat eum qui uerè deus est, uel ubi Ulixes ad Græcorũ plebẽ dicit:
 Multos imperitare malum est, rex unicus esto.

Quòd autem multorũ dominatio non bona, sed mala sit, re-
 ipsa indicare uoluit, dum narrat deorũ bella, pugnas, seditiones, in-
 sidias mutuas, propter eorum multitudinẽ. nam monarchiam pa-
 catam esse conuenit. Hæc est Homeri poetæ opinio. Quòd si è sce-
 na quoq; testimonia, de uno deo addi placet, audite Sophoclẽ sic
 loquentem:

Vnus uerè, unus deus est,
 Qui cœlum condidit, amplamq; terram,
 Amœnosq; fructus maris, & uentorum impetus.
 Sed nos multi mortales corde errantes,
 Ereximus malorum solatium,
 Deorum simulachra ex lapidibus & lignis,
 Aut aureorum aut eburneorum figuras.
 Hisq; sacrificia & pulchros conuentus
 Peragentes, putamus nos esse pios.

Hæc Sophocles. Pythagoras quoq; Mnesarchi filius, qui pla-
 cita suæ philosophiæ per arcana symbola exposuit, ut docent qui
 eius uitam scripserunt, dignam Ægyptiaca peregrinatione opinio-
 nem de uno deo protulit. cum enim unitatem dicit principium re-
 rum omnium, & hanc ipsam causam uniuersorum bonorũ, unum
 solum

solum deum esse docet allegoricè. id ita esse inde colligitur, quia unitatem & unum ait multum differre à se inuicem. unitatem enim censet in rebus intelligibilibus, unum uerò in numeris. Quòd si magis declarari uobis uultis Pythagoræ de uno Deo sententiam, audite hanc: Deus unus est, non, ut quidam suspicantur, extra opus à se ornatum ac dispositum, sed in seipso totus in orbe toto, inspectans quæ gignuntur omnia, cum sit temperamentum cunctorum temporum, opifex potentiarum operumque suorum, omnium principium, unum, luminare in cælo, pater omnium, uniuersorum mens & animatio, circularum motus omnium. Ita Pythagoras, at Plato uidetur quidem de uno solo Deo doctrinam Mosis cæterorumque prophetarum agnoscere, quam in Ægypto didicerat: tamen propter Socratis casum ueritus ne contra se quoque aliquis Anytus aut Melitus accusator exoriretur, qui populo Atheniensi occlamaret: Plato iura curiositate sua uiolat, quos ciuitas colit deos esse non existimat: metu cicutæ uariè sermonem de dijs figurat, negantibus eos & asserentibus præbens materiam. sicut facile ex ipsius dictis licet cognoscere. postquam enim demonstrauit esse mortale quicquid gignitur: postea dicit, deos genitos, ergo si omnium rerum principium Deum & materiam esse uult, necessariò sequitur deos prognatos esse è materia. quòd si è materia, ex qua malum ortum ait, quales dij prognati ex ea censendi sint, considerandum relinquit recte sapientibus. nam ideo materiam dixit ingenitam, ne uideretur Deum mali factorem asserere. de dijs quidem à Deo conditis sic locutus: Di j deorum, quorum ego sum conditor: de eo qui uere Deus est, recte sentire uidetur. cum enim in Ægypto audisset, olim Deum Mose dixisse, Ego sum Ens ille, quando ad Hebræos eum mittebat, intellexit deum non indicasse illi nomen suum proprium. nullum enim potest deo conuenire propriè. nam nomina imponuntur rebus, ut per ea dignoscatur ipsarum uarietas: deus autem neque superiorem quenquam habuit à quo nomen acciperet, neque seipse nominare uoluit cum unus & solus esset, sicut de seipso per prophetas testatur: Ego deus primus, & ego deinceps, nec est præter me deus alijs. Ideo sicut antea dicebam, cum Mosem ad Hebræos mitteret, non nomine usus est, sed participio quodam quo se unum solumque deum esse significat. Ego sum, inquit, Ens ille, uidelicet ad differentiam eorum qui non sunt: ut sciant qui seducti fuerant, se non ueris dijs fuisse deditos, sed qui nusquam rerum sunt. quocirca Deus sciens præcos

hominis

homines imposturæ parentibus suis factæ memores, quando hostis humani generis dæmon fraudulentè dixit eis: Si meis monitis Dei mandata posthabueritis, eritis dijs similes: deos nominās qui non sunt, ut homines putarent esse & alios deos, ac se quoq; posse deos fieri. ideo Mosis dicit: Ego sum ille Ens: ut per hoc participiū Ens, eum qui est ab ijs qui non sunt discerneret. homines autem illi qui à dæmone decepti mandata dei contemnere ausi fuerunt, exierunt è paradiso, memores nominis deorum, quod tamen esse inanane nondum à Deo didicerant, nec ullos esse alios præterea. non erat enim æquum primos facilis mandati præuaricatores doceri amplius, sed iustas pœnas luere. itaq; merito pulsus è paradiso, ob solam, ut putabant, inobedientiam, & ignari se peccasse quod deos crederent qui non sunt, deorum nomē tradiderunt posteris. Hæc est igitur prima de dijs falsa imaginatio, habens à decepto patre originem. Deus igitur sciens non esse ueram de multis dijs opinionem, extirpaturus eam uelut molestum morbum ex anima, ante omnia Mosis se ostendens dixit ei. Ego sum ille Ens: oportebat enim, opinor, futurū Hebraicæ gentis imperatorem ac principem, nihil prius quàm uerum deum discere. ideo primo huic conspectus, quatenus Deus potest uideri ab homine, dixit ei: Ego sum Ens ille. deinde legato ad Hebræos designato iubet ut illis quoq; nunciet: Qui est misit me ad uos. His Plato in Ægypto cognitis, delectatus ea de uno Deo sententia, Mosem quidem unum solum Deum esse docentem nominare apud Athenienses parum tutum ducebat, timens Areopagitas: sed quicquid boni ab illo didicerat dissimulans, quasi suam opinionem proposuit in Timæo, erudito sane ac diligenter elaborato opere, in quo diuinas quoque res tractare aggressus, eadem quæ Moses, scribit de Deo. ait enim: Equidem ante omnia differendum censeo, quid sit Ens sempiternum ingenitum: & quid, quod gignitur quidem, est tamen nunquam. hæc uiri Græci nonne intelligentibus uidentur eadem, solo articulo distantia? Moses dicit *ὁ ὄν*, Plato uerò *τὸ ὄν*, utrumque hoc deo sempiterno conuenire apparet. is enim est solus ille qui semper est, utpote ingenitus. Quid igitur sit illud alterum cum sempiterno collatum, de quo ait: & quid, quod gignitur quidem, est tamen nunquam, diligenter considerandum est. Inueniemus enim eum aperte dicere, quod ingenitus ille sempiternus sit, geniti uerò siue conditi (ut ipse de his dictum ait, *Di deorum quorum ego sum conditor*) & gignantur & pereant, sic enim ipse loquitur: Equidem ante omnia differendum censeo, quid sit ens sempiternū, ingenitum

ingenitum: & quid quod gignitur quidē, est tamen nunquā. Illud intellectu per rationis indaginem percipi potest, cum semper sit idem: hoc opinione per irrationalem sensum attingi, cum gignatur & intereat, sit tamē nunquā. Hęc dicta recte intelligere ualentibus interitū genitorū deorū predicant, necesse autē opinor hoc quoq; animaduertere, quod non factorem eum Plato, sed conditorem nominat, cum multū inter hęc inter sit iuxta ipsius opinionē. nam factor, nulla re adiutus, suapte uirtute potentiaq; suum opus perficit: at conditor facultatē condendi sumit à materia. Sed fortasse quidam pertinaces in religione multorum deorū, obijcient nobis ipsius conditoris uerba sic alloquentis à se conditos: Quia generati estis, immortales quidē & indissolubiles omnino non estis: nec tamen unquam dissoluemini, nec mortis fatū subibitis, cū uoluntas mea sit uobis pro uinculo nexuq; ualidissimo. Hic Plato timens cultores multorum numinū, inducit conditorē istum loquentē sibi ipsi cōtraria. iam enim dixerat: Omne quod gignit esse corruptibile, nūc facit eū loqui cōtraria, non animaduertēs se nō posse hoc pacto mēdaciū crimē effugere: aut enim prius illud dicēdo: Omne genitū est corruptibile, mentitur: aut nunc pronunciando contrarium. nā si iuxta priorē sententiā necessariō quicquid gignitur corrumpitur, quomodo consistit ut id possibile fiat, quod necesse est esse impossibile: itaq; frustra uidetur Plato isti conditori tribuere impossibilia, ut semel mortalibus factis, pductisq; è materia, nūc immortalitatē polliceatur. nam materiae potētia, cū iuxta Platonianos cōditori equeua sit, eius uolūtati repugnatura uidetur. nihil enim potestatis habet qui nō fecit, in id quod ipse nō fecit. ergo neq; cogi poterit illa, nempe constituta extra omnē necessitatē. & hoc est cur Plato sic scripsit: Necessitati ne Deū quidē uim facere, pro uerbio iactatur. cur igitur Homerum pellit è sua Republica, qui Phœnicem in legatione ad Achillem fingit sic loquentem:

exorabiles sunt etiam ipsi dī;

Quamuis Homerus non de rege, & ut Plato existimat, conditore deorum hoc dixerit, sed de quibusdam quos Græci censent in deorum numero, sicut ex ipsius Platonis uerbis licet colligere, dicentis Dī deorum. nam illi unī primo que deo dat Homerus potestatem in omnes & imperium, sub figmento catenæ aureæ, reliquos uerò deos tantum abesse putat ab eius deitate, ut hos coniungat hominibus. certe Ulixem inducit Achilli dicentem de Hectore:

Furit horrendū fretus Ioue, nec tā illi facit uel homines uel deos.

Hinc

Hinc certò conijcio, poetam equè ac Platonem ab Ægyptijs persuasum, de uno deo manifeste prædicare, quòd quisquis huic fidei, eos qui non sunt negligat. nam & aliubi poeta idem alio uerbo tantundem pollente utitur, pronomine uice Platonis participij, Entem deum indicantis, ubi inquit: Quid sit ens sempiternum ingenitum. Nec enim temere dicta mihi uidentur illa Phœnicis: Non si mihi promittat deus ipse

Detracturum se mihi senectutè, facturumq; me iuuenè pubentem.

Nam Ipse pronomen, eum qui uere est Deum significat, sicut in illo de Chaldæis & Iudæis reddito uobis oraculo. percontanti enim cuidam, Qui unquam pij homines fuerint, sic responsum datum fertur:

Soli Chaldæi sapientiam adepti sunt, & Hebræi,
Genitum per se regem uenerantes deum ipsum.

Cur igitur Plato inculcat Homerum quòd deos exorabiles dixerit: quãuis id utiliter dictum ex ipsis uerbis appareat. proprium enim est uota sacraq; numini placando facientium, desistere, & peccati poenitere. nam qui deum flecti non putant, haudquaquam habent cessandi à peccatis propositum, ut qui poenitentiam credant inutile. Cur igitur damnata Homeri sententia, dicentis deum flexibilem, ipse philosophus deorum conditorem inducit mutari tam facile, ut nunc deos mortales, nunc eosdè immortales dicat: nec hoc contentus, etiam de materia, ex qua deos ait necessariò conditos, sermonem uariat, modò genitam dicens, modò ingenitam, non animaduertens se in crimen obiectum Homero impingere, dicenti, deorum conditorem mutari tam facile, quamuis ille de eodè prædicet contrarium. ait enim eum de seipso loqui sic:

Nec reuocanda, nec irrita, uana uero dico futura,

Quæcunq; annuero, & promisero uertice moto.

Verum ista Plato uidetur inuitus tradere, à dijs aliena, uideat cultores multorum deorum ueritus. quæcunq; autem à Mose prophetisq; accepta putat comunicanda cum alijs, ea mauult mysticè apud pietatis studiosos proferre, suam opinionè subindicans. Delectatus enim illis uerbis dei Mosem alloquētis: Ego sum Ens ille, breuitateq; orationis elate per participium, multum diuq; contemplatus eam, cognouit quòd Deus uolens indicare Mosi sempiternitatem suam, Ego sum Ens ille, inquit: syllaba Ens non tantum unum tempus significante, sed tria, præteritum, præsens, futurumq;, sic enim & Plato uocem hanc Ens usurpat de infinito tempore cum dicit: sit tamen nunquam. nam uox hæc Nunquam, non
de præ

de præterito, ut quidam putant, sed de futuro dicitur tempore. sic enim ea profani etiã scriptores utuntur, quamobrem uelut interpretaturus nõ intelligentibus quod mystice de sempiternitate dei dixerat per participium, ad uerbum sic scribit philosophus: Deus iuxta uetus uerbũ, principiũ, finẽ mediumq; omniũ rerũ obtinẽs. Hic aperte uetus uerbũ legẽ Mosis nominat, licet illũ cicutẽ metu nõ nominet. norat enim q; exosa esset Græcis uiri huius doctrina. attamẽ per uetustatẽ uerbi Mosẽ manifeste significat. Quod autem prisca primaq; sit lex Moseos, iam à Diodoro cæterisq; historicis satis demonstratũ est. nã Mosẽ Diodorus omniũ antiquissimũ legislatorẽ fuisse autor est, ante inuentas Græcorũ literas, quibus res gestas mãdauerũt. Nec est mirandũ, si Plato ex autoritate Mosis de sempiternitate Dei scripsit ad eũ modũ. Inuenies enim in eius arcanis, post uerũ entem Deũ etiã prophetas uerã rerũ habere nõticiã, sic enim in Timæo scribit, differẽs de quibusdã principijs: Rationes probabiles necessitati cõiunctas sequendo, ignẽ cæteraq; corpora principium supponimus: superiora principia deus nouit, & quotquot hominũ illi cari sunt. Quos alios uiros deo caros existimat, nisi Mosẽ prophetasq; cæteros: ex quorũ lectioẽne didicerat ea, quẽ in primo De Republica tradit in hunc modũ: Postquã eò deuenit aliquis, ut breui moriturũ se opinetur, inuadit eum timor, & cura quãdam uitæ actæ per secordiam. nam & fabulæ quæ de inferis narrantur, quomodo scelestos pœnas meritas dare illic oporteat, irrifæ hæctenus, mouent tunc animum, ne fortẽ ueræ sint, sollicitum: & ipse siue propter senectutis debilitatem, siue quia propinquior illis, res eorum magis considerat. proinde anxius secum reputat, numquem affecerit aliqua iniuria. qui ergo inuenerit sæpe, se iura uiolasse, terretur sicut pueri somno exciti, & cum spe uiuit pessima. qui autẽ nullius malefici sibi est conscius, eum comitatur suauis spes, senectutis altrix commoda, ut inquit Pindarus: scite nanq; mi Socrates id cecinit: Quicumq; iuste sancteq; uitam exigit, dulcis eum spes sequitur cor nutriens, senectutemq; fouens, quæ spes maxime hominum uersatilem gubernat animum. hæc in primo De Republica: in decimo autẽ apertissime quæ apud prophetas legerat, quamuis autores metu Græcorum dissimulet, sub ficticia persona cuiusdam in acie cæsi, & duodecima post diẽ funerandi, ac in rogi strue rediuiui, denarrantisq; res inferas, recenset his uerbis: Dicebat se interfuisse, cum alium in terrogaret quispiam, ubinam esset Aridæus magnus. hic autem in quadam Pamphylia ciuitate tyrannus fuerat ante annum ab eo

tempore millesimum, qui senem patrem & maiorem natu fratrem occiderat, aliaq; impia scelera perpetraverat. interrogatumq; illū aiebat respondisse: Non uenit Aridæus neq; ueniet. ô dirum spectaculum. dum enim egressuri hiatū peteremus, cætera omnia perpessi, illum protinus uidimus aliosq; cum eo, omnes ferme tyrannos: inter quos & priuatos nōnullos, qui magna scelera perpetrauerant, quos ascendere iam se propemodum ausos hiatu ille minime permittebat: sed horrendum mugiebat quotiens aliquis eorū qui uel insanabiles essent, uel nondum purgati, egredi niteretur. aderant illuc feroces quidam uiri aspectu ignei: qui quā primū mugitum audirent, hos abripiabant, uidelicet Aridæum cum eius similibus: iniectisq; in manus, pedes ceruicemq; uinculis, prosternebant eos & excarnificabāt, ac mox extra uia tractos laceratosq; sentibus, monstrabant prætereuntibus, referendo causam huius cruciatus, & cur retraherentur in tartarum, ibi cum multis uarijsq; agentur terroribus, nullum maiorem eis accidere, quā si mugitus ille occurrat exitum petentibus, quandoquidem eo quiescente unusquisq; libentissimè ascenderet. has pœnas esse damnatorum contrarias piorum præmijs. Hic mihi uidetur Plato non solum de extremo iudicio, prophetarū didicisse oracula, sed & de ea quam Græci non credunt resurrectione, dum enim ait animam iudicari cum corpore, satis indicat se resurrectionem credere. alioqui quomodo Aridæus & cæteri relicto super terram corpore, cuius sunt partes, caput, manus, pedes, cutisq;, tales pœnas luebant apud inferos: non enim dicturi sunt, caput, manus, pedes, cutimq; habere animam. sed cū in Ægypto audisset Plato prophetarum testimonia, & percepisset doctrinam de resurrectione corporis, docet nos cum corpore iudicari animam. nec Plato solus, sed & Homerus similiter in Ægypto edoctus, Tityum similes pœnas ait pendere, sic enim in Necyomantia facit Vlixem narrantem Alcinoō:

Nec non & Tityon terræ omniparentis alumnum

Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus

Porrigitur, rostroq; immanis uultur adunco Immortale iecur
tōdet. Iecur enī nō animæ, sed corporis, indicat. Ad eundē modum & Sisyphū & Tantalū cum corpore puniri scribit. Peregrinatum autē Homerū in Ægyptū, multa quæ ibi didicerat transtulisse in suū poema, satis nos docet Diodorus historicorum celeberrimus. ibi enim eū didicisse, quod Helena nepēthes illud irarū curarūq; obliuionē inducēs, à Polydāna Theonis uxore acceptū Spartam secū deportarit: quo remedio dicit ipsam usam cōtra mœsticiā

Telemas

Telemachi à suo Menelao recepti hospitio. aureã quoq; Venerẽ nominat propter Ægyptiam historiam. norat enim in ea regione templum Veneris cognomento aureæ, & cãpum eiusdem appellationis. quorsum autem hæc memoro; nimirum ut ostendam, hunc poetam etiam è sacris prophetarum literis multa in suum carmen transtulisse, & in primis eius libri initium, quo Moses creationem mundi describit. hic enim sic scribit: In principio fecit Deus cœlũ & terram, dein solem, lunam, stellasq;. hæc ille in Ægypto doctus, & ea descriptione delectatus, Achillis clipeo à Vulcano fabrefacto inseruit, tanquam creationis illius imaginem, his uersibus:

Principio cœlum & terram, camposq; liquentes,
Lucentemq; globum lunæ, Titaniãq; astra.

Paradisi quoq; imaginem descripsit in hortis Alcinoi, quos semper uirere dicit plenos continuatis fructibus.

Ibi magnæ creuerunt arbores longæ,

Pyri, & punicæ, & mali fructuosæ,

Ficusq; dulces, & oliuæ longæ,

Quarum nunquam fructus perit, nec intermittit

Hyeme nec æstate perennans: quin semper aura

Zephyria flans alia gignit, alia coquit.

Pyrus post pyrum senescit, & malus post malum,

Et uua post uuam, & ficus post ficum.

Hic ei fata est fructuosa uinea, cuius altera area

In plano loco siccatur sole: alias autem uindemiant,

Alias calcant. adsunt immaturę uuæ

Delapso flore, aliæ maturescunt.

Nõne hæc uerba manifestã habent imitationem paradisi, de quo Moses narrat primus propheta? Quod si quis & turris substructionẽ uidere uoluerit, per quam illius sæculi homines moliti sunt ad cœlum aditum, inueniet de hac quoq; satis pulchram allegoriam, ubi Ori Ephialtæq; mentionem poeta facit his uersibus:

Qui & dijs immortalibus minati sunt in Olympo

Sese bellum illaturos.

Ossan Olympo conati sunt imponere, & Ossæ

Frondosum Pelion, ut cœlum accedi posset.

Item de proiecto de cœlis hoste humani generis, quem diabololum uocant sacre literæ, propter calumnia petitum primum hominem. Consideret diligenter qui uolet, inueniet poetã, quamuis nusquam nominet diabololum, fingere tamen ei nomen ab ipsius studio sceleratissimo. Aten enim nominans, ait à suo deo præ-

cipitatum de cœlo, uidelicet memor quid Esaias propheta de hoc scripserit. carmen sic habet:

Statimprehendit Aten pinguem capillos,
 Indignans animo suo, iurauitq; seuerum infurandum,
 Nunquam se in olympum stellatumq; cœlum
 Rursus accepturum Aten, quæ omnes lædit:
 Sic fatus deiecit eam de cœlo stellato,
 Manu circunuersam: atq; ea protinus adiuit hominum opera.

Plato quoq; dum post deum principia rerum facit materiã & ideam, non aliunde quàm à Mose occasione nactus uidetur: qui tametsi seu speciei seu ideæ nomen è scriptis Mosis didicerat, nondùm tamen è peritis eorũ audierat, nullam ex his acquiri certã noticiam absq; contemplatione mystica. scribit enim Moses, Deũ sic ad ipsum loquutũ de suo tabernaculo: Et facies mihi tabernaculum per omnia simile exemplari quod in monte præscriptũ ostendi tibi. Ac rursus paulò post: Sic utiq; facies iuxta formã quã in monte ostendi tibi. Hæc scripta nactus Plato, postquam diligenter pensitauit, ita ut debuit, existimauit esse quandam antiquiorem speciem, separatam ab ista quæ sensu percipitur, illam etiã rerum exemplar nominare solitus. quoniam Mosis literæ sic loquuntur de tabernaculo: iuxta speciem in monte indicatam tibi, sic facies illud. Ad eundem modum de terra, cœlo, homine, in errorẽ lapsus uidetur. nam & horum ideas esse putat. Moses scribit: In principio fecit Deus cœlum & terram: deinde subiungit: Terra autem erat rudis & inuisibilis. id ita intellexit philosophus, Terra autẽ erat: dictũ de antiquiore terra, quoniã Moses ait: Terra autẽ erat rudis & inuisibilis, quod autem dixit: Fecit Deus cœlum & terram: putauit dictũ de terra sensibili facta ad illius antiquioris formam siue speciem. Item de cœlo creato, alterum factum esse, quod firmamentum nominatur, idq; sensibile: alterum uerò esse intelligibile, de quo uates ille inquit: Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Idem accidit in homine, quem primò nominat Moses, deinde post multas creaturas quomodo ex humo factus sit memorat dicens: Et fecit Deus hominem, limo de terra desumpto, putauit igitur Plato supra nominatum hominem antiquiorem hoc condito: posteriorem autem è limo factum ad illam speciem. Cæterum hominem è terra factum Homerus quoq; cognouit è sacris antiquitatibus, ubi legitur: Terra es, & in terrã reuerteris: & ideo cadauer Hectoris terram nominat. sic enim de Achille Hectorem post necem raptante loquitur:

Dilace

Dilacerare cupit terram iam uerbere furdo.

Rursum aliubi Menelaus socios tergiuersantes ad prouocationem Hectoris singularem pugnam poscentis sic increpat:

Vos omnes opto terra ut fiat & unda:

Præ ira cupiens in terram eos resolui, antiquam originem. Hæc è priscis cõmentarijs in Ægypto decerpta Homerus & Plato suis scriptis inseruerunt. alioqui unde Plato didicit, Iouem curru alato uectari, nisi è prophetarum lectione? sciebat enim propheta sic loqui de Cherubim: Et exiuit gloria Domini de domo eius, & ascendit super Cherubim. Et sumpserunt Cherubim alas suas, & currus hærebat eis, & gloria domini Dei Israhel erat ei superimposita. Hinc nactus occasionem Plato ille magniloquus liberè prædicat cœlestem Iouem maximum, qui alatum currum agit. alioquin unde hæc nisi è Mose prophetisq; didicit? unde illud quod dicit de ignea dei essentia? nõne è tertio Regnorũ libro? ubi scriptum est: Non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post igne sibilus auræ tenuis. uerum illa sensu anagogico, diligentiq; cõtemplatione, uiris pijs intelligenda sunt. Plato uerò non satis id dictum contemplatus ait, deum esse in essentia ignea. iam si quis consideret donum illud dei cœlitus descendens in sanctos homines, quod spiritum sanctum prophetæ nominant, adhibeatq; diligentia, inueniet hoc etiam à Platone, licet aliter id nominante prædicari eo libro, in quo cum Menone disputat. Veritus enim Dei donum spiritum sanctum nominare, ne uideretur prophetas sequi doctrinæ Græcicæ tedio, cœlitus id à deo fatetur descendere, non tamen spiritum sanctum, sed uirtutem nominare dignatus. differens enim cum Menone de reminiscencia, post multas de uirtute quæstiones, utrum discendo meditandoue acquiri possit, an non, aut neutro hoc modo, sed à natura contingat hominibus, aut alio modo quopiam, tandem pronunciat uerbis totidem: Quod si toto hoc sermone bene quæsiuimus & disseruimus, uirtus nec à natura datur, nec per doctrinam paratur, sed diuinitus contingit citra mentis operam, quibuscunque contingit. Hæc opinor manifeste de spiritu sancto sub uirtutis nomine ex prophetis in sua scripta Plato transtulit. quemadmodum sacri uates unum eundemq; spiritum in septem spiritus aiunt diuidi: sic & ipse unam eandemq; uirtutem nominans, hanc in quatuor uirtutes partitur, nullam quinti spiritus mentione apertam faciens, per allegoriam tamen prophetarum de eo dicta proferens, sic enim

ait circa finem dialogi qui Menon inscribitur: Hac itaq; ratione apparet, uirtutem diuinitus contingere his quibus contingit. Veritatem tamen de hoc perspicuam tum demum comprehendemus, & quomodo paranda sit uirtus, ubi quid ipsa per se sit, uestigauerimus. Videte quomodo superne descendens donum uirtutem tantum nominat. Præterea quærendum putat, uirtutem ne, an aliud quid, nominare id conueniat, dubio procul timens id sanctum nominare spiritum, ne uideatur prophetarum sequi doctrinam. Quid tempus, unde cum cælo natum didicit? Scribit enim: Tempus cum cælo ortum est, ut simul orta simul intereant, si quando interitura sunt. Hæc nonne è Mose sacro scriptore didicit? sciebat enim constare tempus è diebus mensibusq; in anni orbem redeuntibus, & quia prima dies post cælum conditum uniuerso tempori dedit principium (ut Moses scribit, In principio fecit deus cælum & terram: ac mox: Et factus est dies unus à parte totum tempus significans) diem nominat tempus, ne si usus fuisset hac uoce dies, apud Atheniensem populum accusaretur pro Mosis discipulo. Cælum porro interiturum unde in mentem ei uenit? nonne & hoc à prophetis didicit, quorum hanc putauit sententiam? Quod si quis rationem statuarum examinet, cur primi harum opifices deos humana forma exprimendos putauerint: inueniet id quoq; desumptum è diuina historia, cum enim ibi ex persona dei dicatur: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: hoc dictum sic acceperunt, quasi humana forma deum referat: atq; ita persuaserunt sibi, deos formandos ad effigiem hominum: uidelicet, ut ipsi putabant, similia. Quorsum hæc uiri Græci? ut sciatis, non esse possibile discere ueram religionem ab istis, qui nihil de suo potuerunt proferre mirandum uel profanis hominibus, sed tantum quæ à Mose ac reliquis prophetis desumpserant, inseruerunt suis commentarijs. Iam igitur tempus est uiri Græci, ut autoritate externarum historiarum persuasi, Mosem ceterosq; prophetas antiquiores fuisse omnibus uestris sapientibus, desistatis ab inueterato errore maiorum, uersetisq; sacras prophetarum historias, unde religionem ueram discatis: non ex artificiosis sermonibus ad persuadendum compositis, nam id proprium est ueritatem cælantibus: sed è simplici cõtextu uerborum ac nominum, enūciante quæcunq; sanctus cœlestisq; spiritus per afflatos studiosis religionis ueræ aperire uoluit. Itaq; non pudeat uos abijcere cuncta priscorum deliria: & speciosos illos sed inanes strepitus omittendo, in quibus summam uoluptatem collocatis: arripite quæ sunt utilia, nullam enim iniuriam facietis uestris maioribus, si

bus, si in diuersum deflectatis ab illorū falsis opinionibus, quos credibile est earū iam serò pœnitere apud inferos: qui si possent uos illinc de suis post obitum calamitatibus certiores facere, sciretis quàm libenter uobis à tantis malis præcauerent: nunc quoniam non est uobis possibile id ex illis discere, ac ne ex istis quidem falso nominatæ philosophiæ professoribus, reliquum est ut explorato errore maiorum, detis uos sacrorum uatum prophetijs, non requirendo in eis eloquentiã (nec enim in sermone, sed in operibus consistit nostra religio) sed inquirendo apud eos quæ ad æternam uitam faciant. nam quotquot inani studio suã infamant philosophiã, nihil scire conuincuntur, atq; etiam ipsi fateri hoc coguntur, nō solum dissidijs mutuis, sed & inconstanti ac uaria suorum dogmatū expositione. quòd si ueritatis inuentio confessione omnium finis est philosophiæ, quo iure isti qui ueritatis noticiam non assequuntur, philosophi nominari postulant? nam si Socrates ille omnium sapientum uestratium sapientissimus, uel oraculi (ut fertur) testimonio pronūciantis, ἀνδρῶν ἀπάντων Σωκράτης σοφώτατος, fatetur se nihil scire: quomodo posteriores etiam rerum cœlestium profitentur scientiam? nam ideo se sapientem pronunciatum ait, quia reliquis simulantibus rerum scientiã, ipse ingenue fatebatur se scire nihil. sic enim loquitur: Ideo mihi uideor paulò sapientior, quia quæ ignoro, eorū ne opinor quidem habere me noticiam. Nec est quod aliquis putet hanc ironiã, quia nōnunquã in differendo figura hac utitur. nam illa extrema eius oratio, qua causam suã egit iturus in carcerē, declarat eum serio fassum ignorantiam. ipsius uerba sunt hæc: Sed iam hora est hinc abire, me quidē ut moriar, uos autē ut uiuatis. Vtri uerò nostrū in melius eant, omnibus præter deum incertū est. Verūm Socrates hac extrema uoce in curia Martis emissã, in carcerē se proripuit, Deo soli tribuens rerū nobis obscurarum scientiã. posteriores autem ne terrenarū quidem rerum adepti noticiã, cœlestiū tanquam à se uisarum scientiam profitentur. certe Aristoteles ac si diligentius Platone scrutatus esset cœlestia, non ut ille in ignea substantia Deū esse dicit, nec ei suffragatur: sed in quinto elemento ætheris simili eum esse pronunciat, & hoc credi eloquentiæ suæ postulat, qui ne Euripi quidē Chalcidensis naturam pernoscere ualuit, & id ignominiosum ratus præ pudore tediōq; è uita emigravit. Nemo igitur prudens salutē suã istorū facundiæ posthabeat: sed cera obturatis auribus (ut est in uetere fabula) harū Sirenum illecebras nocentissimas fugiat. nam supradicti uiri tanquã escam obijciendo facundiã, uulgus à recta religione

conantur abducere, imitando illum seductorem qui plures deos prædicare primis hominibus ausus est: quibus impostoribus non lim esse uos faciles, sed potius uersare prophetias sacrorum hominum. Id si aut piget facere, aut quo minus faciatis uetat prisca superstitio, cum non aliunde possitis unum solum Deum discere, qua nota præcipue sinceritas religionis discernitur: saltem Orpheo credite, qui priorem de multis dijs doctrinam recantans, mox utiliorum & necessariam substituit, his proditis quæ paulò antè retulit: & fidem habete reliquis etiam, eadem de uno deo docentibus. nam illius prouidentia factum est uobis consulentis, ut uel ab inuitis ueritas extorqueret testimonium confirmaturum prophetarum de uno deo sententiam, ut uno consensu damnata multorum deorum superstitione, præberetur uobis ueritatis cognoscendæ occasio. Poteritis etiam facile partem aliquam religionis ueræ discere uel è prisca Sibyllæ oraculis, prope ad propheticam doctrinam accedentibus, hanc aiunt è Babylone oriundam, Berosi rerum Chaldaicarum scriptoris filiam, nescio quomodo in Campaniam delatam, & Cumis oracula solitam reddere, ad sextum à Bañs lapidē, quod oppidū celebraf propter aquas calidas. in ea urbe spectauimus locum quendā instar amplissimæ basilicæ cauatū ex uno saxo solido, rem admiratione dignissimam, ubi oraculum eius fuisse narrant indigenæ, sicut acceperunt à suis maioribus. in eius antri medullatio monstrantur putei tres eodem in saxo aperti: quorum aqua lotam aiebant in penitissimam eius antri cellam solere secedere, ac mox in antro medio sublimem sedentem effari oracula. Huius fatidicæ Sibyllæ inter multos alios scriptores & Plato in Phædro meminit: & ut mihi uidetur, propter eius oracula uatibus diuinitatē tribuit. uiderat enim euentus respōdere huius antiquis prædictionibus: cuius rei miraculo in Menone dialogo uates sic ad uerbum laudat: Merito igitur diuinos uocabimus uates de quibus loquimur, non mediocriter afflatos numine quo rapiuntur, quando magno successu dicunt faciuntq; res maximas, quas nequaquam intelligunt. Quibus uerbis aperte significat Sibyllina oracula, hæc enim scripta sua non corrigebat, nec expoliēbat, sicut poetæ faciūt, quando metrorum à se rationem exigunt: sed tantisper dum numine afflaretur uatem agebat, quo mox cessante nihil eorum carminum meminerat. & hæc est causa cur non seruata sint omnia. id ipse Cumis audiui ab his qui me deducebant, uisendi gratia, locos ubi uaticinabatur ostendentibus, & quandam urnam lenticularem aheneam, in qua reliquias eius aiebant conditas. inter cætera nar-

rabant

rabant, se accepisse à maioribus, eos qui petebant oracula, homines rudi seculo natos, sæpe deprauasse metra: ideo in nonnullis desiderari diligentiam, quòd uates ad se reuersa immemor fieret eorum quæ cecinerat, notarij uerò in exscribendis laborentur per imperitiam. Hinc apparet, ad Sibyllina oracula referendam illam Platonis sententiam: Magno successu dicunt faciuntq; res maximas, quas nequaquam intelligunt. Proinde uiri Græci, quandoquidem nec in poetarum carminibus sita est uera religio, nec in doctrina qua uobis placetis, omisso carminum ac dictionum examine, res in eis contentas cõsiderate absq; peruicacia: & agnoscite quam felicitatem percipere possitis è sacræ uatis de Iesu Christi seruatoris nostri aduentu præfagijs: qui cum sit dei sermo indiuisus potentia, hominem assumpsit creatum ad imaginem dei ac similitudinem, atq; ita priscorum pietatem nobis redegit in memoriam, quam posterius dereliquerant, seducti per inuidiam dæmonis ad superstitionem falsorum numinum. Quòd si uos piget credere quæ traduntur de ficto è limo homine, uestra saltem audite oracula, quibus fidem non adimitis: inuenietis in quodam hymno in omnipotentis Dei laudem edito insertum uersum hunc:

Mortalem primum finxit, Adamumq; uocauit.

Quem hymnum scio seruari apud multos è uestris, ad coarctandam incredulitatem resistentium ueritati confessæ ab omnibus. Credite inquam uiri Græci, nisi apud uos imaginatio uanorum deorum plus ualeat quàm salutis propriæ ratio, credite Sibyllæ antiquissimæ, cuius libri per totum orbem seruantur, afflatu diuino proditi, docentq; non esse deos quos uulgus existimat, & aduentum Iesu Christi seruatoris nostri prædicunt apertissimè, atq; etiam quicquid gesturus erat. erit id uobis ad legendos sacros prophetas ceu præludium. quòd si quis mauult ab antiquissimis philosophis de Deo discere, Acmonem & Mercurium audiat: Acmonem, qui in suis libris deum nominat occultissimum: Mercurium uerò diserte dicentem: Deum intelligere est difficile, eloqui uerò impossibile, etiam ei qui potest intelligere. certò igitur persuasum esse oportet, haud aliunde rectum Dei cultum posse per-

cipi, quàm à solis prophetis, ex autoritate

diuini spiritus uos docentibus.

DIVI IUSTINI PHI LOSOPHI ET MARTYRIS CVM

TRYPHONE IVDÆO COLLOQVIVM
AD M. POMPEIVM.

SIGISMVNDI GELENIO INTERPRETE.



DEAMBVLANTI mihi mane in porticu, obuius
quidam alijs comitatus, Aue, inquit, philosophe,
& cum dicto conuersus mecum ambulabat. idem
fecerunt eius focij. Ego uero homine resalutato,
Quid potissimum, inquã? Tum ille: Audiui Ar-
gis à Corintho Socratico, nõ esse contemnendũ
quenquam in isto habitu, comiter potius inuitandum ad collo-
quium, si qua forte uel ad me uel ad illum ipsum inde redeat utili-
tas. bonum enim id fore utriq; , etiamsi iuuetur alteruter. quapro-
pter libenter compellauit te, sicut meus mos est, quoties aliquem in
hoc habitu uideo: hi quoq; comites sperant se boni aliquid ex te au-
dituros. Huic ego iocabundus: At quis nam es tu optime mortali-
um? is uero nomen & genus edidit ingenuè: Thryphon, inquit,
uocor, homo Hebræus circumcisusq; , nunc è Græcia propter bel-
la profugus, in Corintho eius urbe plerũq; degere solitus. Et qui
potes, inquam, tantam utilitatem expectare è philosophia, quantã
è legislatore tuo prophetisq; cæteris? Quid, inquit, nõne philoso-
phi de Deo semper disputant, crebras quæstiones mouendo de mo-
narchia eius atq; prouidentia? an non hoc est philosophorum, de
rebus diuinis inquirere? Est, inquam, ut nostra fert opinio, attamẽ
magna pars ne id quidem curat, unus ne an plures dñj sint, & pro-
uideant ne rebus nostris, an non, quasi hæc scire nihil ad felicitatẽ
conferat: imò uobis etiam persuadere conantur, Deum prouidere
quidẽ uniuersitati huic eiusq; speciebus ac generibus, mihi uero,
& tibi, singulisq; nõ item: alioqui superuacuas fore preces noctur-
nas diurnasq; , quò autem ista tendant facile deprehenditur: nimi-
rum hæc opinio securitatem sibi quærit atq; licentiã faciendi quic-
quid collibuerit, dum nec pœna timetur, nec ullum à deo speratur
commodum. quid enim sperarent qui aiunt, iterari semper eadem,
& me tecq; denuò uicturos similiter, nihilo meliores deteriores ue-
redditos? Alij uero persuasum habentes, immortalem & incorpo-
ream esse animam, nec pœnas malefactorum daturam putant, cum
careat

careat corpore: nec dei fauore opus eam habere, cum non sit mora
 ti obnoxia. Ille subridens ciuilitate: tu uerò quid nam sentis de re-
 bus his? quid de Deo? dic quænam est tua philosophia? Dicam, in-
 quam, quod mihi sanè uidetur. Reuera enim philosophia est pos-
 sessio præcipua, & deo carissima, cui nos adductos sola commen-
 dat. suntq; hi uerè sancti qui ad eam applicant animum. quid autè
 ea sit, & cur demissa ad homines, uulgus ignorat: alioqui nō Plato-
 nici essent, non Stoici, nō Peripatetici, non Theoretici, nō Pytha-
 gorici, cum sit unica hæc scientia. cur autè facta sit multiceps, dicā.
 Qui primi hanc tractare aggressi sunt, uiri celebres eo nomine, se-
 ctatores nacti sunt non examinatos ueritatem, sed admiratos
 tantum illorum tolerantiam, continentiam, eloquentiamq; & pro-
 uero habituros quicquid à suis doctoribus accepissent singuli: qui
 & ipsi mox eadem tradiderunt posterioribus, & alia his similia, no-
 mine imposito ab inuentore dogmatis. ego quoq; initio cupidus
 eius sodalicij, dedi me in disciplinā cuidam Stoico: & satis diu cū
 eo moratus, cum nihil in cognitione Dei proficerem (nam nec ipse
 norat, & negabat hanc disciplinam esse necessariam) hoc relicto
 ad alium transiui professione Peripateticum, acutum uirum, ut si-
 bi uidebatur. hic passus me secum uersari aliquot dies, postea mer-
 cedem sibi statui poposcit, ne familiaritas nostra esset nobis inuti-
 lis. quapropter & hunc reliqui, haud amplius habens pro philoso-
 pho. cum autem animus adhuc mihi gestiret audire aliquid exi-
 mium & philosophiæ proprium, accessi laudatum uirum Pytha-
 goreum, magnæ sapientiæ sibi conscius: ac mox postquam cœpi
 agere cum eo de me recipiendo inter auditores domesticos, Es ne
 uersatus, inquit, in musica & astronomia geometriaq;: an putas te
 percepturum quicquam ad felicitatem pertinens, nisi hæc prius di-
 scas, & animam à rebus sensibilibus ad intelligibiles traductā, red-
 das aptam uirtutis, ipsiusq; summi boni contemplationi? cumq;
 multa dixisset in laudem harum disciplinarum, & quàm sint ne-
 cessariæ, ablegauit me fallum eas nescire. grauiter id tuli, nec im-
 merito, spe frustratus, tanto magis, quia putarā eum scire aliquid.
 ac rursum pensitanti quantum temporis insumendum esset his di-
 sciplinis, non libuit differre tandiu. tandem uisum est consultius ac-
 cedere Platonicos, propter existimationem horum egregiā. itaq;
 adiunxi me cuidam in hac secta eximio, qui tum recens in patriam
 meam uenerat, & apud hunc degens proficiebam indies: place-
 batq; mihi admodum rerum incorporearum cogitatio: & idearū
 consideratio mihi reddebat intellectum uolucrum, adeo ut breui
 mihi

mihi uiderer factus sapiens, stultè sperans fore ut confestim Deum uideam. hic enim finis philosophiæ Platoniciæ. sic affecto collibuit aliquando, ut quiete satiarer, secedere in solitudinem nullis tritam callibus, in rusculum quoddam maritimum. ei cum propinquarē solus futurus, senex quidam aspectu non contemnendus, mansuetos mores uultu præferens, sequebatur me interuallo modico. ut uerò me ad eum uerti, substiti acriter illum intuens, Agnoscis me? inquit. negaui. Cur igitur ita me cōtemplaris? Miror, inquam, quomodo acciderit ut eundem quem ego locum peteres. putabam enim hic reperiri neminem. sum, inquit, sollicitus de domesticis quibusdam absentibus, idèo ueni prospecturus sicunde compareant. tu uerò quid hic agis? Delector, inquã, locis talibus, ubi absq; impedimento mecum ipse colloquor, quoniam studiosis eruditionis conducunt maxime. Ergo huic, inquit, mauius studere quàm labori aut ueritati, & sophista potius uis esse quàm peritus rerum agendarum? Et quod est, inquam potius negotium, quàm rationem cuncta moderantem inuenire, & hac apprehensa perspicere huius ductu aliorum errorem, & eorum studia, quomodo nihil sanum aut deo gratum agant? cæterum sine philosophia nemo rectã rationē intelligit. quocirca oportet omnem hominem philosophari, & hanc præcipuam functionem ducere: reliqua uerò secundo tertioq; loco ponere, ut que cū philosophia coniuncta mediocriter amplectenda sunt: seiunctim uerò si tractentur, molesta & illiberalia. Tum ille, Ergo philosophia felicitatem parit? Parit, inquam, & quidem sola. Quid est, inquit, philosophia? quam felicitatem affert? dic si licet. Est, inquam, Entis scientia, & ueritatis noticia, cuius sapientiæ præmium est felicitas. Deum uerò quid uocas? inquit. Id, inquam, quod circa eadem eodē modo semper se habet, & omnium rerum causa est, Deū esse aio. Hac responsione audita ille delectatus rogauit denuò: Sciētia nōne est nomē comune rebus uarijs? nã cuiusuis artis peritus, sciēs uocatur, imperatoriæ, gubernatoriæ, medicæ, & aliarum tam humanarum quàm diuinarum? ita ne? Scientia est quæcunq; præbet uel humanarum rerum uel diuinarum noticiam. Num harum quoq; diuinitatis & iusticiæ? Estiam. Quid igitur, est ne perinde si homo sciat deum, ac si musicã, aut arithmeticam, aut astronomiam sciret, aut tale quidpiam? Nequaquam. Ergo non recte, inquit, respondisti ad meam percontationem. nam alteras scientias discendo differendoq; alteras uidentido discimus. Siquis tibi diceret, esse in India quoddã animal, naturæ diuersæ ab omnibus alijs, uarium ac multiplex, tale aut tale, nō prius

prius id quàm uisum noſſes: imò ne narrare quidē poſſes quicquā de eo, niſi auditum ex eo qui uiderit. Certe non poſſem. Quomodo igitur, inquit, philoſophi poſſunt de Deo recte uel loqui uel ſapere, cuius nullam uisu audituue compertam habēt noticiam? At qui non poteſt, inquam, oculis, mi pater, aſpici Deus ut cætera animalia, ſed ſola mente percipitur, ut ait Plato, cui ego aſſentio. Ineſt igitur, inquit, menti noſtræ talis tantæq; uis, ut ſit in percipiendo quàm ſenſus efficacior? aut poterit mens humana Deum uidere, ni ſit exornata ſancto ſpiritu? Certe Plato, inquam, ait, talē eſſe mentis oculum, & ad hoc nobis datum, ut eo clare poſſimus Ens illud cernere, quod eſt cauſa omnium rerum intelligibilium, carens colore, figura, quantitate, & cæteris quæcunq; uidet uulgaris oculus: ipſum, inquam, Ens ſuperius omni eſſentia, nullo modo effabile, ſolum pulchrum bonumq;, repente in bene natis animis exoriens propter cognationem & uidendi cupidinē. At quæ nobis eſt cum Deo cognatio? eſt ne anima quoq; diuina & immortalis, illius ipſius regię mentis particula? ita ne ut illa mens Deum uidet, noſtra quoq; poteſt numen intelligere, & hinc felicitatem aſſequi? Proſecto poteſt, inquam. Pergebat ille quærere: Omnes ne animæ capiuntur ab omnibus animalibus, an alia hominis eſt, alia equi & aſini? Reſpondi, Non: ſed eedem ſunt in omnibus. Ergo, inquit, & equi & aſini uidebunt Deum, aut uiderunt aliquando? Non, inquam, imò ne uulguſ quidem hominum, niſi qui iuſte uixerunt, purgati per iuſticiam uirtutesq; cæteras. Ergo, inquit, non propter cognationem uidet mens Deum, nec quia mens eſt, ſed quia iuſta & ſobria. Etiam, inquam: & quia habet quo Deum intelligat. Quid igitur, iniuſtæ ſunt capræ ouesq;? Nemini, inquam, faciunt iniuriam. Ergo iuxta tuam rationem hæc quoq; animalia uidebunt? Non. nam ea tale corpus impedit. Tum ille: crede mihi, ſi daretur eis ſermo, iuſtius illa noſtro corpori conuicium facerent. uerum iſta nunc ſinamus, ſit ita ut dicis. illud reſponde, in corpore ne uidet anima, an liberata ab eo? Et in humano corpore, inquam, poteſt mente cernere, ſed multo magis ſoluta, iam ſibi ipſi reddita, poteſt eo quem ſemper concupiſcebat. Meminit ne huius reuerſa in hominem? Non opinor, inquam. Quid igitur prodeſt uidiſſe, aut quid plus lucratur qui uidit, quàm qui non, ſi ne uidiſſe quidē meminuit? Non poſſum, inquam, dicere. Quid illæ quæ indignæ iudicatæ ſunt hoc ſpectaculo? quid patiuntur? Includuntur in quædã brutorū corpora, & hæc pœna eſt earū? Sciūt igitur ſe peccaſſe, & ob hanc cauſam in talibus eſſe corporibus? Non opinor. Ergo ne

his quidem sua pœna prodesse uidetur. imò ne puniri quidem eas dicerem, si pœnam non percipiunt. Non certe. Ergo animæ nec Deum uident, nec mutant sua corpora. alioqui scirent se puniri, & timerent ne posthac in peccatum inciderent, quòd autem intelligere possint, esse Deum, & iusticiam ac pietatem bonas existimare, id uerò assentio. Recte dicis, inquam. Nihil igitur de his rebus sciunt illi philosophi, nam ne hoc quidē respondere possunt, quid sit anima. Non, ut uidetur. Imò nec immortalis dicenda est, quia si immortalis, esset utiq; ingenita: quamuis immortalem & ingenitā affeuerent quidam Platonici, an forte mundū quoq; ais ingenitū? Sunt qui dicant, sed his non assentio. Recte facis, cuius enim prudentiæ fuerit, putare corpus solidum, durum, compositum, mutabile, quotidie generationem corruptionemq; recipiens, carere ortu atq; principio? quòd si mundus ortum habuit, necessariò consequitur animas quoq; sic extitisse, quæ aliquando nusquam fuerāt, factæ sunt enim propter homines cæterasq; animātes: alioqui propriam naturam haberent, non cōmunem cum suis corporibus. Ita plane se res habere uidetur. Ergo non sunt immortales. Non, quandoquidem & mundum factum comperimus. Non tamen aio mori omnes animas, id enim lucrum profecto esset malis hominibus, quid igitur? piorum animas in meliore quopiam loco degere, iniustas & malas in deteriore, ubi expectent tempus iudicij, tum uerò quæcunq; dignę Deo uisæ fuerint, non moriuntur amplius: cæteræ puniuntur quàm diu has puniri Deus uoluerit. Num tale quid dicis, quale Plato in Timæo de mundo subindicat, eum esse quidem corruptibilem in quantum est genitus, non dissoluendum tamen, nec fati sorti obnoxium, Deo sic uolente? Num idem tibi uidetur de anima & quibusuis cæteris? Videtur, quicquid enim est Deo posterius, aut unquam futurum est, naturā habet corruptibilem: & potest interire ne sit amplius, nam solus Deus ingenitus & incorruptibilis, hanc ob rem Deus est, reliqua omnia post hunc, facta sunt & corruptibilia, quapropter & moriuntur animæ & puniuntur, nam si essent ingenitæ, nec peccarent, nec essent plenæ insipientia, nec audaces, aut aduerso timidæ, nec unquam sponte migrarent in sues, serpentes, canesq;, ac ne cogi quidem eas fas esset, si quidem sunt ingenitæ, nam ingenitum ingenito est æquale, simile, idemq;, nec honore, nec potentia præferendum alterum alteri: quocirca neq; multa sunt ingenita. si enim ulla esset in eis differentia, non posset inueniri causa eius quantūuis quæ sita: nunc in infinitum cogitationem extendens, tandem fessus in uno ingenito de
fines,

fines, & hunc dices causam rerum omnium. Ergo latuerunt hæc, inquam, Platonem, Pythagoramque uiros sapientes, in quibus ceu arcem quandam philosophiæ collocabamus? Non curo, inquit, Platonem, nec Pythagoram, nec ullum prorsus opinatum talia. ueritas enim sic se habet, id inde potes discere. Anima aut uita est, aut uitam habet. Si uita est, aliud quiddam uiuificabit, non seipsam: sicut motus aliud potius mouet quam seipsum. uiuere autem animam nemo negat. quod si uiuit, uiuit non quoniam ipsa sit uita, sed ut uitæ particeps. diuersa sunt autem quod participat, & quod participatur: uitæ autem anima fit particeps, quia Deus uult eam uiuere. atque ita nunquam participabit, nisi quando Deus uolet eam uiuere. nec enim ex seipsa uiuit ut Deus: sed sicut homo non est semper, nec anima semper est in corpore, sed quando hæc harmonia dissoluitur, relinquit anima corpus, & homo esse desinit. sic quando anima interitura est, destituit eam uitalis spiritus, & posthac non est anima, sed ipsa quoque reuertitur illuc unde sumpta fuerat. Quo igitur, inquam, præceptore posthac utendum est, quis nos adiuuabit, si ne apud istos quidem est ueritas? Fuerunt quondam ante multa secula uiri antiquiores istis omnibus, qui habent pro philosophis, beati, iusti, Deo cari, loquuti diuino spiritu, qui prædixerunt quæ nunc uidemus fieri. prophetæ uocantur, hi soli ueritatem & sciuerunt & prolocuti sunt hominibus, nec ueriti quæquam, nec reueriti, non decepti opinionibus, sed ea tantum effati quæ audierunt uideruntque, repleti sancto spiritu: manent eorum scripta & hodie, licet lectori ex his utilitatem capere maximam, discendi de principijs sineque, ac cæteris quæ oportet scire philosophum illis credulum. non utuntur enim in disserendo demonstrationibus, utpote ueritatis testes fidedigniores quam ut his opus habeant. cæterum euentus præteriti præsentisque cogunt nos fidem habere horum sermonibus: quamuis etiam propter prodigia quæ patrarunt, digni fuere quibus crederetur: quoniam & deum celebrabant factorem patremque omnium, & Christum prenunciabant mittendum ab eo filium: quod pseudoprophetæ impostore impuroque spiritu pleni nec fecerunt nec faciunt, tantum obstupesciendis hominibus audent prodigiosa quædam, & illusores spiritus geniosque celebrant. tu uero ante omnia precare ut tibi aperiatur lucis ianua. non sunt enim hæc cuius perspicua, sed solis quibus intellectum dat Deus & Christus ipse. Hæc & alia plura, quæ nunc non est tempestiuum memorare, locutus ille abiit, hortatus me prius ut ea sequer: nec eum uidi postea, mihi continuo quidam ignis accensus est

in anima, correpto prophetarum amore, & illorū quicunq; Chri-
sto cari sunt: & cum mecum sermones hos reuoluerem, hanc so-
lam philosophiam comperiebam tutā & utilem: atq; ita euasi phi-
losophus. optarim autem eandem mentem & cæteris, ne à Serua-
toris uerbis discederēt. possunt enim religionem incutere à uia re-
cta deflectētibus, & meditantēs ipsa reficere quiete iucundissima.
proinde si tibi ipse cordi es, si ad salutē aspiras Deo fretus non alie-
no ab hoc negotio, licet tibi per agnitum Christum Dei ad perfe-
ctionem felicitatemq; peruenire. Hæc ubi amicè locutus sum, ris-
sum sustulerunt Tryphonis comites. ipse autē subridens, Placent,
inquit, hæc: & probo tuum istud tam uehemens rerum diuinarū
studium. melius tamen faceres, si adhuc cum Platone philosopha-
reris, aut alio quopiam cultore fortitudinis, temperantiæ, sobrieta-
tisq; quàm quod uerbis te decipi passus es mendacibus, & induci
in sententiam nullius pretij hominum: manenti enim tibi in illo in-
stituto philosophiæ, & innocenter uiuenti, supererat melioris fati-
spes: postquam autem relicto Deo spem collocasti in homine, quā
salutem habes reliquā? ergo si & me audire uis (nam te amicū iam
existimo) circumcissionem primū accipe, deinde obseruationem
sabbatorum, nouiluniorum, & ceterorum Dei festorum, & semel
omnium quæ lex præscribit, tum demum habiturus Deum propi-
tium. Christus autē sit ne natus, & ubi sit, nescitur: imò ipse se non-
dum scit, nec ullā potestatem habet, donec Elias ueniat, & unctū ma-
nifestet omnibus. uos uano rumore persuasi Christū uobis quēdā
fingitis, & propter eum temere in perniciem ruitis. Ignoscatur tibi,
inquam, ô homo & remittatur. nescis enim quid dicas, sed cre-
dens doctoribus scripturas non intelligentibus, & seductus falsis
uaticinijs, loqueris quicquid in mentem uenit. quod si libet, redde-
tur tibi ratio. nos non errare, sed constanter facere dum perseuera-
mus in huius confessione, etiamsi probris nos afficiāt homines, &
negare cogant tyranni crudelissimi. nam euestigio declarabo, nos
non uanis credere fabulis, neq; dubijs sermonibus, sed plenis diui-
no spiritu, uirtute scatentibus, & gratia florentibus. Hic rursus ca-
chinno & occlamatione indecora exceptus sum ab eius comiti-
bus. tum ego parabā discedere. ille uerò me prehensum pallio nega-
bat prius dimissurum se, quàm præstarem pollicita. Ergo, inquam,
ne obstrepant tui socij, nec tumultuentur tam turpiter, sed si uolūt
audiant quieti silentesq;: aut abeant siquid habent negotij, per
quod eis auscultare non uacat: nos uerò in aliquo secessu quiescen-
tes pergamus colloqui: Placuit Tryphoni hæc conditio, itaq; di-
gressi

gressi sumus ab illis in aream porticus. ex quibus duo cauillati in nostrum studium abierunt. nos uero postquam eò peruenimus ubi sedilia saxea sunt sibi inuicē opposita, in altero confedit Tryphon cum socijs, & à quodam iniecta mentione belli Iudaici, colloquebantur. postquam cōticuerunt, ego sic incepi denuo: Nihil ne in nobis aliud culpatis uiri amici, præter hoc quod non secundum legē uiuimus? & secus quam maiores uestri carnem non circumcidimus, nec ritu uestro seruamus sabbata: an forte uita etiam moresq; nostri displicent: hoc quæro, num & uobis persuasum est, nos humanis uesci carnibus, & post epulum extinctis lucernis in incestis uolitari libidinibus: an hoc ipsum damnatis, quod credamus sermonibus, quos alienos à ueritate putatis? Hoc est quod miramur, inquit, Thryphon. uulgi autem rumores nequaquam fide digni sunt. non cadunt enim in humanam naturam. in uestro autē, ut uocatis, Euangelio tam ardua mirandaq; mandata inesse scio, ut arbitrer ea seruari posse à nemine. curauī enim ut ea legerem. Illud est in quo hæremus præcipue, quod uos qui pietatem profitemini, & cæteris meliores uideri uultis, nulla in re ceditis eis, nec differtis uita à profanis gentibus, dum nec festa seruatis nec sabbata, nec circumcisionē habetis, & insuper in homine crucifixo spē collocatis, & tamē speratis uos impetraturos boni aliquid à Deo, cum eius mandata nō faciatis: an non legisti quod exterminabitur anima illa è suo genere, quæcunq; non circumcidetur octauo die: idem & de alienigenis & de empticijs præcipitur. ab huius instituti contemptu exorsi negligitis etiam sequētia, & postulatis ut credamus notum esse uobis Deum, cum nihil agatis eorum quæ religiosi agunt. Hæc obiecta si potes diluere, & declarare quomodo speretis quidlibet, etiam si legem non seruetis, libenter te audiam, & similiter examinabimus cætera. Tum ego: Nō erit unquam alius Deus mi Trypho, neq; fuit à seculo, præter factorē & ordinatorē huius uniuersi: nec alium nostrum, alium uestrum existimamus Deum: sed illum ipsum qui eduxit patres uestros è terra Ægypto in manu potenti & excelso brachio: neq; speramus in ullum alium. non enim est, sed in eum in quem & uos, Deum Abrahami & Isaaci & Iacobi. Speramus autem nō per Mosē, neq; per legem: alioquin idem quod uos faceremus. nunc quoniam memini me legere mi Trypho prædictionem de lege postrema testamentoq; omnium ualidissimo, quod iam debet seruari ab omnibus hominibus, quot quot dei hæreditatem affectant: nam illa in Ore promulgata lex, antiquata iam, uestra tantum est, hæc uero prorsus omnium: lex

porrò legi substituta priorē fecit irritā, sicut & testamentū recētius
 antiquiori omnē uim ademit: sempiterna nobis & ultima lex Chri-
 stus datus est, & testamentū fidele, post quæ nō lex ulla, nō manda-
 tum, nō præceptū sequet̄. annō legisti quæ dicit Esaias: Audite me,
 audite me popule mi, & reges auribus percipite, quòd lex egrediet̄
 à me & iudiciū meū in lucē gentium, propinquat celeriter iusticia
 mea, & egrediet̄ salutare meū, & in brachiū meū Gentes sperabūt.
 Per Ieremiā quoq; de hoc ipso nouo testamēto sic loquit̄: Ecce dies
 ueniūt, dicit Dominus, & faciā testamentū domui Israel, & domui
 Iuda, testamentū nouū, nō quod feci patribus eorū in die qua pre-
 hendi manum eorum, ut educerem eos è terra Ægypto. Ergo si
 Deus testamentum nouum iam dudum denunciauit, idēq; in lucem
 Gentium: & uidemus, certoq; scimus, per nomen eius, per illū cru-
 cifixum Iesum Christum, ab idolis cæteraq; iniquitate cōuersos ad
 Deum, & usq; mortē perdurantes in cōfessione pietateq;: tum ex
 operib. tum è comitante uirtute perspicuum fit omnibus, hanc esse
 nouam legem, hoc nouū illud testamentū, hanc expectationē cun-
 ctarum gentiū, bona diuinitus expectantium. nam uere Israelitica
 spiritualisq; progenies Iudæ, Iacobi, Isaaci, Abrahamiēq; illius in
 præputio fidei testimoniū & benedictionē à Deo p̄meriti, uocati
 que patris multarū gentiū nos sumus, per hūc crucifixū Christum
 Deo cōciliati, sicut p̄cedente sermone demonstrabit̄. His addebam
 quod & aliubi Esaias clamat: Audite mea uerba, & uiuet anima ue-
 stra: & statuā uobis testamētū sempiternū, sancta David fidelia. ec-
 ce testē eū dedi gētibus. gētes quæ nō norāt te, inuocabūt te. popu-
 li qui nesciūt te, cōfugiēt ad te: p̄pter Deū tuū illū sanctū Israelis,
 quia te celebrē esse uoluit. Hanc ipsam legē spreuistis uos, & uili-
 pendistis illud nouū testamentū eius sanctissimū: ac ne nūc quidē
 accipitis, neq; malorū facinorū p̄nitentiā agitis. adhuc enim aures
 uestre obturate sunt, oculi cæcati, cor crassius redditū, sicut occla-
 mat Ieremias: ac ne sic quidē auditis, præsto est legislator, & nō ui-
 detis. pauperes Euāgeliū, cæci uisum accipiūt, & nō intelligitis. se-
 cūda iā circūcisione opus est, & uos p̄pter carnē extollimini. hæc
 noua lex sabbatū à uobis perpetuū exigit, & uos otīū unius diei
 religionē absolutā putatis, nō intelligētes cur id uobis imperatum
 sit: tū quoties pane nō fermētato uescimini, uoluntati Dei uos dici-
 tis satisfacere: nō ista placēt Domino Deo nostro. si quis est inter
 uos periurus aut fur, desinat: si quis adulter, resipiscat: & feriat
 est illo iucūdo ueroq; Dei sabbato. si quis impuras manus habet,
 lauato, & purus erit. Esaias certe nō mittit uos ad balineū, ablutus
 ros ibi

ros ibi cædē peccataq; cætera, quæ ne mare quidē quantū est ex-
 piaret: sed ut apparet dudū per hæc significabat salutare lauacrū,
 quod sequit̄ pœnitentiã: quando nō iam sanguine hircorū ouiuq;
 nec cinere iuuençæ, nec similæ oblatione purificamur, sed fide per
 sanguinē Christi mortēq; ipsius, qui propterea mortuus est, sicut
 ait idē Esaias: Reuelauit Dominus brachiū sanctū suū in cōspectu
 omniū gētīū: & uidebūt omnes gētes, & extrema terræ, salutē mis-
 sam à deo. Recedite, recedite, recedite, exite inde, & polluta ne teti-
 geritis: exite de medio eius: absistite qui fertis uasa Domini, quia
 nō cū tumultu pficiscemini, præcedet em̄ uos Dominus, & cōgre-
 gabit uos Dñs Deus Israel. Ecce intelligēt puer meus & extolletur
 & celebrabit̄ ualde. Sicut obstupescēt super te multi, sic inglorius
 erit aspectus tuus & tua forma inter homines, ad eō mirabunt̄ eum
 gentes multæ, & reges cōtinebunt os suū: quia quibus nō est renū-
 ciatū de eo, uidebūt: & qui nō audierunt, intelligēt. Domine quis
 credidit auditui nostro: & brachiū Domini cui reuelatū est? Nun-
 ciauimus ante illū ut seruuus, ut radix in terra sitiētī. nō est species
 ei neq; decor, & uidimus eū, & nō habebat speciē nec pulchritudi-
 nē: sed erat spēs eius despecta, & deterior filijs hominū. homo affe-
 ctus plaga, & sciēs ferre lāguorē, quia uultus eius auersus est. despe-
 ctus fuit & nullius reputationis. hic peccata nostra fert, & pro no-
 bis dolet. nos uerò putauimus eū in labore esse, & plaga & afflictio-
 ne. at ille uulneratus est propter peccata nostra, & infirmatus est
 ppter iniquitates nostras. disciplina pacis nostræ super eū, & uibi-
 ce eius sanati sumus. omnes quasi oues errauimus, homo uia sua er-
 rauit, & Dñs tradidit eū peccatis nostris: & ipse ppter afflictionē
 nō aperit os suū. sicut ouis ad mactationē ductus est: & sicut agnus
 corā tōdēte se mutus, sic nō aperuit os suū. in humiliatione & iudi-
 cio sublatus est: generationē autē eius quis enarrabit? quia tollit̄ de
 terra uitaeius. ppter scelera populi mei ductus est ad suppliciū: &
 dabo impios pro sepultura eius, & diuites pro morte eius: quia ini-
 quitatē nō fecit, nec dolus inuētus est in ore eius. & Dñs uult cōte-
 rere eū uerbere. Si deī pro peccato anima uestra, uidebit̄ semē lon-
 gæuū. & uult Dominus detrahere de labore animæ eius, ut osten-
 dat ei lucē, & ut formet eū in prudētia, ut iustificet iustū bene ser-
 uientē multis, & peccata eorū ipse portabit. ideo ipse hæreditabit
 multos, & diuidet spolia fortiū, à quibus tradita est in mortē ani-
 ma eius, & inter iniquos reputatus est: & ipse peccata multorū tu-
 lit, & ppter iniquitates eorū fuit traditus. Lætare sterilis quæ nō
 paris, erūpe in clamorē quæ nō parturis: quoniã multi filij deserte,

magis quàm eius quæ habebat uirum. Dixit enim Dominus: dilata locum tentoriij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas, longos fac funes tuos, & paxillos tuos consolida. ad dextram & ad læuam expande, & semen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates desertas habitabis. noli timere confusa, nec erubescere affecta opprobrijs: quia cõfusionis æternæ obliuisceris, & opprobriij uiduitatis tuæ non recordaberis amplius. quia Dominus fecit nomen sibi, & qui eruit te, ipse Deus Israel omni terræ uocabitur, ut mulierem derelictam & pusillanimam uocauit te Dominus, ut uxorem exosam ab adolescentia. Ergo per lauacrum pœnitentiæ & noticiæ Dei, quod ad expiandã iniquitatem populorum Deo dicatorum fuit institutum, ut Esaias clamat, nos credidimus, & certo scimus, hoc esse illud baptisma quod olim prænunciatum fuerat, quod solum purificare pœnitentes potest, quod est aqua uitæ, isti autem putei quos uobis ipsi fodistis, cõtriti sunt & ad nihil uobis utiles. quæ enim est utilitas istius mersationis, carnem solã reddētis nitidiorem: eluite iram, auariciam, inuidiã, odium ex anima. en uobis puritatem corporis. hoc enim significatur per panes azy mos, ne faciatis male fermentata opera uetera. at uos omnia carnaliter intelligitis, & putatis pietatem, si talia faciendo habeatis animam plenam dolo & omnimoda malicia. ideo post septem dies azy mos nouum fermentũ uobis maceratis ex præcepto Dei, quod significat actionem aliorum operũ, non imitationem pristinorum malorumq;. Quod autem hæc à uobis ille nouus legislator postulet, recitabo uobis iterum uerba quæ prius, & alia quædam adijciam. Audite me, dicitur per Esaiam, & uiuet anima uestra, & faciam uobis testamentum æternum, sancta Dauidis fidelia. ecce testem gentibus dedi eum, principem ac imperatorem populis. gentes quæ nesciebant te, inuocabunt te: & populi qui te ignorant, ad te confugient, propter Deum tuum sanctum illũ Israelis, quia celebravit te. quærite Deum, & cum inueneritis inuocate, dum prope est. Relinquat impius uias suas, & uir iniquus consilia sua, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, quoniam multus est ad ignoscendum. non sunt enim consilia mea, sicut consilia uestra: neq; uia meæ, sicut uia uestræ: sed quantum abest cœlum à terra, tantũ absunt uia meæ à uis uestris, & cogitationes meæ à cogitationibus uestris. & quomodo descendit imber & nix de cœlo, & illuc ultra non reuertitur, sed inebriat terram rigans & germinare faciens, ut det semen serenti & panem comedenti: sic erit uerbum meum quod egredietur ex ore meo. non reuertetur donec faciat quæcunq;

quæcunq; uolui, & prosperetur in his ad quæ misi illud: quia in læticia egrediemini, & in gaudio docebimini. nam montes & colles exultabunt expectando uos, & omnes arbores regionis plaudent ramis suis. pro saluica exorietur cupressus, & pro urtica myrtus: & erit Dominus nominatus in signū æternū quod nō auferetur. Hæ prædictiones prophetarū, mi Trypho, partim primū aduentum Christi nunciāt, quādo inglorius, indecorus, mortalisq; in lucem proditurus canit: partim secundū, quādo gloriose nubibus inuectus ueniet cōspiciuus uestro populo, & agnoscēt quē punxerūt, sicut Osee unus ex duodecim pphetis & Daniel prædixerūt. Ieiunium quoq; uerū Deo ieiunare, ut ei placeatis, ex Esaia discite sic docente: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta uocē tuā, & annuncia populo meo scelera eorū, & domui Iacob peccata eorū. Me em̄ de die in diē quærūt, & scire uias meas uolūt, quasi gēs quæ iusticiā fecerit, & iudiciū Dei sui nō dereliquerit, rogāt me iudicia iusticiæ, & appropinquare Deo uolūt. quare ieiunauimus, & nō aspexisti: humiliauimus animas nostras, & nescisti: ecce in die ieiunij uestri inuenit uolūtas uestra & omnes debitores uestros repetitis. ecce ad lites & cōtentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiē. nolite ieiunare sicut usq; ad hāc diē ut audiat in excelsis clamor uester. nūquid tale est ieiunium quod elegi, per diē affligere hominē animā suā: nūquid contorquere quasi circulum caput suum, & sacco cineremq; sternere: nūquid istud uocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino: nōne hoc est magis ieiunium quod elegi: dicit Dominus. Dissolue omnes colligationes impietatis, solue pacta uiolēter grauantia. dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omnes syngraphas iniustas lacera. Frange esurienti panem tuum, & egenos uagosq; induc in domum tuam. si uideris nudum, operi: & domesticos seminis tui ne despexeris. tunc erumpet matutinum lumen tuum, & sanitas tua breui exorietur. & præibit ante te iusticia tua, & gloria Domini amicitet te. tunc inuocabis, & Dominus exaudiet te: clamabis, & dicet: Ecce adsum. quod si sustuleris obligationes, pacta, obmurmurationes, & dederis esurienti panem tuum ex animo, & animam oppressam satiaueris, tunc exorietur in tenebris lumen tuum, & tenebræ tuæ fient meridies, & erit Deus tuus tecum semper, & saturaberis iuxta desiderium animæ tuæ, & ossa tua impinguabuntur, & erunt sicut hortus irriguus & fons aquarum, & terra quæ nunquam aquis destituitur. Proinde circumcidimini præputium cordis uestri, sicut Deum uelle ex ipsis uerbis intelligitis, qui per Mosem quoq; sic clamat: Circūcidite præputiū cordis

cordis uestri, & ceruicem uestram ne induretis amplius, quia dominus deus uester, ipse est deus deorum & dominus dominantium, deus magnus, potens, terribilis, qui personam non accipit nec munera. & in Leuitico: Præuaricati sunt, & despexerunt me, & ambulauerunt coram me oblique: ambulabo igitur & ego cum eis oblique, & in solo hostico perdam eos: tunc erubescet incircumcisum cor eorum. Nam circumcisio carnalis Abrahamo in signum data fuit, ut ab alijs gentibus & à nobis discerneremini, & ut uobis solis calamitates incumberent, quas nunc iuste patimini: ut agri uestri fiant deserti, oppida deleantur incendio, fruges uobis inspectantibus ab hoste deuorentur, & nemo uestrum audeat ascendere Hierosolyma. non est enim aliud discrimen inter uos & mortales ceteros, præter carnis circumcisionem. nemo enim uestrum, ut opinor, perfricta fronte negabit, Deum præuidisse præuidereque futura, & cuique præparare quo dignus est. ergo uobis quoque hæc merito acciderunt. occidistis iustum illum, & prophetas eius antea: nunc quoque nos, qui speramus in eum & in omnipotentem rerum factorem Deum à quo missus est, uilipenditis: & quantum in uobis est, notatis ignominia, execrando in uestris synagogis quotquot in Christum credunt. nec enim potestis nobis manus cruentas iniicere, cohibiti metu imperatorum: quoties autem potuistis, hoc etiam perpetrastis: quapropter Deus per Esaiam uos increpat: Videte ut perijt iustus ille, & nemo considerat. nam è conspectu iniustorum iustus sublatus est, erit in pace sepultura eius, sublatus est è medio. uos eum huc adegistis scelerati filij, semen adulterorum, & meretricis progenies, cui tandem illuditis: contra quem aperitis os? contra quem linguam laxatis? Non sunt enim ceteræ gentes huic iniquitati, qua nos & Christum exagitatis, sic obnoxia ut uos, quibus etiam pessimæ uoluntatis erga iustum illum fuistis occasio. postquam enim crucifixistis illum solum innocentem iustumque hominem, per quem sanantur uibices eorum qui per ipsum ad patrem accedunt, & cognouistis eum rediuiuum ascendisse in cælum, sicut propheta prædixerant: non solum non egistis scelerum poenitentiam, sed selegistis certos homines Hierosolymis, quibus per omnes terras dimissis rumores sparsistis de Christianorum secta impia, confectis aduersus nos criminibus, quæ ab ignaris audimus. itaque non uobis solis peccati causa estis, sed & cæteris omnibus hominibus, ut merito uociferetur Esaias: Propter uos nomen meum conuicijs impetitur à Gentibus. Et: Væ animæ eorum, quoniam inierunt consilium malum contra se ipsos, dicentes: Vinciamus iustum,

stum, quia nobis inutilis est. ideo fructum operum suorum comedent. Væ iniquo. mala enim iuxta opera manuum eius retribuuntur ei. Et rursus alibi: Væ qui trahitis peccata uestra quasi fune longo, & iniquitates uestras quasi loro iugali uitulæ. qui dicitis, appropinquet eius celeritas: ueniat consilium sancti Israel, ut sciamus illud. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: qui facitis è luce tenebras, & è tenebris lucem: ex amaro dulce, & è dulci amarum. Vos igitur illum solum innocẽtem & iustum, à Deo missum ut esset lux hominum, data opera per omnes terras amaris & tenebris iniustisq; appetistis calumnijs. molestus enim uisus est, occlamans uobis ut scriptum est: Domus mea domus orationis uocabitur, uos autem fecistis eam speluncam latronum. mensas quoq; numulariorum in templo subuertit, subinde clamitans: Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui & decimatis mentam & rutam, cæterum dilectionẽ Dei & iudicium negligitis. Sepulchra incrustata, externè speciosa, intus plena mortuorũ ossibus. Item in scribas, Væ uobis scribæ, quia claues habetis: ipsi non intratis, nec alios intrare sinitis, cæci duces. Cùm enim fatearis mi Trypho, legisse te seruatoris nostri doctrinam, nõ inconuenienter, opinor, pauca illius uerba prophetica addidi. Lauamini ergo & nunc, repurgamini, eximite ex animis uestris maliciam. tale uobis lauacrũ, & ueram circumcisionẽ, Deus imperat. nos enim & hanc carnis mutilationem, & sabbata, & omnia festa obseruaremus simpliciter, nichil causam sciremus cur uobis hæc mandata sint, nimirũ propter iniquitatem uestram & cordis duriciem. cùm enim feramus quicquid homines dæmonesq; mali contra nos moliuntur, usq; ad mortem & cruciatus uix effabiles, & insuper oremus pro infestantibus, ne minimam quidem uicem reponendo, sicut ille nouus legislator nos iubet: cur non ferremus quæ nihil lædunt? circumcisionẽ carnis dico & sabbata festaq;. in hoc enim hæremus, cur talia tantaq; tolerantes non sustineamus hæc de quibus quæritur. uidelicet nõ omnibus est necessaria hæc circumcisio. sed uobis solis, ut quod iam dixi, calamitates præsentis feratis. nam neq; mersationes illas inutiles, quæ in piscinis & aquis putealibus fiunt, recipimus: nihil sunt enim collatæ ad hoc uitæ lauacrũ. ideo clamat ipse Deus: Me dereliquistis fontem uiuum, & fodistis uobis cisternas perforatas, quæ aquam continere nequaquam poterunt. Vos in carne circumcisi, opus habetis nostra circumcisio: nos hac contenti, non desideramus illam alteram: quæ si fuisset, ut uos existimatis, necessaria, Deus Adamum præputiatum nõ sinisset, nec Abelis dona,

dona, in præputio carnali offerentis uictimas, dignatus fuisset aspicere, nec Enochum æquè præputiatum comprobasset, qui nusquã comparebat, quia Deus eum transtulerat. Lot incircumciscus euasit è Sodomis, deducuntibus eum ipsis angelis & Domino. Noe humani generis instaurator, licet incircūciscus tamen unã cum liberis arcam intrauit. incircumciscus erat Melchisedech sacerdos Altissimi, cui etiam Abrahamus decimas obtulit, primus carnaliter circumciscus, & ab illo benedictionē accepit: secundum cuius ordinē æternū sacerdotē Deus se uelle instituere, prædixit per Dauidē. uobis igitur solis necessaria fuit ista circūcisio: ut ex populo fieret non populus, & ex gentē non gens, iuxta Osee duodecim prophetarum unius uaticiniū. omnes enim modo nominati iusti uiri Deo sine sabbatorum obseruatione placuerūt, & post eos Abrahamus eiusq; progenies uniuersa ad Mosē usq;, cuius tempore populus in deserto impietatem suam & ingratitudinem prodidit, erecta statua uitulo. quapropter Deus accommodans se populi moribus, etiam sacra fieri iussit & uictimas offerri, tanquam suo nomini, ne idolis seruiretis. quod tamen non obseruastis, adeo ut liberos mactaretis dæmonijs, eadem ratione imperata sunt sabbata, ut Deum uobis reuocarent in memoriã. nam ipse hoc indicat his uerbis: Vt sciatis me esse Deum qui in libertatē uos uindicauit. sic & cibis quibusdam uobis interdixit, ut uel inter comedendū bibendūq; haberetis eum præ oculis, alioqui ad obliuionem eius procliuēs & faciles, sicut Mosēs quoq; testatur: Comedit bibitq; populus, & surrexit ut luderet. ac rursum: Edidit Iacob, saturatus & impinguatus est, & recalcitrauit ille dilectus. impinguatus, in crassatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum. nam Noe iusto Deū concessisse ad cibum omne genus animalium, excepta cruenta carne, Mosēs narrat uobis in libro Geneseos. Cumq; ille subiicere uellet, ut olera herbæ: præoccupauit addens ipse hæc uerba, ut olera herbæ: quod non est, inquam, sic accipiendum, ut quia deus quemadmodum homini permisit cibatum ex oleribus, ita uiscerationē ex animalibus, intelligatis iam tum Noe seculo discrimen factum inter animalia. nam cum possim dicere, quod uis oleris herbam esse, & comestum uires roborare, in hoc non immorabor: sed si olera herbæ discernimus non admittendo in cibos omnia, non ut impuris abstinemus, sed quod amara sint, aut spinosa, aut letifera. quicquid autē bonitate suauitateq; ad alimenta est utile, seu marinum seu terrestre, libenter admittimus. sic & Deus per Mosē uos iussit auersari quicquid impurum, iniquum, iniustum est, quoniam tum quoq;

cūm

cum m̄ana uos in deserto aleret, & tot prodigia uideretis inter uos diuinitus fieri, adorabatis effigiē aurei uituli. itaq; meritō clamare nō desinit: Imprudentes filij, nō est fides in eis. Ob eas iniquitates uestras maiorūq; uestrorū, pro signo (ut dixi) Deus sabbatū uobis seruandū iniunxit, & m̄adata cetera imposuit: declarās quōd propter profanas gentes, ne male audiret nomē suū apud eas, passus sit uestri generis quosdā esse superstites. ipsius uerbis credite, quę per Iezecielē sic loquutus est: Ego Dominus deus uester, in pr̄ceptis meis ambulate, & iudicia mea custodite: à studijs Ægyptiorū caute, & sabbata mea sanctificate, ut sint signū inter me & uos, & sciat̄is quia ego sum Dñs deus uester. Et exasperastis me, & filij uestri in preceptis meis nō ambulauerūt, & iudicia mea nō custodiuerūt ut facerēt ea: quę cū fecerit homo uiuet in eis: sed sabbata mea uiolauerūt. Et minatus sum fore ut effunderē furorē meū super eos in deserto, & explerē irā meā in eis: nō feci tamē propter nomen meū ne uiolaretur corā gentibus. eduxi eos in conspectu earū, & leuaui manum meam in eos in solitudine, ut dispergerē in nationes, & in regiones dissiparem: eo quōd iudicia mea non fecissent, & pr̄cepta mea reiecissent, & sabbata mea uiolassent, & post desideria patrum suorum fuissent oculi eorum. Et ego dedi eis pr̄cepta non bona, & iudicia in quibus non uiuent: & polluam eos in muneribus suis, cū offerent omne quōd aperit uuluam, ut deilem eos. Quōd autem propter peccata & idololatrias populi uestri, non quōd his oblationibus egeret, mandarit uobis hęc sacrificia, audite quid dicat per Amos unū ē duodecim clamans: Væ desiderantibus diem Domini. ad quid eam uobis: dies Domini ista, tenebrę, & nō lux. quomodo effugiat uir à facie leonis, & occurrat ei ursus: & infiliat in domum suam, & innitatur manibus super parietē, & mordeat eum coluber. Nūquid nō tenebrę dies domini & nō lux: & caligo non habens splendorē? Odi & proieci festa uestra & nō olfaciam nidorē celebritatum uestrarum, quoniam si obtuleritis mihi holocaustomata & uictimas uestras, nō accipiā: & uota pro salute uestra non exaudiam. aufer à me tumultum carminū uestrorum psalmorumq; organis tuis nō delector. Et uoluetur quasi aqua iudiciū, & iusticia quasi torrens inuadabilis. nunquid hostias mactastis mihi in deserto, domus Israel: dicit Dominus. Et assumpsistis tabernaculū Moloch, sidus dei uestri Raphan, imagines idolorū quę fecistis uobis. Et trāseram uos ultra Damascum, dicit dominus, Deus omnipotens nomen eius. Væ uobis qui monti Sion illuditis freti monte Samarię, optimates populorum, qui decimatis

nationibus intratis in domum Israel. transite in Chalannen & uide
 te, & ite inde in Emath magnā, & descēdite inde in Gethi optimas
 urbes horum regnorum: uisuri si latior uestro est ager eorum, qui
 separati estis in diē malū, qui ferijs abutimini: qui cubatis in spon-
 dis eburneis, & lasciuitis in stratis earū. qui editis agnos egregios,
 & uitellos lactentes eximios. qui tripudiatis ad instrumentorū mu-
 sicorū sonitū, putantes hanc uoluptatē diuturnā, nō fugiturā con-
 tinuo. qui potatis uinū è phialis, delibuti unguentis primarijs, nō
 condolentes Iosephi posterorū calamitatibus. quapropter nūc ca-
 ptiui traduentur à potentioribus in nouas colonias, & mutabitur
 maleficorū domiciliū, & equorū hinnitus ex Ephraim auferetur.
 Rursum per Ieremiam: Conferte in unum usum uiscerationes ue-
 stras & maclatas uictimas, & ipsi edite. nihil de uictimis libationi-
 busq; mandauit patribus uestris, qua die manum eorū apprehendi-
 ut eos è terra Ægypto educerē. Rursum per Dauidē Psalmo qua-
 dragesimonono sic loquitur: Deus deorū dominus loquutus est,
 & uocauit terrā: à solis ortu usq; ad occasum, ex Sion species deco-
 ris eius. Deus manifeste ueniet: deus noster, & nō silebit. Ignis in
 cōspectu eius exardescet, & in circuitu eius tēpestas ualida. Aduo-
 cavit cœlū desursum, & terrā ut discernat suū populū. Congregate
 illi sanctos eius, qui exequentur institutū eius de sacrificijs. Et an-
 nunciabunt cœli iusticiā eius, quoniā deus iudex est. Audi popule
 mi, & loquar: tu Israel & testabor tibi: Deus deus tuus ego sum, nū
 in sacrificijs tuis arguam te? holocaustomata tua repræsentas mihi
 semper. Nō accipio de domo tua uitulos, neq; de gregibus tuis hir-
 cos anniculos. quia meæ sunt omnes ferę agrestes, iumēta in mon-
 tibus & boues. Noui omnes uolucres cœli, & amœnitas agri meę
 potestatis est. Si esuriero nō dicā tibi: meus est enim orbis habitabi-
 lis, & quicquid eo cōtinetur. nūquid uescor taurorū carnibus, aut
 bibo hircorū sanguinē? Immola deo sacrificiū laudis, & redde al-
 tissimo uota tua. Et inuoca me in die tribulationis: eruā te, & cele-
 brabis me. Peccatori autem dixit deus: Quare tu enarras iusticias
 meas, & assumis testamentū meū per os tuū? tu uerò odisti discipli-
 nā, & reiecisti sermones meos post tergū. Si uidebas furē currebas
 cū eo: & adulterorū fiebas particeps. Os tuū abundauit malicia, &
 lingua tua cōcinnabat dolos. Sedens tuo fratri obloquebaris, &
 germano ponebas offendiculū. hæc fecisti, & tacui. putabas me ti-
 bi fore iniquitate similē? arguā te, & in os ingerā tibi peccata tua.
 Intelligite hæc qui obliuiscimini deū, nequādo rapiat, & nō sit qui
 eripiat. Sacrificiū laudis honorabit me: & illic uia qua ostendam
 ei saluta

ei salutare meum. Ergo nec uictimas à uobis requirit, nec cum pri-
 mum hæc mandauit indigebat eis, sed sic peccata uestra postula-
 bant. nam nec templum illud Hierosolymitanum, quod opus ha-
 beret eo, probauit ut suum domiciliū: sed hoc tantum agebatur, ut
 ad illud reuocaremini ab idololatria. id ita esse confirmat Esaias di-
 cens: Qualem domū ædificabitis mihi? ait Dominus. Cœlū mihi
 sedes, terrā scabellum pedum meorum. Quod ni sic se habere fatea-
 mur, in multas absurditates incidemus, & cogitabimus, non eun-
 dem fuisse Deum seculo Enochī cæterorumq̃, qui nec circumcisi
 fuerunt, nec seruauerunt sabbata, nec alia præcepta Mosaica: aut
 non semper idem fuisse ius uniuersale gentium: quæ nemo non di-
 xerit stulta & ridicula. illud potius fatendū, eum cum idem sit sem-
 per, hæc & similia mandasse propter peccata hominum, ut qui a-
 mans humani generis huic perpetuò prospicit, ipse rei nullius in-
 dignus, repræsentans ultrò suam benignitatem atq̃ iusticiam. alio-
 quin si res secus se habet, respondete mihi boni uiri, quid sentiatīs
 de his quæstionibus. Cumq̃ nemo quicquam responderet, perge-
 bam: Quapropter mi Trypho, tibi & ihs qui uolunt fieri profelyti,
 occlamarē ego diuina uerba, quæ ex illo uiro audiui. uidetis quòd
 elementa non feriantur, nec agunt festum sabbato: manete ut nati
 estis. nam si ante Abrahamum nō erat opus circumcisione, nec an-
 te Mosē sabbatis, festisq̃ ac uictimis, ne nunc quidem opus est,
 postquam uolente Deo sine peccato ex genere Abrahami de Vir-
 gine Iesus Christus natus est. etenim Abraham ipse nondum cir-
 cumcisi, propter fidem qua Deo credidit iustificatus est, & bene-
 dictionem accepit ab eo, ut & scriptura docet: circumcisionem ue-
 ro in signum non ad iustificationem, ut scripturis & rei ueritati cre-
 dendum est. itaq̃ merito dictum est de illo populo: Anima quæ-
 cunq̃ non circumcidetur octauo die, exterminabitur è suo genere.
 præterea cum non possit scemininum genus carnalem circumci-
 sionem assumere, satis apparet, in signum datam circumcisionē, nō
 tanquam opus iusticiæ. quicquid enim ad iusticiā uirtutemq̃ per-
 tinet, etiam sceminis Deus dedit ut ex æquo seruare possent. nunc
 uidemus masculi corporis formam differre à scemineo, tamē quan-
 tum ad hæc attinet, neutrum censerī iustum iniustum ue, sed pro-
 pter pietatem ac iusticiam. Possē & illud manifestis agumentis,
 euincere, quòd per hanc octauam diem Deus mystice significabat
 eam esse potiore septima. sed ne uidear nunc sermonis diuerticu-
 la quærere, clara uoce moneo uos ut intelligatis sanguinem illū cir-
 cumcisionis iam superuacuū, & sanguini salutare nos credere. aliud

nūc testamentū, & alia lex è Siō prodijt. Iesus Christus omnes eos qui uolūt circūcidit iuxta prisca p̄sagia cultris lapideis: ut exoriat̄ tur gēs iusta, populus tenax fidei, cupidus ueritatis, & in pace perseverās. Adeste omnes qui Deū timetis, qui desideratis uidere felicitatē Hierusalē. adeste ut ambulemus in luce Domini. inuifit enim domū Iacob suū populū: uenite omnes gētes, cōfluamus in Hierusalē hāc, quæ iam nō infestat̄ p̄pter iniquitates populorum. cōspicuus factus sum, inquit, his qui me nō querebāt & inuētus sum his qui de me nō scitabantur. Sic enim clamat Esaiās. Dixi p̄ssto sum gentibus quæ nō inuocarūt nomē meū. extēdi manus meas per totum diē uersus populū responsatorē & incredulū, qui nō ambulat in uia bona, sed peccata sua cōsectat̄. populus exasperator est in cōspectu meo. Contenti essent uel exiguā fortē in hæreditate nostra capere isti, qui sibi iusti uident̄, & iactant se Abrahami posteros, sicut per Esaiā clamat spiritus sanctus ex persona ipsorum loquēs: Aduerte è cælo, & ex inclyta domo tua p̄spice ubi est zelus tuus & fortitudo tua, multitudo uiscerū tuorū & miserationū tuarū: super me cōtinuerūt se. Tu em̄ pater noster, & Abrahā nesciuit nos, & Israel ignorauit nos: tu domine pater noster & redēptor noster, à seculo nomē tuū. quare errare nos fecisti dñe de uijs tuis, indurasti cor nostrū ne timeremus te: cōuertere p̄pter seruos tuos, p̄pter tribus hæreditatis tuę, ut parua pars montis sancti tui nobis inhereditatē obueniat. facti sumus quasi à principio cū non dominareris nobis, nec inuocaret̄ nomē tuū super nos. utinā dirūperes cælos, tremor occuparet mōtes, & liquarent̄ sicut cera igne soluit̄. cōbureret ignis inimicos tuos, ut innotescat eis nomē tuū: in aduentu tuo gētes trepidabūt, cū facies p̄digia, tremēt mōtes p̄ metu. à seculo nō audiuimus, nec oculi nostri uiderūt Deū p̄ter te, & opera tua, qui facies clemēter omnibus respicientibus. occurristi faciētibus iusticiā, memores erūt uiarū tuarū. ecce tu iratus es, & peccauimus: idcirco errauimus, & facti sumus impuri omnes, sicut pānus menstruatae tota iusticia nostra, & cecidimus quasi folia propter iniquitates nostras, ita uentus nos auferet. nō est qui inuocet nomē tuū, qui meminerit prehēfare te: quia faciē tuā auertisti à nobis, & tradidisti nos p̄pter peccata nostra. nūc Dñe cōuertere, quia populus tuus sumus omnes nos. ciuitas sancti tui deserta est, Sion in solitudine redacta est, Hierusalē uerò in execrationē. Domus sanctificationis & glorię nostrę, ubi laudarūt te patres nostri, deleta est incendio, & qcquid habebamus p̄clarū, collapsum est: & hæc fers Domine, calamitates nostras dissimulās. Tū Tryphō: Quid igit̄ dicis?

negas

negas quenquam nostrum habiturum ullam portionem in monte sancto Dei: Non hoc dico, inquam, sed quicumque persecuti sunt Christum, & persequuntur, nec agunt peccatorum poenitentiam, nihil hæreditatis habituros in monte sancto, sic enim Deus per Esaiam loquitur: Ego Dominus Deus uocaui te in iusticia, & apprehendam manum tuam, & tenebo te: dedi te in testamentum generis, in lucem gentium: ut aperias oculos cæcorum, ut educas compositos è uinculis, & eos qui sedent in tenebris, è custodia carceris. Rursum: Extollite signum gentibus: ecce enim Dominus efficit ut audiatur usque ad terras extimas, dicite filiabus Sion: ecce seruator aduentat recepta mercede sua, & opus eius coram illo est. Et uocabunt eos populum sanctum redemptum à Domino, tu autem uocaberis Quærita ciuitas, & non Derelicta. Quis est iste qui uenit ex Edom, tinctis uestibus rubore Bosdreno, iste decorus in stola sua, ascensum cum robore ualido: Ego loquor iusticiam, & salutare iudicium. Cur sunt rubra uestimenta tua, & indumenta tua sicut calcantium in pleno torculari? Torcular calcaui solissimus, & de gentibus non est uir mecum: calcaui eos in furore meo, & contriui eos ut lutum, & effudi sanguinem eorum in terram. Dies enim ultionis peruenit ad eos, & adest annus redemptionis. Circumspexi, & non erat qui succurreret: considerauit, & nemo opitulabatur: & saluum me fecit brachium meum, & conculcaui eos in ira mea, & sanguinem eorum in terram effudi. Ad hæc Thryphon: Cur ex cerpendo ex prophetis sermonibus quicquid libet, manifestum de sabbatis seruandis præceptum silentio præteris? sic enim per Esaiam denunciatur: Si auerteris à sabbatis pedem tuum, ne facias uoluntatem tuam in illo die sancto, & uocaueris sabbatum delicatum, & sanctum domini Dei tui, nec moueris pedem tuum ad opus, nec locutus fueris sermonem ex ore tuo: tunc confides in Domino, & imponet te super bona terræ: & cibabit te hæreditate patris tui Iacob. nam os domini loquutum est hæc. Tum ego, Amici, Non quod contra me facere tales prophetias existimem, prætermissæ sunt: sed quia puto uos & intellexisse & intelligere, quod etiam si per omnes prophetas inculcentur uobis eadem quæ per Moysen sunt imperata, tamen propter duriciam cordis uestri & ingrati tudinem Deus ita pergit, eadem occlamare, ut uel sic tandem resipiscentes ei conciliemini, & posthac nec filios mactetis dæmonis, nec furum sitis participes, aut dona mutuasque gratificationes con sectemini, non reddendo iura pupillis, & causas uiduarum non cognoscendo, ac ne à sanguine quidem puras manus seruando. Ete-

nim filia Sion ambularunt erecta ceruice, lasciuientes interim o-
 culorum nutibus, & trahentes sirmata. Et aliubi clamat: Omnes
 deprauati sunt & inutiles redditi, non est qui intelligat, ne unus qui
 dem: linguis suis ad dolum usi sunt, sepulchrum apertum guttur
 eorum, uenenum aspidum sub labijs eorum, contritio & calamitas
 in uis eorum, & uiam pacis non cognouerunt. itaq; sicut initio
 propter maliciam uestram hæc mandata sunt, sic manentibus in ea
 imò in dies nequioribus, reuocatur hoc pacto in memoriã, ne Dei
 prorsus obliuiscamini, at uos populus duri cordis, insensatus, cæ-
 cus, claudusq;, filij perfidi, ut ipse dicit, labijs solis honoratis eum,
 corde ab illo alienissimĩ, docentes doctrinas uestras non ipsius. Di-
 cite, cum Deus pontifices sacris operari sabbato iussit, fuit ne his
 autor peccandi? aut circumcisis circūcidentibusq; octauo à natali
 die, ne sabbato quidẽ excepto? annon potuit id fieri pridie uel po-
 stridie, si Deus sciebat id non recte fieri sabbato? quid illi superio-
 res Moysi Abrahamiq; seculo, uiri iusti & in præputio deo cari,
 cur non ab eo didicerunt circūcisionem & sabbata? Ibi Tryphon, iam
 antè audiuius te hoc obijcientem, & hæsimus: est enim reuera di-
 gnũ hæsitacione, ne ut uulgus respondeamus, sic illi uisum. nam
 hæc tergiuersatio semper est in promptu ad quæ sita respõdere non
 ualentibus. Tum ego: Ergo quandoquidem è scripturis & ex ipsa
 rerũ natura uos cõuincō, nolite inquã cunctari, sed indubitanter
 incircumciso mihi credite. breue tempus uobis ad assentiendũ su-
 perest. si Christus prius uenerit, frustra uos poenitebit, frustra flebi-
 tis, non enim uos exaudiet. Nouate uobis noualia, clamat Ieremias
 ad populum, & nolite in spinas sementem facere. Circumcidimini
 Domino, sed circumcidimini cordis uestri præputium. caute igitur
 ne in spineta & arua inculta iaciatis semen, unde nullus uobis
 fructus proueniat. noscite Christum, & ecce nouale pulcherrimũ
 & pingue in uestris cordibus. Ecce enim dies ueniunt, dicit Domi-
 nus, & uisitabo omnes circumcisos in Ægypto, Iudæa, Idumæa,
 terraq; Moabitarum. quoniam Gentes omnes incircumcise sunt
 & tota domus Israel incircumcisum cor habet. uidetis non hanc cir-
 cumcisionẽ, quæ in signum data est, Deum requirere? nam nec Æ-
 gyptijs prodest, nec Moabitis, nec Idumgīs: sed sit uel Scythia quis
 aut Persa, modo habeat noticiam Dei & Christi eius, nec ius illud
 æternũ uiolet, circumcisos est circūcisione optima utilissimaq;:
 & ut amicus Dei donis fruitur, uicissim illi offerens. Recitabo uo-
 bis amici uerba ipsius Dei, sic alloquentis populum per Malachiã
 unum duodecim prophetarũ, sunt autem hæc: Non est mihi uo-
 luntas

luntas in uobis, dicit Dominus: & munus non accipiam de manu uestra. ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit dominus: uos autem polluistis illud. Et per Dauidem ait: Populus quem non noram, seruiuit mihi, auditu auriculæ obediuit mihi. Celebremus Deum uniuersæ gentes congregatæ, quia uisitatuit nos quoque. celebremus eum per regem gloriæ, per Dominum exercituum. uisum est enim ei gentes quoque complecti sua beneuolentia, & sacra nostra libentius quam uestra suscipit. proin nihil moror circumcisionem, postquam dei testimonio probatus sum. quid opus est uestra lotionem, postquam spiritus sancto tinctus sum: hæc me persuasurum opinor uel mediocre intellectum habentibus. non sunt enim hi sermones à me compositi, nec ornati humano artificio, sed Dauid psalter hæc cecinit, Esaias Euangelista nunciauit, Zacharias præco proclamauit, Moses in literas retulit. agnoscis ne Tryphon? in uestris literis sunt condita, imò non tam uestris quam nostris. nos enim eis credimus: uos legendo non intelligitis. nolite igitur auersari & nobis exprobrare corporis præputium, quod ipse Deus finxit, aut ægrè ferre quod caldā sabbato bibimus: quandoquidē deus mundum hac die gubernat sicut cæteris: pontifices etiam sacra sicut cæteris diebus, ita & hac, iussi sunt facere. præterea tot uiri iusticiæ testimonium habent à Deo, qui nihil harum ceremoniarum attigerunt. certè maliciam uestram proditis, dum homines insani Deo facitis calumniam, quasi eadem iura non semper omnes docuerit. multis enim absurda nec digna deo hæc doctrina uidetur, qui non habent eam gratiam ut intelligant, populum uestrum deprauatum & anima languidum, per eam reuocari partem ad mentem meliorem, esseque prophetiam hanc æternam, quæ Moysi obitum secuta est. quod & Psalmus affirmat o amici, esse uerba eius dulciora melle fauoreque, duntaxat nobis qui erudimur eis, adeo ut ne mortis quidē terrore adigi queamus ad negationem nominis domini. quod aut nos qui credimus in eum, oremus ut nos seruet ab externis. id est, malis fraudulentisque spiritibus, ex persona unius fidelis apud prophetam loquentis intelligit. rogamus enim deum contineat, ut à dæmonibus pietatis hostibus, quæ quondam adorabamus, nos per Iesum Christum conseruet: ut postquam ad Deum conuersi sumus ipsius fauore auxilioque, simus irreprehensibiles. illum enim adiutorem & liberatorem uocamus, cuius etiam nominis uim timeant dæmonia tremetia: & hodieque adiurata per nomen Iesu Christi

crucifixi sub Pontio Pilato ludææ præfide, imperata faciunt: ut
 hinc quoque liqueat omnibus, quod pater tantam ei potestatem de-
 derit, quantam dæmonia formidant subdita illius nomini, & præ-
 teritæ passionis eius dispensationi. quod si hoc passionis cōsiliū
 tantam potestatem mox protulit, profertur nunc etiam: quid futu-
 rum est cum ueniet in gloria? prædixit enim hoc Daniel, hominis
 filium uenturum, nube deuectum angelis comitantibus. Verba
 eius sunt hæc: Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus
 dierum sedit: uestimētum eius candidum quasi nix, & capilli capi-
 tis eius quasi lana munda, thronus eius, flāma ignis: rotæ eius, ignis
 ardens: igneus fluuius rapidus egrediebatur ex eius facie: millia
 millium ministrabant ei, & decies millies centena millia apparebāt
 ei. iudices confederunt, & libri aperti sunt. Aspiciebam uocem ser-
 monum grandium quos cornu illud loquebatur: & occisa est be-
 stia crebris uerberibus, & perijt corpus eius traditum incendio.
 & reliquis bestijs potestas adempta est, & tempora uitæ constitu-
 ta sunt eis usque tempus & occasionem temporis. Aspiciebam in
 uisione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis ue-
 niebat. & uenit usque antiquum dierum, & præsto fuit in conspectu
 eius, adductus ab apparitoribus, & data est ei potestas maiestasque
 regia, & omnes gentes nationatim, cunctique magistratus earum,
 ut seruirent ei. potestas eius potestas æterna, non auferenda ab eo,
 nec regnum eius unquam interitum est. in eo statu meo spiritus
 meus cohorrui, & uisiones capitis mei terrebāt me. accessi unum
 de assistentibus, & diligenter scitatus sum ex eo de his rebus omni-
 bus, qui respondens mihi eas interpretatus est. Hæ quatuor bestie
 magnæ, sunt regna quatuor, que debentur de terra, nec recipiēt
 regnum usque in seculum & in seculum seculorum. tunc libuit per-
 scrutari de bestia quarta horribili cuncta uastante, dentes eius fer-
 rei, ungues ahenei: deuorabat & comminuebat, pedibus concul-
 cando reliquias. & de cornibus decem quæ habebat in capite, &
 de uno adnato, cuius opera exciderant tria ex prioribus cornua:
 quod cornu habebat oculos & os magniloquum, & aspectus eius
 erat ceteris amplior. animaduvertebam cornu illud mouere bellum
 aduersus sanctos, & profligare ipsos: donec uenit antiquus dierum,
 & iudicium dedit sanctis altissimi, & tempus aduenit, & regnum
 obtinuerunt sancti altissimi. Et dictum est mihi de quarta bestia,
 fore hanc regnum quartum in terra, amplius cæteris regnis supe-
 rioribus, & deuoraturum uniuersam terram, euersurumque ac dele-
 turum eam. porro cornua decem, reges decem exorientur postea,
 & unus

& unus erit peior prioribus, qui tres reges humiliabit, & obloquetur altissimo, & alios sanctos altissimi subuertet, putabitque se posse mutare leges & tempora, & tradentur in manus eius usque tempus & tempus & dimidium temporis. Et confederunt iudices ut auferant hunc principatum conterendum & disperiturum usque in finem. Regnum autem & potestas & amplitudo regnorum quæ sub cælo sunt, data est populo altissimi, cuius regnum regnum sempiternum est, & omnes potestates seruient ei & obedient. huc usque finis uerbi. Ego Daniel ecstasi correptus sum uehementer, & sermo ille penetrauit me, uerbum autem in corde meo conseruaui. Vbi uero desij, subiecit Tryphon, Bone uir, hæc similesque scripturæ iubent nos expectare filium hominis magnum quempiam & illustrem, accepturum æternum illud regnum ab antiquo dierum, at iste uester quem Christum dicitis, obscurus fuit & inglorius, a deo ut in extremam execrationem in lege Dei proditam inciderit. in crucem enim actus est. Ad hæc ego: Amici, nisi iam è scripturis memorassem aspectum eius ignobilē, genus inenarrabile, & quod pro morte eius morti tradentur diuites, quod uibice eius sanati sumus, quod more ouis ducendum esse prædictum fuerat: tum de duobus aduentibus, altero quando punxistis eum, altero quando agnosceritis quem punxeritis, & plangetis tributim separatis mulierum uirorumque cœtibus: obscura incertaque loqui uiderer. nunc autem nihil non demonstro è sacris prophetarum uestrorum literis; speras posse inueniri aliquem uestrum ex eo numero, qui per gratiã Domini Sabaoth superstites relinquatur ad salutem æternam. ergo ut apertius intelligatis id, quod quærimus, adducam uobis alia quoque oracula è beato Dauide, ex quibus & Dominum illum qui Christus à sancto prophetico spiritu dicitur, percipietis; & uniuersalem rerum Dominum patremque; subducentem eum à terra, iubentemque sedere à dextris suis, donec ponat inimicos scabellum pedum eius. Id fit ex quo in cælum assumptus est post resurrectionem Dominus noster Iesus Christus, dum complentur tempora, & ille contumeliose audenterque oblocuturus altissimo iam est pro foribus, quem Daniel significat duraturum per tempus & tempora & dimidium temporis, quod uos ignorantes quanto tempore duraturus sit, secus intelligitis. tempus enim c. annos interpretamini. id si uerum est, ut minimū ccc. annos regnare oportet illum iniquitatis hominē: ut quod dixit sanctus Daniel & tempora, duo tantum tempora esse dicta supputemus. atque hæc omnia per digressiones uobis loquor, ut tandem credatis Deo uos increpati quod sitis im prudentes

prudentes filijs: & his uerbis minitanti: Quapropter ecce apponā
 transferre populū hūc, & transferā eos: & auferā sapientiā à sapien
 tibus, & intellectum intelligentium celabo: desinatisq; tum uos ip
 sos tum auditores uestros seducere, discatisq; à nobis, quibus per
 Christi gratiam sapere contigit. uerba autem per Dauidem enun
 ciata sunt hæc: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis,
 Donec ponam inimicos tuos scabellum pedū tuorum. Virgā uir
 tutis emittet tibi Dominus è Sion, dominare in medio inimicorū
 tuorum: Tecū principium in die uirtutis tuę in splendoribus san
 ctorum tuorum, ex utero ante luciferū genui te. Iurauit dominus,
 nec pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinē
 Melchisedech. Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ re
 ges. Iudicabit in gētibus, implebit ruinas. De torrente in uia bibet,
 propterea exaltabit caput. Nec me latet, inquam, uos hūc Psalmū
 interpretari cōfidenter, quasi de rege uestro Ezechia loquatur. sed
 falli uos, ex ipsis uerbis perspiciatis efficiam. iurauit Dominus, &
 non pœnitebit eum, tu es sacerdos æternus secundum ordinem
 Melchisedech, & quæ sequuntur præceduntq;. quòd autem Eze
 chias nec sacerdos Dei nec æternus sit, ne uos quidē audebitis con
 tendere. in nostrum uero Iesum hæc competere, ex his ipsis uerbis
 liquet, nisi auribus obturatis etiam cor excæcatū haberetis, dum
 enim dicit, iurauit Dominus, nec pœnitebit eum, tu es sacerdos in
 æternū secundū ordinē Melchisedech: iurans Deus incredulitatī
 uestræ declarauit, esse hūc sacerdotē iuxta ordinē Melchisedech,
 qualis Melchisedech sacerdos altissimi refertur in literis Mosaicis:
 qui fuit sacerdos incircūcisorū, pro Abrahamo tamē uota fecit ac
 ceptis ab eo decimis: talē æternum, illū suū sacerdotē, quem spiri
 tus sanctus uocat Dominum, apud incircumcisos fore prædixit:
 qui etiam circumcisos ad se accedentes, hoc est ipsi fidentes, & be
 nedictionem ab eo petētes, amplexurus & benedicturus sit. quòd
 autem primū futurus sit homo humilis, extollendus postea, Psal
 mi finis indicat: Et torrente in uia bibet, ac mox: propterea exaltabit
 caput. Et quo magis persuadeam, uos nihil in scripturis intellige
 re, proferam & aliū Psalmum Dauidis afflati sancto spiritu, ut
 cūq; uos eum ad Salomonem ex illo progenitum & ipsū regem
 uestrum accommodare conamini. refertur autē & hic ad Christū
 nostrum dominum. uos uerò uerborum similitudine uos ipsos de
 cipitis. nam cū dicit: Lex domini est irreprehensibilis, non illam
 futuram, sed Mosaicam interpretamini, reclamante Deo, qui no
 uam legem nouūq; testamentū pollicetur. Et ubi legitis: Deus
 iudicium

iudicium tuum regi da: quia Solomon fuit rex, de hoc Psalmū canere asseueratis: quamuis è uerbis Psalmi satis appareat, illū æternū regem predicari, Christum uidelicet, nam Christus est rex, sacerdos, deus, dominus, angelus, homo, imperator, lapis, puer natus, passibilis primū, deinde in cœlum ascendens, rursū uenturus cum gloria, cuius regnum prædicatur æternū, sicut demonstrō è scripturis omnibus. quod ut intelligatis, Psalmi uerba recitabo. Deus iudicium tuum regi da, & iusticiam tuam filio regis: iudicare populum tuum in iusticia, & pauperes tuos in iudicio. Suscipiant montes pacem populo, & colles iusticiam. Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperū, & humiliabit calumniatorem. Et permanebit cum sole & ante lunam in ætates ætatū. Descendet sicut pluuia in uellus, & sicut stilla stillans super terrā. Orietur in diebus eius iusticia, & multa pax donec auferatur luna. Et dominabitur à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent. Reges Tharsis & insulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei. Quia liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor. Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum saluas faciet. Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum coram illo. Et uiuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & uota facient pro illo semper, tota die bene precabuntur ei. Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus eius: & efflorescent è ciuitate sicut herbæ terræ. Erit nomen eius benedictum in secula: ante solem permanet nomen eius. Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificient eum. Benedictus dominus deus Israel, qui fecit mirabilia solus. Et benedictum nomen maiestatis eius in seculum & in seculum seculi: & replebitur maiestate eius omnis terra: fiat fiat. In fine Psalmi huius adscriptum est: Defecerunt hymni Dauid filij Iessæ. Scio quidem Solomonem fuisse regem illustrem, à quo templum illud Hierosolymitanum fuit conditum: nihil tamen eorū quæ in Psalmo dicuntur, obuenit illi, ut apparet. nam neq; omnes reges adorauerūt eū, neq; regnauit usq; terræ terminos, neq; inimici corā eo procidentes linxerunt puluerem. imò audeo dicere quod in libris Regnorū de eo scribitur, propter mulierē operatū eū sacris idolorum apud Sidonios: quod facere non sustinerent qui ex gentibus per Iesum crucifixum ad cognitionem Dei creatoris uenerunt, sed mallent

omnes

omnes cruciatus mortem usq; perpeti, quàm sacrificare idolo, aut gustare de uictima. Tum Trypho, Atqui audio multos qui Iesum confitentur, & Christiani uocantur, non abstinere ab immolationibus, negantes id esse noxium. Respondi, Hoc quoq; quod non desunt qui Christianos se profiteantur, & crucifixum Iesum Dominum ac Christum agnoscant, nec tamē praecepta eius doceant, sed impostorum spirituum: nobis fidem manifestiorem adstruit, qui spem habemus in illius pollicitis. quicquid enim praedixit gesturos quosdam in suo nomine, id fieri cernimus. Dixit enim: Multi uenient in nomine meo, externe induti pellibus ouium, intus autē sunt lupi rapaces. &, Erunt factiones sectarū. &: Cauete uobis à pseudoprophetis, qui ueniēt ad uos externe induti pellibus ouium, intus autem sunt lupi rapaces. &, Exorientur multi pseudochristi & pseudoapostoli, & multos seducent è fidelibus. Sunt igitur, & fuerunt, o uiri amici, multi, qui docent dicere & facere impias res & contumeliosas in deum, cum tamen in nomine Iesu ueniant. & sunt inter nos distincti cognominibus, denominati à quibusdam uiris, ut quisq; fuit autor alicuius nouae doctrinae & sententiae. nā aliter alij blasphemant rerum conditorē, Christumq; ab illius prophetis praenunciatum, & Deum Abrahami Isaaci Iacobiq; docēt. ex his cum nemine cōmunicamus, quippe qui nouimus eos esse impios, irreligiosos, iniustos, iniquosq; homines & nomine tantum confiteri Iesum, re autem nequaquam colere, quantumuis Christianos se appellitent: quemadmodum gentiles Dei nomen adscribunt manufactis statuis, quod mox profanāt impijs & illicitis mysterijs. ex his alij uocantur Marciani, alij Valentiniani, alij Basilidiani, alij Saturniniani, alij alio uocabulo, quisq; à primo inuento re sui dogmatis. sicut unusquisq; ex his qui philosophari putantur, quod initio sermonis dixi, parentis eius doctrinae philosophi nomen professioni suae adoptat. Itaq; ut dixi, & hinc certò scimus, Iesum fuisse praescium futurorum, & ex alijs qui praedixit obuentura fidelibus, Christum ipsum confitentibus, quicquid enim patimur ad internecionem infestati à domesticis, iam olim praedixerat ut nullo modo eius dicta uel acta reprehēdere liceat, ideo tam pro uobis, quàm pro inimicis omnibus deprecamur, ut nobiscum respiscatis, & desinatis conuictijs impetere Iesum Christum nulli culpae criminis ue obnoxium, siue spectes ipsius opera, siue doctrinā, siue prodigia quae fiunt ad inuocatum eius nomen, siue priscorum uatum oracula, eius aduentus praenuncia: utq; illo freti salutem inueniatis quando reuertetur cum gloria, & effugiatis ignis aeterni supplicij

supplicium. Respondit ille, Esto ut dicis, prophetarū oraculis cre-
 di Christum esse passibilem, eundem uocari lapidem, post primū
 aduentum in quo passioni fuit obnoxius, iterum uenturum in glo-
 ria, iudicem iam æternūq; regem atq; pontificem: nunc doce sit
 ne hic à prophetis prænunciatus. Tum ego, Fiat ut iubes, mi Try-
 phon, accedam ad probationes quas postulas, cum tempestiuum
 fuerit, nunc patieris me prius memorare prophetias quas uolo, ut
 ostendam quod Christus deus ac dominus exercitū Iacobiq; uo-
 cet per similitudinē à sancto spiritu: & quod insensati, sicut Deus
 eos increpat, sint interpretes uestri, qui hæc nō de Christo intelli-
 gūt sed de Solomone, quādo intulit Testimonij tabernaculum in
 templū recēs à se conditū. est autē Psalmus Davidis hic: Domini est
 terra, & plenitudo eius, orbis terrarū, & omnes qui habitant in eo.
 Quia ipse super maria fundauit eū, & super flumina preparauit eū.
 Quis ascēdet in montē domini? aut quis stabit in loco sancto eius?
 Innocēs manibus & mūdo corde, qui nō accepit in uano animam
 suā, nec iurauit in dolo proximo suo: Hic accipiet benedictionem à
 domino, & misericordiā à deo salutari suo. Hęc est generatio quæ
 rentiū eū, quærentiū faciē dei Iacob. Attollite portas principes ue-
 stras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis
 est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potēs, dominus potēs in præ-
 lio. Attollite portas principes uestras, & eleuamini portæ æterna-
 les, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus exer-
 citū ipse est rex gloriæ. Ergo demonstratū est, quod nō Solomon,
 sed noster Christus, sit dominus exercitū. is quādo post resurre-
 ctionē è mortuis in cælū ascendit, iubētur coelestes principes ordi-
 nati à Deo portas cælorū aperire, ut hic introeat qui est rex gloriæ,
 & post ascensionem dexter patri sedeat, donec ponat inimicos sca-
 bellum pedum suorum, sicut per alium Psalmum declaratum est.
 Quoniam enim principes coelestes uidebant speciem eius indecor-
 ram, inhonoram, & ingloriam, non agnoscentes eum scitabantur:
 Quis est iste rex gloriæ? quibus respondet sanctus spiritus ex per-
 sona patris aut propria, Dominus exercitū, ipse est hic rex gloriæ.
 nam quod neq; de Solomone rege illustrissimo, neq; de taberna-
 culo Testimonij, ianitor ullus tēpli Hierosolymitani ausus fuisset
 dicere, Quis est iste rex gloriæ? unusquisq; fatebit. Et in diapsalma-
 te quadragesimiseptimi Psalmi legūtur, inquā, de Christo hæc: Ascen-
 dit Deus in iubilo, dominus in uoce tubæ: Psallite deo nostro psalli-
 te, psallite regi nostro psallite, Quoniā rex omnis terræ deus psalli-
 te sapiēter. Regnauit deus super gētes, deus sedet super sedē sanctā
 f suam.

suam. Principes populorū congregati sunt cū deo Abrahami, quoniam Dei fortes terræ uehementer eleuati sunt. Itē in nonagesimo octauo Psalmo exprobrat uobis spiritus sanctus, & hunc quē non uultis regnare, regē Samuelis, Aaronis, Mosis, cæterorumq; semel omniū declarat. Verba Psalmi sunt hæc: Dominus regnauit, irascatur populi: qui sedet super Cherubim, moueatur terra. Dominus in Sion magnus, & excelsus super omnes populos. Confiteantur nomini tuo magno, quoniā terribile & sanctum est, & honor regis iudicium diligit. Tu parasti directiones, iudicium & iusticiam in Iacob tu fecisti. Exaltate dominū deum nostrum, & adorete scabellum pedum eius, quoniā sanctū est. Moses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius. Inuocabant (ait scriptura) dominū, & ipse exaudiebat eos: in columna nubis loquebatur ad eos: quia custodiebāt testimonia eius, & præceptū quod dedit illis. Domine deus noster tu exaudiebas eos, deus tu propitius fuisti eis, & ulciscēs in omnes adinventiones eorū. Exaltate dominū deum nostrū, & adorete in monte sancto eius, quoniam sanctus dominus deus noster. Tum Tryphon: Homo, bonū fuisset nos parere institutoribus, & abstinere à uestris colloquijs, nec de his rebus tecū uerba facere, blasphemias enim multas loqueris, dū contēdis, crucifixū istū adfuisse Mosi & Aaroni, loquutūq; eis in columna nubis. deinde hominē factū pertulisse crucis supplicium, ac mox in coelū ascēdisse, rediturū olim in terras, & ea propter adorādum esse. Respōdi, Scio uerbo dei doctus, uobis absconditā esse hanc magnā creatoris omnipotentis sapientiā: ideo uobis conidolens adnitor ut hæc nostra paradoxa intelligere uos efficiā: si minus, saltē ipse sim. insons in die iudicij. audietis enim quæ magis etiam ut uobis noua demiremini. nolite tamen pauescere, sed auscultate attentius, & examinare pergite, contemptis magistrorum uestrorū traditionibus: quandoquidē compertū est, eos nō intelligere quæ deus per spiritū propheticū prodidit, ut qui sua malint discipulis obtrudere. certē in quadagesimo quarto Psalmo similiter Christus prædicat sic: Eructauit cor meū uerbū bonū, dico ego opera mea regi. lingua mea calamus scribæ uelociter scribētis. Speciosus forma præ filijs hominū, diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in eternū. Accingere gladio tuo super femur tuū tu potētissime, specie tua & pulchritudine tua: & intēde & prospere pcedere, et regna: Propter ueritatē, mansuetudinē iusticiāq; et deducet te mirabiliter dextera tua. Sagitte tuę sunt exacutę o potētissime, populi sub te cadēt, in corde inimicorū regis, Sedes tua deus in seculum

seculum seculi, uirga directionis uirga regni tui. Dilexisti iusticiam, & odisti iniquitatem: Propterea unxit te deus tuus oleo lacticiae praecōfortibus tuis. Myrram & stactem & casiam a uestibus tuis, a turribus eburneis, ex quibus delectarunt te filiae regum in honore tuo. Astitit regina a dextris tuis uestitu deaurato pictoque amicta. Audi filia, & uide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populi tui domusque paternae: & concupiscet rex pulchritudinem tuam: quonia ipse est Dominus tuus, & adorabunt eum. Et filia Tyri in muneribus: uultui tuo supplicabunt diuites plebis. Omnis gloria filiae regis abintus, in simbrijs aureis circumamicta uarietatibus. Afferentur regi uirgines post eam, proxime eius afferentur tibi. Afferentur cum hilaritate ac lacticia, deducuntur in templum regis. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram. Memor ero nominis tui in omni generatione & generatione. Propterea populi confitebuntur tibi in aeternum & in seculum seculi. Nec mirum, inquam, si & nos odio prosequimini, quod conarguimus mentis uestrae obstinationem. nam Elias ipse de uobis Deum alloquens queritur: Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua diruerunt, ego relictus sum solus, & quaerunt mihi uitam adimere. cui responsum est, Adhuc sunt mihi septem milia uirorum, qui non flexerunt genu coram Baalis statua. quemadmodum igitur propter illa septem milia Deus iram suam cohibuit, sic & nunc nondum intulit damnationem nec infert, cum sciat quotidie quosdam nomen Christi discere, & erroris uiam relinquere: quorum singuli accipiunt dona ut quisque dignus est, illustrati per huius Christi nomen. alius enim accipit spiritum prudentiae, alius consilij, alius fortitudinis, alius sanationis, alius praescientiae, alius doctrinae, alius timoris Dei. Ad haec Tryphon: Dum ista loqueris, delirare te scias uolo. Ego contra: Audi tu, inquam, non insanio nec deliro, sed prophetarum est hoc uaticinium, fore ut Christus in caelum reuersus nos iure uictoriae captos reducat ab errore, donatos suis muneribus. carmen sic habet: Ascendit in altum, captiuam abduxit captiuitatem, dona dedit hominibus. Nos igitur qui dona Christi sublimis accepimus, uos uestro iudicio sapientes & sciolos stulticiae conuincimus, qui labijs tantum honoratis Deum & Christum ipsius: at nos operibus, cognitione, corde usque ad mortem honoramus eum, quem ex ipsa ueritate didicimus. Vos autem fortassis etiam ideo dubitatis fateri, hunc esse Christum, sicut scripturae docent, & ea quae per illius nomen patrari uidemus: ne insectationem feratis principum, qui agitati furis impostoris serpentini spiritus,

non desinent enecare ac persequi confessores Christi nominis, donec iterum ueniat, & imposito fine omnibus, cuique retribuat pro meritis. Ibi Tryphon, iam igitur expecto rationem, cur putes hunc, quem ais crucem perpeffum, ascendisse in coelum, esse illum Christum Dei. nam quod Christum passibilem scripturae praedicent, iterum uenturum cum gloria, & subiectis ei gentibus omnibus in aeternum regnaturum, satis antea declarasti sacrarum literarum testimonio. quod autem hic ipse sit, fac me certior. Tum ego: Id quidem o amici demonstratum est ex uestramet confessione, modo aures habeatis: attamen ne putetis me haesitare, quod nequeam expedire probationes quas requiritis, faciam quae pollicitus sum, ubi fuerit commodum. nunc reuertor ad continuanda quae dicere coeperam. Mysterium solennis sacrificij, quo in Paschae festo mactatur agnus ex oraculo, figura Christi erat: cuius sanguine fideles freti unguunt domos suas id est, semetipsos. nam opus a Deo factum Adam ille, ut scitis, factum est domicilium flatus inspirati diuinitus, id praecipuum fuisse temporaneum hinc apparet, quia Deus nusquam permittit mactari agnum paschalem, praeter locum in quo inuocatur nomen ipsius: nimirum quia sciuit uenturos dies post passionem Christi, quando solum Hierosolymitanum tradendum esset hostibus, cessantibus semel omnibus uictimis. quin & illud quod agnus totus affari iubetur, crucifigendum Christum significabat: siquidem agnus ille in crucis formam expansus affatur, alter enim rectus paxillus ab imo usque caput traiecitur, alter item transuersus per occiput, cui arma igni alligantur. idem significant in ieiunio selecti ad sacra hirci duo similes, alter emissarius, alter uictima, uidelicet duos Christi aduentus praenunciantes: primum quando eum uelut piacularem foras deduxerunt seniores populi uestri sacerdotesque: iniectis ei uiolentis manibus ut neci dederent: secundum, quando in eodem solo Hierosolymitano agnosceris eum quem dudum contempseratis, & iustitiae uictimam obtuleratis pro omnibus peccatoribus respicientibus, & ieiunium quale describit Esaias ieiunantibus, lacerantibus strangulationes peccatorum uiolentorum, obseruantibusque caetera ibidem enumerata, quorum superius mentionem fecimus, quae Christo fidentes solent obseruare. Illud quoque scitis, solennem duorum hircorum oblationem ieiunij tempore, non alibi quam Hierosolymis permissam fieri: sicut nec similia, quae pro mundatis a lepra solent offerri ex more, figurate significans panem eucharistiae: quem in memoriam passionis suae, purgantem ab omni peccato animas hominum, Iesus Christus dominus noster tradidit posteris: ut interim gratias
agamus

agamus Deo, tum pro mundo propter hominem creato cum cæ-
 teris quæ hoc continentur, tum pro redemptione qua liberati sumus
 à peccatis, principatibus ac potestatibus in uniuersum debel-
 latis iuxta diuinum consiliū. Quapropter de sacrificijs uestris, quæ
 tunc offerebatis, sic loquitur Deus, ut suprâ dixi, per Malachiam
 unum è duodecim: Non est mihi uolūtas in uobis, dicit Dominus:
 & munus non accipiam de manu uestra, ab ortu enim solis usq; ad
 occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco
 adolentur odorama nomini meo uictimæq; puræ: quia magnū
 est nomen meum in gentibus: uos autem polluistis illud. Cæterū
 de sacrificio quod offertur in omni loco à nobis gentibus, id est, eu-
 charistiæ tum pane tum poculo, ibidem prædicit dicens, nos clari-
 ficare nomen eius, quod uos profanetis. Sic & præceptum circum-
 cisionis, quæ ab omnibus nuper natis exigitur octauo die, figura
 erat ueræ circumcisionis, resëcantis errorem atq; maliciam, per eū
 qui à mortuis resurrexit una sabbatorum die, Iesum Christum no-
 strum dominum. una enim sabbatorum manens prima omnium,
 uocatur octaua in orbem recurrente numero, non obstante quod
 prima maneat. Quin & duodecim tintinabula è stola pontificis de-
 pendentia iuxta præscriptum, significabant duodecim Apostolos
 pendentes à potentia Christi æterni sacerdotis, per quorum uocē
 totus mundus gloria gratiaq; dei ac Christi repletus est. Propte-
 rea Dauid dicit: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines
 orbis terræ uerba eorum. Item Esaias ex personâ Apostolorū Chri-
 sto dicentium, quod non audito sermoni suo credēt gentes, sed ip-
 sius potentia: Domine quis credidit auditui nostro, & brachium
 domini cui reuelatum est? annunciauimus in conspectu eius ut
 puer, ut radix in terra sitiēte: & quæ deinceps sequentia suprâ me-
 morauimus. Quod autē dicitur pluraliter, Annunciauimus in con-
 spectu eius. ac mox singulariter, Ut puer: significat multos conuer-
 sos à malicia per obedientiam fecisse imperata illius, atq; ita uniuersos
 factos tanquam unum puerum: sicut uidere licet in corpore, cū
 multa membra numerentur, uniuersa corpus unum esse uocariq;. nam
 & populus & concio cū sint multi homines, tanquam unū
 quiddam uno appellantur uocabulo. Alia quoq; cuncta instituta
 Mosaica recensendo, possem inquā, ô uiri, demonstrare signa fuisse
 figurascq; prænuncias eorum quæ Christo erāt obuentura, atq;
 etiam eorum quæ uel prædestinati ad fidem in illum, uel ipse Chris-
 tus, gesturi erant. sed quoniam quæ recensui uidentur sufficere,
 iam reuertor ad sermonis seriem. Ergo sicut ab Abrahamo cœpit

circumcisio, à Mose sabбата, uictimæ, oblationes, festaç quæ demonstrauit instituta propter dura corda uestri populi: sic cessare deberent ex uolūtate patris, postquā ex genere Abrahami & tribu Iudæ, uirginēç Dauidicæ stirpis, natus est filius Dei Christus qui prænunciatus est uenturus, ut fieret lex æterna & nouū testamentum uniuerso mundo, quemadmodū è suprā memoratis prophetis apparuit. Nos certe qui huius ope ad Deum accessimus, non carnalem istam circumcisionem assumpsimus, sed spirituale illā, quam Enoch & similes obseruauerunt, hanc nos per baptisma, utpote peccatores nati, à Deo miserante accepimus: eum licet omnibus similiter accipere. Nunc res postulat ut dicamus de natiuitatis illius mysterio. Esaias genus ipsius Christi negat esse hominibus enarrabile, cum dixerit: Generationem eius quis enarrabit? quia tollitur de terra uita eius ob iniquitates populi, ad mortem ductus est. ergo quod inenarrabile sit genus huius morituri, ut eius uibice sanarentur peccatores, spiritus propheticus hæc locutus est, atque ut modus etiam natiuitatis, quo in mundum prodijt sciretur ab hominibus illi credentibus, per eundem Esaiam spiritus diuinus prodidit his uerbis: Et adiecit Dominus loqui ad Achaz dicens: Pete tibi signum à domino deo tuo in profundum, aut in excelsum. & dixit Achaz, Non petam, nec tentabo dominum. & dixit Esaias: Audite ergo domus Dauid, nunquid parum est uobis molestos esse hominibus, quia molesti estis & domino? propter hoc dabit Dominus ipse uobis signum: Ecce uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emmanuel. butyrum & mel edet, prius quàm sciat reprobare malum, & bonum eligere. quia prius quàm sciat puer uocare patrem aut matrem, capiet copias Damasci & spolia Samariæ coram rege Assyriorum: & occupabitur terra, quam tu tractas durius, à facie regum duorum. Adducet dominus super te, & super populum tuū, & super domum patris tui, dies qui non uenerunt à diebus separationis Ephraim à Iuda cum rege Assyriorum. Itaq; liquet, Abrahamæ posterorum neminem, præter nostrum Christum, natum esse de uirgine, imò ne prædicatum id quidem de quoquam alio, attamen quia uos & magistri uestri audetis cõtendere, in Esaiæ prophetia scriptū, Ecce puella cōcipiet, nō ecce uirgo cōcipiet, & uaticiniū id de Ezeçia rege uestro interpretamini, conabor hæc paucis cōtra uos differere, & declarare dicta esse de hoc quē nos Christū cōfitemur. sic enim insons, quantū ad uos attinet, inueniar, si operā dederō ut demonstrationibus fidē faciam, uos si in obstinatione duri cordis manseris

manferitis, aut propositam Christianis mortem horrescentes ueritati assentire nolueritis, ipsi eritis in culpa uosmetipsos decipiendo, & credendo quòd cum sitis Abrahami progenies carnalis, omnino hæredes eritis bonorum quæ deus per Christum se daturum promisit. nemo enim ne illo quidem genere prognatus quicquam assequetur, ni ex animo fidem Abrahami referat, & omnia mystéria percipiat. equidem aio quædam præcepta ad religionem & iusticiam exercendam esse data: quædam uerò mandata simul & instituta, tantum ut mysticè subindicarent Christum propter dura corda uestri populi. id ita esse, apud Ezechielem ex ipsius Dei uerbis discitur: Si Noe, Iacob, Daniel, deprecentur pro filijs aut filiabus, non condonabuntur eis. Idem & apud Esaiam legitur sic: Dicit Dominus Deus, Prohibent uisuri ossa hominũ eorum qui mandata trãsgressi sunt, nam uermis eorũ nõ moriet, & ignis eorũ non extinguetur: & erunt spectaculo mortalibus omnibus. Itaq; resecta ista uana spe è uestris animis, studendũ est ut cognoscatis uiam remissionis peccatorũ, & spem hæreditatis promissorũ bonorũ. nulla est em̄ alia præter hæc, si agnito hoc Christo, abluti in remissionẽ peccatorũ lauacro ab Esaiã prædicato, sine peccatis uiuatis in posterum. Ibi Tryphon: Etsi uidear sermonẽ de rebus necessarijs examinãdis institutũ interrumpere, feres tamẽ interrogantẽ quiddã quod cupio discere. Quere, inquã, quicquid in metẽ tibi uenit. ego uel post interpellationẽ responsionẽq; ad eundẽ sermonẽ explendum reuerti conabor. Tum ille, Dic igitur mihi. Qui uixerunt iuxta legem per Mosẽ traditã, siccine uiuent post resurrectionẽ à mortuis, ut Iacob, Enoch, Noe, an non sic? Ad hæc ego, Homo, cum ex autoritate Ezeielis dixi, quod etiam si Noe, Daniel, Iacob deprecati fuerint pro filijs filiabusq; non condonabuntur eis, sed sua quisq; iusticia seruabitur, nimirum dixi etiam eos seruandos qui uixerunt iuxta instituta Mosaica. nam Mosi lex præscribit quicquid naturaliter honestum, pium, iustumq; est, data propter durũ cor populi, & obseruata ab obedientibus: quoniam & illi qui æternas naturæ leges honestissimas sequebantur, Deo placebãt: & per hũc ipsum Christum in resurrectione pariter, tum posteriores, tum illi priores Noe, Enoch, Iacob & his similes cæteri, seruabuntur cũ agnoscentibus hunc Christum esse Dei filium, qui & ante luciferũ lunamq; erat, & ex uirgine hac Dauidici generis nasci in carne sustinuit: ut per eam dispensationẽ ille ab initio maliciosus serpens cũ sui similibus angelis destrueretur, & mors cõtemneretur, tandẽq; in secundo Christi aduentu in fideles qui deo placere studuerunt

nil iuris haberet exinanita: quando alij ad supplicium ignis æterni
 mittentur, alij iam passionis corruptionis molestiarum expertes
 immortalitatem consequentur. quòd si cui libeat nunc quoq; uiue
 re iuxta præscripta Mosaica, modo credat in hunc Iesum crucifixū
 & eum pro Dei Christo agnoscat, cui datum sit semel omnium iu
 dicium, etiam is regnum æternum possidebit. Possunt ne & hi ser
 uari? inquit ille. Tum ego: Consideremus & illud, an possibile sit
 etiam nunc seruare præcepta Mosis omnia. Modo dicebas, inquit,
 nos non intelligere, quod nec agnum paschalem mactare extra lo
 cum designatum, nec ieiunij tempore hircos offerre aliasq; uicti
 mas omnes liceat. Tum ego: Tu uerò quæ censes obseruatu im
 possibilis? rogo dic ipse, assenties enim eum qui æternum ius uio
 lat esse à salute alienum. Tum ille, Ego in primis censeo seruanda
 sabbata circumcisionemq; & abstinendum à menstruatibus, lauans
 dumq; post contactum eorum quæ Moses tangi ueruit, atq; etiam
 post coitum. Quid inquam, Abraham, Isaac, Iacob, Noe, Iob, alijq;
 similes iusti qui hos aut præcesserunt aut sequuti sunt, ut Sarra u
 xor Abrahami, Rebecca Isaaci, Rachel & Lia Iacobi, & reliquæ si
 miles, usq; ad matrem Mosis serui fidelis, quæ nihil istarum rerum
 seruauerunt, putas ne saluos fore? Respondit Tryphon, Nō circum
 cisus est Abraham & eius posterus. Scio, inquam, circumcisus fuis
 se Abrahamum eiusq; progeniem, causam autem circumcisionis
 eis iniunctæ iam audisti non semel: quòd si frontem perfricuiſtis, li
 cet easdem rationes examinare denuo. cæterum quod usq; Mosis
 ætatem nemo iustus obseruarit quicquam eorum de quibus quæ
 rebamus, nec ullum præceptum acceperit, prius quàm Abraham
 circumcisus est, ipsi scitis. Scimus, inquit, & saluos esse fatemur. In
 telligitis inquam, populo uestro propter duriciem cordis talia præ
 cepta deum dedisse per Mosem, ut toties admoniti deum semper
 haberetis præ oculis quicquid ageretis, nec iura nec pietatē uio
 lando. præceptum est enim uobis de circumferenda tinctura cocci
 na, ne uos unquam obliuio Dei capiat, & de phylacterio membra
 nis tenuissimis inscripto certis literis sanctis proculdubio, quas
 gestare iussi estis, ut uos pudeat non perpetuò Dei meminisse, utq;
 uestra corda coarguantur, quòd ne minimum quidem pietatis me
 mineritis: attamen ne sic quidem persuaderi uobis passi estis ne cõ
 leretis idola: sed qui Eliæ seculo nominans numerum ait superesse
 sibi septem milia uirorum qui non flexerint genu corā Baalis sta
 tua, in Esaiæ scriptis uos arguit etiam liberos idolis mactasse. nos
 uero ne sacra faciamus quibus solebamus antea, extremas pœnas
 perpe

perpetimur, & læti emorimur, certo persuasi resuscitaturum nos Deum per Christum suum, & immortales redditurum, expertes morborum corruptionisq̃, nihil cōferentibus ad iustificationem pietatemq̃ præceptis, quæ uobis iniuncta scimus propter cordis duriciem. Tū Tryphon denuo scitabatur: quid si quis hæc ita se habere, & hunc esse Christum persuasus, credat ei, mandatisq̃ eius parere cupiat, num seruabitur? Vt mihi, inquam, uideatur mi Trypho, aio fore ut seruetur quisquis talis est, modò ne cæteris, hoc est quos Christus à gentiū errore conuersos circumcidit, omnino persuadere contendat, nullam sperandam salutem ista non obseruantibus: quod tu conabar in initio colloquij, pernegans me salutē assecuturum ni ista seruauero. Tum ille, Cur igitur dixisti: ut mihi uideatur aio salutē fore quisquis talis est? sunt ne qui negent tales seruandos? Sunt, inquam, mi Trypho, qui non audent ne sub tectum quidem aut ad colloquium admittere tales homines: quod ego nō probo, sed si ipsi propter mentis infirmitatem quantum possunt ex præceptis Mosaicis seruando, quæ nos propter duriciem populo data intelligimus, uolunt in Christum credere, & sempiternum illud naturæ ius pietatemq̃ seruare, nec fastidiunt cum fidelibus Christianis consuetudinem, non circumcisionem, non sabbara & similes obseruationes ab eis exigendo: censeo tales cōplectendos, & exhibenda eis omnia humanitatis officia tanquam germanis fratribus. quòd si uestrates ô Tryphon hunc Christū esse confessi, ex gentibus ad fidem ipsius conuersos cogere obseruare quicquid Mosaica lex præcipit, aut à recusantibus se alienarent, & ipsos improbarem pariter. cæterum eos qui libenter illi parent ut commodæ ad instituendam rempublicam, simulq̃ Christum Dei confitentur, uel salutem assecuturos existimo. eos uerò qui agnitū hunc Christum confessi, post descuerunt quacumq̃ de causa ad legem Mosaicam, simulq̃ Christum ipsum negarunt, nisi ante obitum pœniteat, haudquaquam seruandos pronuncio: Abrahami quoq̃ prognatos semine, secundum legem uiuentes, nisi ante uite finem in hunc Christum crediderint, similiter aio salute carituros, istos præcipue qui in suis synagogis deuouerunt hunc Christum atq̃ deuouent: quibus sua deo ut ad salutē aspirēt, caueantq̃ sibi ab ignis æterni supplicio. nam bonitas & humanitas Dei pro sua immensa benignitate etiā peccatores, sicut per Ezecielem promittit, resipiscentes amplectitur tanquā iustos & innoxios. itidē eos qui à pietate ac iusticia deficiunt ad impietatem & iniusticiā, inter peccatores & iniustos impiosq̃ numerat. Ideo dominus noster Iesus

Christus

Christus dixit: Quales uos inueniam, tales iudicabo. Tum Trypho. Audiuius quid de his rebus sentias. Reuertere igitur eò unde digressus es: mirus enim erat sermo tuus, & uix credibilis, uereor ne nō possit certis argumentis cōfirmari. quod enim dicebas, cum Deus sit hic Christus ante secula, deinde sustinuisse ut homo factus nasceretur: & quod non sit homo ex homine: id non solum incredibile, sed & stultum mihi uidetur. Scio, inquam, hæc uideri uix credibilia, presertim uestris hominibus, qui res diuinas nec cogitare nec tractare unquam curastis, sed traditiones magistrorū uestrorum, sicut ipse Deus clamat. Sed mi Trypho, non uanescit hæc propositio, hunc esse Christum Dei, si non ualero demonstrare fuisse illum iam antea filium Dei creatoris rerum omnium, ac deinde hominem natum de Virgine: modò etiam hunc esse Christū Dei, quisquis ipse sit. nam si non demonstro, eum iam antè fuisse, prius quàm homo factus carnem nostræ similem sumeret ex patris arbitrio, hætenus tantum errare me potes dicere: sed non est æquum ut esse hunc Christum neges, si liqueat hominem ex hominibus natum ad hoc ut per electionem Christus fieret. etenim sunt quidam, o amici, ex nostris hominibus, qui fatentur eum Christū esse, sed hominem ex hominibus aiunt: quibus non assentio, ne si maxima quidem turba esset sic opinantium: quando quidem non humanis doctrinis iubet nos Christus credere, sed suæ doctrinæ, beatorumq; prophetarum uaticinijs. Tum Tryphon, Atqui mihi uidentur hi qui aiunt hominem natum ex hominibus, deinde per electionem inunctum & Christum factum, probabiliora dicere, quàm uos qui diuersum ut ais, asseritis. nos enim omnes expectamus Christū fore hominem ex hominibus, & Eliam eum uncturū ubi uenerit, quod si is Christus esse declarabitur, utiq; hominem ex hominibus progenitum constabit, quoniam autem ne Elias quidem uenit, nec hunc esse Christum dicturus sum. At ego percontabar, Nonne Elias uenturus per Zachariam promittitur, antequam ueniat magnus ille ac terribilis dies domini? Maxime, inquit, Ergo cum necesse sit fateri, duos aduentus Christi prænunciatos à prophetis, in altero uenturum passibilem, indecorum & inglorium: in altero illustrem & omnium iudicem, ut iam sæpe demonstratum est: nonne ante magnum & terribilem diem uenturū Eliam oportet nos ex Dei uerbis intelligere? Maxime, inquit. Noster quoq; dominus, inquam, hoc ipsum inter cætera docuit, uenturum olim Eliam, & id ita fore scimus, quando in gloria de cælis dominus noster Iesus Christus ueniet: cuius etiam priorem aduentū præcessit
Dei

Dei spiritus qui in Elia fuerat, in Ioanne propheta uestri generis, post quem nullus alius propheta apud uos extitit: is ad Iordanem fluuium sedēs clamabat: Ego quidem uos baptizo in aqua ad poenitentiam. ueniet autem fortior me, cuius non sum idoneus portare calceos: ipse uos baptizabit in spiritu sancto & igne: cuius in manu est uentilabrum, & perpurgabit aream suam, & frumentū comportabit in granarium, paleas autem comburet igne inextinguibili, hunc ipsum prophetam rex uester Herodes incluserat in carcere: cumq; in natalicij ipsius saltatrix patris filia regi placuisset, iussissetq; eam petere quilibet, puella monitu matris petijt caput Ioannis coniecti in carcerem. ad cuius preces misso satellite, mox caput in lance intulit ut iussus fuerat. Ideo noster Christus cum esset in terra, dicentibus quibusdam oportere ante Christum Eliam uenire, ait: Elias quidem ueniet, & constituet omnia: Dico autem uobis Eliam uenisse iam, & non agnouerūt eum, sed fecerunt ei quicquid uoluerunt. & adscriptum est, tum demum intellexisse discipulos, eum de Ioanne baptista dicere, ad hæc Tryphon, id quoq; uideatur parum credibile, spiritum dei propheticum qui in Elia fuerat, & in Ioanne fuisse. Nonne tibi uidetur, inquam, idem accidisse Iesu Naue filio, qui dux populi, & Moysis successor fuit: quando iussus est Moses ei manus inponere, Deo dicente: Et ego transferam in eum de spiritu qui in te est. Maximè, inquit. Ergo, inquam, quemadmodum Mose etiam tum superstite Deus in Iesum transfudit de illius spiritu: sic potuit efficere ut ab Elia in Ioannem migraret spiritus: ut sicut Christus in primo aduentu obscurus prodijt, sic & spiritus, semper in Elia Christum antecedentis, primus aduentus obscurus intelligatur. nam occulta manu Dominus Amalecitas debellasse dicitur, quos tamen corruisse non negatis. quod si Amalecitas non nisi glorioso Christi aduentu debellandos dicitis, quorsum attinet illud dictum, Occulta manu Deus debellat Amalecum: potestis intelligere, occultatam fuisse dei potentiam in Christo crucifixo, quæ & dæmones metuunt, & in uniuersum omnes principatus potestatesq; terrarū. Tum Tryphon: Videris mihi crebra conflictatione exercitatus in omnibus quæstionibus, & ideo pròpte respondere ad interrogata quælibet. responde igitur prius, quomodo potes demonstrare, aliū etiam esse Deum præter creatorē omniū. tum demū persuadebis eū sustinuisse nasci de Virgine. permitte, inquam, mihi prius recitare uerba quædam, quæ propheta Esaias cecinit de præcuratore domini nostri Iesu Christi Ioāne, qui baptista simul & propheta fuit. Permitto, inquit. Esaias, inquam,

inquam, de Ioanne antecessuro sic prædixit. Et dixit Ezechias ad Esaiam: Bonum uerbum domini quod locutus est, fiat tantum pax & iusticia in diebus meis. Consolamini populum sacerdotes, loquimini ad cor Hierusalem, & consolamini eam: quoniam completa est humiliatio eius, absoluta est ab iniquitate sua, quoniam accepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Vox clamantis in deserto, Parate uias Domini, rectas facite semitas dei nostri. omnis uallis replebitur, omnis mons & collis humiliabitur: & omnia praua fient directa, & aspreta in uias planas edigentur, & conspicua fiet gloria domini, & uidebit omnis caro salutare dei, quia Dominus locutus est. Vox dicentis, clama. Et dixi, quid clamabo? Omnis caro scenum, & omnis gloria hominis quasi flos sceni. aruit scenum & flos eius excidit, uerbum autem domini manet in æternum. super montem excelsum ascende qui euangelizas Sioni, exalta uehementer uocem tuam qui Euangelizas Hierosolymæ: exaltate, nolite timere. Dic ciuitatibus Iudæ, Ecce Deus uester, ecce Dominus in fortitudine ueniet, & brachium eius dominabitur. Ecce merces eius eum eo, & opus eius coram illo. sicut pastor pascet gregem suum, brachio suo congregabit agnos, & grauidam consolabitur. quis mensus est manu aquam, & palmo cœlum, & pugillo terram uniuersam? quis appendit montes statera, & bilance tumulos? quis nouit mentem domini, quis ei fuit à consilijs adiuuans eum? cum quo inijt consilium & instructus est? quis ostendit ei iudicium, & docuit eum uiam iusticiæ? Omnes gentes quasi stilla cadi, & quasi momentum bilancis reputatæ sunt, & sicut sputum reputabuntur. & Libanus non sufficiet ad succendendum, & quadrupedes non sufficient ad holocaustomata, & omnes gentes nihil sunt, & pro nihilo reputantur. Vbi uerò desii, subiecit Tryphō, Omnes sermones huius prophetiæ sunt ambigui bone uir, & nihil habent ad probandum ea quæ conaris efficax. Respondi, Nisi prophetæ mi Tryphon desissent in uestra gente post Ioannem, poteratis eorum quæ ad Iesum Christum refero, anticipem interpretationem facere. quod si Ioannes præcessit clamitans agerent pœnitentiam, & Christus adhuc eo sedente apud Iordanem fluuium superueniens finem prophetiæ baptismoque illius imposuit, ipse lætum afferens propinqui regni cœlestis nuncium: & prædicens se multa passurum à Scribis Pharisæisque, ac demum post crucis supplicium tertia die resurrecturum, reuersurumque Hierosolyma & cibum ac potum sumpturum unicum discipulis: ad hæc inter duos aduentus eius exoriturus sacer-

dotes

dotes ac prophetas falsos qui se iactent ipsius nomine, id quod factum uidemus, quomodo potestis dubitare amplius, cum possitis rebus ipsis credere? Dixeram autem de sublatis prophetis è uestro genere, & de olim promisso Dei foedere agnoscendo iam postquã est exhibitum, de Christo uidelicet. Ita lex & prophetæ in Ioannẽ baptista desinunt, post quem regnum cœlorum uim patitur, & uio lenti illud diripiunt, & modo uelitis accipere, ipse est Elias ille uenturus, qui habet aures ad audiendum, audiat. Quin & Iacob patris archa duos Christi aduentus prædixit, & in primo fore ipsum passibilem, post quem nec prophetam ullũ nec regem uos habituros qui sit uestri generis: & addit, gentes Christo passo credulas, expectaturas aduentum eius alterum, per similitudinem tamen & uelate data opera spiritus sanctus hæc prolocutus est, inquam, uerbis hisce: Iuda te laudabunt fratres tui, tuæ manus urgebunt terga inimicorum tuorum: adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda, è germine filii mi ascendisti: recubans sopitus est ut leo uel leonis catulus: quis excitabit eum? Non deficiet princeps è Iuda, nec dux è femoribus eius, donec ueniant quæ reposita sunt ei: & ipse erit expectatio gentium, alligans ad uitem pullum suũ, & ad palmitem a sellum suum. Lauabit in uino stolam suam, & in sanguine ueræ amictum suum. hilares oculi eius à uino, & dentes eius lacte candidiores. Certe non estis tam impudentes ut audeatis negare, prophetas & qualescunq; principes nunquam uobis defuisse usq; aduentũ Iesu Christi passionemq; nam & Herodẽ sub quo passus est, Ascaloni oriundum, tamen recensetis inter uestri generis pontifices, quasi iuxta Mosi legem hostias obtulerit tunc quoq; ac cæteros ritus obseruauerit: & prophetarũ successiones usq; Ioannem continuatis: adeo ut ne transmigrationis quidem Babylonicæ tempore, uastata regione ablataq; sacra templi supellectile, prophetata inter uos cessauerit, cuius autoritate regeretur populus. nã spiritus qui prophetas afflabat, etiã principes uobis constituebat in uigebatq;: sed postquã Iesus noster Christus in gentẽ uestra exortus & necatus est, nusquam prophetam habuistis nec habetis, imò ne regẽ quidẽ proprium: & insuper uestra terra deserta est, derelicta tanquã autumnale custodiarũ. quod autẽ scriptura per Iacob prædixit: Et ipse erit expectatio gentiũ, figuratẽ duos aduentus eius significauit, & gentes ei credituras, quod tandem representatũ uidetis. quotquot enim ex omnibus gentibus per fiduciã in Christũ prius iusticq; facti sumus, rediturũ eum expectamus. tum illud, alligãs ad uitem pullũ suũ, & ad palmitem a sellũ suũ: & eorũ quæ in primo aduentu egit,

tu egit, & futuræ gentium credulitatis erat præfagium. hi sunt enim tanquam pullus nondum clitellatus, necdum iugum expertus, donec Christus uenit & missis discipulis erudiuit eos: ut eius uerbi iugo suscepto terga præberent sustinendis omnibus oneribus spe promissorum præmiorum: imò & reuera asinam quandã cū pullo suo ligatã in aditu uici Bethphagæ, dominus noster Iesus Christus Hierosolyma petiturus iussit sibi adduci per discipulos: & sic inuectus est in eam urbem quemadmodũ manifestè prophetatum de illo fuerat, quo magis hoc factò Christus esse agnosceretur. nihilominus post hæc omnia peracta, etiam scripturis conuicti perstatis in cordis duricie. prædixerat autem id ita fore unus è duodecim prophetis Zacharias ad hũc modum: Letare ualde filia Sion, iubila & prædica filia Hierusalem: ecce rex tuus ueniet tibi iustus & seruator, mitis & pauper, ascendens super iumentũ & pululum asinæ. Quòd autem etiam asinam iugalem unã cum suo pullo spiritus propheticus ac patriarcha Iacob in bonis eius recensent, atq; ipse, ut dixi, suis discipulis imperat animal utrumq; adducere: prænunciabantur etiam è uestra synagoga quidam credituri in eum unã cū gentibus. quemadmodũ enim gentes significabat pulus indomitus, sic asina clitellata uestrum populum. gestatis enim legẽ à prophetis impositã. Idem propheta Zacharias etiam percutiendũ hunc ipsum Christum & diffugituros discipulos prædixerat, quòd & euenit. postquã enim crucifixus est, discipuli eius perpetui comites dispersi sunt, donec à mortuis resurgeret, quos passionem suã à prophetis prænunciatã fuisse iam docuerat. eam doctrinam illi mox per totum orbem sparserunt. unde nos quoq; in fide ac disciplina eius confirmati sumus, persuasi tum prophetarum testimonijs, tum discipulorum miraculis, quæ per crucifixi nomen toto orbe patrari cernimus. uerba Zachariæ sunt hæc: Framea insurge contra pastorem meum, & contra uirum populi mei, dicit dominus exercituum: percutite pastorem, & dispergentur oves eius. Item quam è Mose retulimus patriarchæ Iacob prædictio: Lauabit in uino stolam suam, & in sanguine uuæ amictum suum: significabat abluendos eius sanguine quotquot in eum crederent. nam spiritus sanctus stolam uocat eos qui per ipsum remissionem peccatorum accipiunt, quòd his semper adsit sua potentia, & manifeste in secundo aduentu aderit. cæterum sanguis uuæ non temere dictus significat, habere quidem Christũ sanguinem, non tamen ex humano semine, sed ex dei potentia. sicut enim uitis sanguinem non homo sed Deus genuit, sic Christi sanguis non ex

non ex humano genere, sed ex dei uirtute prouenturus prædicatur. Hæc est amici prophetia, ex qua dicebam liquere, Christum non esse hominem ex hominibus cõmuni hominum more genitum. Respondit Tryphon, Memores erimus huius quoque interpretationis tuæ, si & alijs argumentis eam confirmaueris. nunc ad propositum reuersus ostẽde nobis, ubi spiritus propheticus dicat esse alium deum præter creatorem omnium: modo ne solis lunæque mentionem facias, quos tanquam deos legimus concessos gentibus ut colantur adorenturque: & ideo prophetas interdum sic loqui, Deus tuus Deus deorum est & dominus dominorum: addereque aliquoties, ille magnus & fortis & terribilis. nec enim hæc dicuntur quod dii sint, sed ut sciamus illum uerum Deum, creatorem uidelicet, esse solum dominum istorum qui pro dijs habentur & dominis: id ut indicaret spiritus sanctus per sanctum Dauidẽ pronũciauit deos gentium non esse deos, sed simulacra dæmonum. ac mox execratur opifices eorum cultoresque. Non hæc, inquam, argumenta prolaturus erã mi Tryphon, quibus tales cultores & adoratores damnari scio, sed tam ualida ut nemo queat contradicere. noua tibi uidebuntur, quamuis apud uos legantur quotidie: ut uel hinc possitis intelligere, uestram maliciam esse in causa cur Deus uobis non aperiat sapientiam in scripturis suis reconditam, exceptis aliquot quos propter suam magnam misericordiam, ut ait Esaias, reliquit seminarium seruandorum, ne sicut olim Sodomitarum Gomorræorumque, genus uestrum funditus intereat. Aduertite igitur his quæ uobis recitabo è sacris literis: quæ modo audiantur nullo habent opus interprete. Moses ille beatus, fidus minister Dei, narrãs conuersum esse Abrahamo ad quercum Mambre degenti deum, committatum duobus angelis secum ad condemnanda Sodoma misis ab alio semper in cœlis manente, qui per seipsum nemini unquam uisus aut auditus est, creatore patreque omnium, sic loquitur: Apparuit autem ei Deus ad quercum Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui meridie: cumque leuasset oculos uidit, & ecce tres uiri super uenerunt. quibus conspectis properauit in occursum eorum ab ostio tabernaculi sui, & adorauit pronus ad terram, dixitque: & que deinceps sequuntur usque illa uerba: Abraham autẽ mane progressus in locum ubi steterat coram domino, intuitus est prospectum Sodomorum & Gomorræ agrorumque illarum. & ecce ascendebat flamma ex agro sicut è fornace candente. quibus recitatis rogabã num fatis intellexissent. Aiebant se intellexisse, nihil tamẽ contineri uerbis his unde probetur, esse alium deum aut dominum, præter illum

à spiritu sancto celebratum creatorem huius rerum uniuersitatis. Conabor, inquam, è scripturis declaratis persuadere quæ aio, esse se, diciq; alium quoque Deum & dominum præter creatorem: eum uocari angelum siue nuncium, quòd nunciet hominibus quicquid eis nunciari uult creator ille omnium, quo nullus alius deus est superior. tum repetitis quæ prius narraueram, rogabam Tryphonem: putas ne Deum sub quercu Mambre uisum Abrahamo, sicut sacris literis proditur? Maximè, inquit. Erátne, inquam, unus ex illis tribus, quos uirili specie conspectos Abrahamo, credimus autori spiritui prophético? Nō, inquit, sed Deus apparuit ei prius quã tres illos cerneret, deinde tres angeli quos scriptura uiros nominat, duo missi ad delenda Sodoma, unus nunciaturus Sarræ natiuitatem filij, ad quod missus fuerat, & officio perfunctus abiit. Quomodo igitur, inquam, unus è tribus exceptis tabernaculo, qui dixerat, Hoc tempore anni reuertar ad te, & erit Sarræ filius: igitur reuersus post natum Sarræ filium, & Deum ipsum esse propheticus sermo ibi quoq; significat. ut autem perspicuum uobis fiat quod dico, audite Mosè disertè loquẽtem hunc in modum. Cumq; uidisset Sarra filiũ Agar Ægyptiæ ludentem cū Isaac filio suo, dixit Abrahamo: Expelle ancillã istã cū filio suo, non enim erit cohæres filius ancillæ filio meo. id dictũ de filio durum uidebatur Abrahamo. Cui dixit Deus: nō est cur durũ tibi uideatur quod dixit Sarra de ancilla & puero. quicquid dixerit audi uocẽ eius: quoniam in Isaac uocabitur tibi semẽ. Intellexistis igitur, quòd qui sub quercu prædixerat se reuersurum, ut præsciãs Abrahæ opus fore Sarra consultrice, reuersus scribitur: sicut uerba hæc significant: dixit autem deus Abrahamo: non est cur durũ tibi uideatur quod dixit de ancilla & puero. Maxime, inquit Tryphon. sed hinc non persuades alium esse deum præter hunc Abrahamo conspectum, qui & alijs patriarchis prophetisq; apparuit: tantum ostẽdisti nos non rectè intelligere, omnes tres exceptos Abrahami tabernaculo fuisse angelos. Respōdi: Ergo etiam si è scripturis nō possem demonstrare, unum ex illis tribus & Deum esse, & angelum uocari, quòd eo nunciante (ut iam dixi) perferantur mandata dei creatoris ad quoscunq; ille uult: tamẽ eum ipsum qui specie uiri conspectus est in terris Abrahamo comitatus duobus angelis, probabiliter intelligeretis deũ antiquiorẽ mũdo cõdito, sicut tota natio uestra intelligit. Certe, inquit, sic em̃ citra secũdũ cõsisteremus. Tũ ego: Reuertamur ad scripturas, dabo operã ut persuadeã, hũc qui Abrahamo, Iacobo, Mosiq; cõspectus dicit, & in scripturis deus uocatur, esse à

esse à creatore diuersum: numero, inquam, non sententia. certum est enim, eum nihil unquam fecisse, nisi quod ipse mundi creator, quo non est superior deus alius, faciendum atq; dicendum censuit. Fac, inquit, ut id iam liqueat, ut hic quoq; consentiamus: quando quidem uideris dicere, illum nec fecisse quicquam nec locutum esse præter creatoris sententiam. Scriptura, inquam, proxime recitata uobis id declarabit. uerba eius sunt hæc. Sol exortus est super terram, & Lot ingressus est in Segor: & Dominus pluit super Sodomam & Gomorram sulfur & ignem à Domino de cælo, & subuertit has ciuitates cum agris earum omnibus. Tum unus è quatuor Tryphonis comitibus qui permanserant, Ergo, inquit, fatendum est, eum unum, quem duobus angelis Sodoma profectis, Moses nominat Dominum, esse Deum alium, qui se Abrahamo cernendum præbuerit. Non hac tantum de causa, inquam, uerum fateri oportet modis omnibus, alium quendam præter hunc qui creator omnium rerum intelligitur, Dominum dici à sancto spiritu, nec solum per Mosem, sed & per Dauidem. nam & ille cecinit: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: sicut iam ante recitauimus. Rursum aliubi: Sedes tua Deus in seculum seculi, uirga æquitatis uirga regni tui. Dilexisti iusticiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te deus, deus tuus oleo læticiæ præ consortibus tuis. Ergo si & alium quendam deum dominumq; prædicari à spiritu sancto dicitis, præter omnium patrem & Christum eius, respōdete: equidem pollicitus sum me per scripturas declaraturum, non alterum è duobus angelis Sodoma profectis appellari Dominum, sed illum dici Deum, qui cū eis Abrahamo uidendum se præbuit. Declara, inquit Tryphon, nam ut uides & dies procedit, & nos imparati sumus ad tantas periculosas responsiones: quando quidem talia scrutantur aut querentem aut declarantem audiimus antea neminem, ac ne te quidem tulissimus, nisi ad scripturas referres omnia. nam ex his argumenta conaris adducere, & negas ullum deum creatore superiorē. Scitis, inquam, legi sic in sacris literis: Et dixit dominus ad Abrahamam: quare risit Sarra dicens, Nū uerè paritura sum anus? nunquid deo quicquam est difficile? hoc anni tempore ad te reuertar olim, & habebit Sarra filiū. Et paulò post. Cumq; surrexissent inde uiri direxerunt oculos cōtra Sodomam: Abrahamam uerò simul gradiebatur deducens eos. & dixit Dominus: Num cælare potero Abrahamum quæ gesturus sum? ac rursum paulò post. Dixit dominus, Clamor Sodomorum & Gomorram multiplicatus est, & peccatum eorum

aggrauatum est nimis. Descendam, & uidebo utrum clamorē qui uenit ad me, opere compleuerint: an nō est ita, ut sciam. Conuerteruntque se inde uiri, & abierunt Sodoma: Abrahā autē adhuc stabat corā domino, & appropinquās ait: Nunquid perdes iustū cum impio? & que deinceps sequuntur. nō libet enim eadē repetere, sufficiūt quæ protuli ut rem Tryphoni probabilē facerē. tandē ad eum locū deueni ubi legitur: Abiitque Dominus postquā cessauit loqui ad Abrahā, & ille quoque domū reuersus est. Venerūtque duo angeli Sodoma uespere, sedente Lot in porta ciuitatis, & deinceps usque illa uerba: uiri autē correptū manibus Lotū attraxerunt ad se in ardes, & clauerunt eas, & que sequuntur usque illa: & apprehenderunt angeli manū eius, & manū uxoris, & manus filiarū, eo quod parceret Dominus illi, & postquā adduxerūt eos extra ciuitatē, dixerūt: Serua animā tuā, noli respicere post tergū, nec cōsistas usquā in agro circumuicino, in montē serua teipsum, ne simul abripiaris. dixitque Lot ad eos: precor Domine, quia inuenit seruus tuus gratiam corā te & magnificasti iusticiā tuā quā fecisti mecū ut uiuat anima mea: nec possum in montem euadere, ne forte assequatur me calamitas & moriar: ecce ciuitas hæc iuxta, ad effugium patet, parua. nunquid non parua est, & uiuet anima mea. Dixitque ad eum: ecce rationem tui habeo, & hoc quoque impetrasti ut non subuertam oppidum pro quo deprecatus es. Propera ut serueris in ea. Non enim potero exsequi mandatum donec te illuc recipias. propterea uocauit nomen illius oppidi Segor, sol exortus est super terram, & Lot ingressus est Segor: & Dominus pluit super Sodoma & Gomorram sulfur & ignem à Domino de cœlo, & subuertit ciuitates has cum agris suis omnibus. His recitatis rursum rogabam, Ne nunc quidem intelligitis amici, unū ex his tribus Deū dominumque esse illi cœlesti ministrantem, duorum angelorum dominum: progressis enim eis Sodoma, ipse relictus colloquebatur cū Abrahamo, sicut Moses literis prodidit, qui postquā digressus est absoluto colloquio, Abraham quoque domum rediit: ille autem ubi superuenit, non iam duo angeli uersantur cum Lot, sed ipse, ut scriptura indicat: & est Dominus, à domino illo cœlesti, hoc est rerū creatore, accepta potestate animaduertēdi in Sodoma Gomorramque, quod his uerbis recenset: Dominus pluit super Sodoma & Gomorrā sulfur & ignē à domino de cœlo. Tū Tryphō, me silēte, Apparet, inquit, scripturas nobis hęc confessionē exprimere. illud dubitatione dignum esse non negabis, quod dicitur edisse quæ Abraham parauit & apposuit. Scriptum est, inquam, illos edisse.

id si de

id si de tribus dictum accipiamus, non de solis duobus, qui reuera erant angeli, & in caelis ut constat uesci soliti, licet alio cibo quam homines. nam de manna qua patres uestri alebantur in deserto ait scriptura: Panem angelorum eos esitasse: dicerem sic intelligendum hic, ut cum dicitur ignis comesse omnia. nec tamen id accipitur ita, quasi commansa maxillis & dentibus absumpserit, proinde ne hic quidem relinquitur ullum dubium, si tropologiam uel modice attrigimus. Ad hæc Tryphon: possumus & huic difficultati mederi si tropum admittamus, & absumpta intelligamus quæ comesta scribuntur. perge rationem reddere, quomodo hic Deus Abrahamo conspectus, minister Dei creatoris omnium, de Virgine natus est homo ceterorū passionibus obnoxius. Tū ego, Sine mi Tryphon, prius alias probationes ad hoc caput pertinentes adducam prolixius, ut uobis etiam persuasum fiat, tum postea reddetur ratio quam postulas. Fac ut libet, inquit, facturum mihi rem gratissimam. Scripturis, inquam, uobiscum acturus sum, non uerborum apparatu artem ostentaturus. non sum enim tali facultate præditus, tantum gratiam intelligendi scripturas deus mihi dedit, cuius participes sine mercede & sine inuidia fieri omnes hortor: ne si secus faciam, reus fiam uenturo iudicio, quando creator omnium Deus iudicabit per Iesum Christum meum dominum. Facis, inquit, Tryphon, ut homine pio dignum est, sed uideor mihi quandam ironiam in tuis uerbis deprehendere, dum negas tibi artem dicendi contigisse. Sit ita, inquam, si ita tibi uidetur. equidem credo me nihil fingere: sed ut probabiliora quæ supersunt efficiam, aduerte animum. Dic, inquit. Tum ego: Fratres, Hoc quoque Moses scripsit, quod hic qui conspectus patriarchis dicitur Deus, & angelus & Dominus appellatur, ut uel hinc agnoscatis eum ministratorem patri uniuersorum, sicut iam annuistis, & pluribus argumentis persuasi confirmabimini. Verbū Dei per Mosē sic narrat de Iacobo Abrahami nepote. Et postquā cōceptus ouium aduenerat uidi oculis meis per somniū, & ecce hirci & arietes salientes super oues caprasque secti linea cādida, & uarij, & cinericij sparsi maculis. dixitque angelus Dei ad me in somnis: Iacob Iacob, & respondi, Quid est Domine? & ait: tolle oculos tuos, & uide hircos arietesque salientes super oues & capras, sectos linea cādida & uarios & cinericios sparsos maculis. uidi enim quicquid tibi Laban facit, ego sum Deus ille quē uidisti in loco Dei, ubi unxisti mihi columenam, & uotum uouisti mihi. nunc ergo surge, & egredere de terra hac & proficiscere in terram natalem, & ero tecū. Rursum aliubi

de eodē Iacobo sic loquitur: Surrexit autem nocte illa, assumptisq̄
 duabus uxoribus, & duabus pedisequis, & undecim pueris, tran-
 sivit uadum Iaboch, & transmisit ultra torrentem sua omnia. ipse
 uerò mansit solus, & luctabatur angelus cum eo usq̄ mane. uidit
 autem se non posse præualere, & tetigit latitudinem femoris eius,
 quæ mox inter luctandum obtorpuit. dixitq̄ ad eum: dimitte me.
 ascendit enim aurora. respondit, non dimittam, nisi bene precatus
 fueris mihi. tum ille: Quod nomē est tibi? respondit: Iacob. at ille:
 nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomē tuum, sed Israel: quo-
 niam si robustus fuisti contra deum, præualebis & contra homi-
 nes. Iacob autem rogauit, Dic mihi nomen tuum. & respondit al-
 ter, quid ita quæris de meo nomine? & bene ominatus est ei in eo-
 dem loco. Vocauitq̄ Iacob nomen loci, Visio Dei, dicens: Vidi
 Deum facie ad faciem, & gauisa est anima mea. ac rursus aliubi de
 hoc ipso Iacobo narrās sic ait: Venit autem Iacob Luzam, quæ est
 in terra Chanaan; cognomento Bethel, ipse & omnis populus qui
 erat cum eo. ædificauitq̄ ibi altare, & appellauit nomen loci illius
 Bethel: ibi enim apparuerat ei Deus cum fugeret Esaum fratrem
 suum. eodem tempore mortua est Debora nutrix Rebeckæ, & se-
 pulpta est ad radices Bethel subter quercum: uocatumq̄ est nomē
 loci illius Quercus luctus. Apparuit autē iterū Deus Iacobo post
 quàm reuersus est de Mesopotamia Syriæ, benedixitq̄ ei dicens:
 Non appellabitur nomē tuum Iacob, sed Israel erit nomen tuum.
 Deus uocatur, Deus est, & erit. Cumq̄ annuissent omnes: & illa
 uerba, inquam, quæ narrant quomodo fugientis fratrem Esaum, hic
 & angelus & Deus & Dominus in specie uiri apparuerit, & in
 specie hominis cum ipso Iacobo colluctatus sit, necessaria relatu
 existimo. sunt autem hæc: Et profectus Iacob à puteo Iuramenti
 pergebat Charras, cumq̄ uenisset ad locum, cubauit illic. Occide-
 bat enim Sol. tulitq̄ de lapidibus loci, & supposuit suo capiti, atq̄
 ita dormiuit. uiditq̄ in somnis scalā stantē super terram, & summi-
 tas eius pertingebat ad cælum, angelos quoq̄ Dei ascendentes &
 descendentes per eam. Dominus autē innixus scalæ allocutus est
 eum dicens: Ego sum Dominus Deus Abrahami patris tui & Isaac.
 Noli timere. Terram in qua dormis, tibi dabo & tuo semini, &
 erit semen tuum sicut puluis terræ. dilatabitur ad mare & austrū
 & septemtriones & orientem, benedicenturq̄ in te omnes tribus
 terræ & in semine tuo. Deducam te quacumq̄ proficisceris, & re-
 ducam in terram hanc, quia non destituam te donec perfecero quæ
 cunq̄ locutus sum tibi. cumq̄ euigilasset Iacob de somno, ait: Do-
 minus

minus est in loco hoc, & ego nesciebam, territusque dixit, quam horribilis est locus hic: non est hic aliud, nisi domus Dei & porta caeli. Surgens ergo Iacob mane, tulit lapidem quem capiti supposuerat, & erexit in titulum, & infudit oleum desuper, appellavitque nomen loci Domus dei, cum prius Vlammaus dictum sit hoc oppidum. His recitatis sustinete, inquam, ut & è libro Exodi uobis demonstrarem, quomodo hic ipse qui angelus, Deus, Dominus, uir, homo, Abrahamo Isaacoque uisus est, in ardente rubo Mosi conspectus eum alloquebatur. cumque libenter & absque tedio se audituros pollicerentur: hæc sunt, inquam, quæ leguntur in Exodo. Post multos autem dies illos mortuus est rex Ægypti, & ingemuerunt filii Israel propter opera: & reliqua usque Vade conuoca senatum Israel, & dices ad eos: Dominus Deus patrum uestrorum, deus Abraham & deus Isaac & deus Iacob apparuit mihi dicens: Visitatione inuiso uos, & quæcunque acciderunt uobis in Ægypto. Quibus recitatis, Intelligitis, inquam, ô uiri, quod quem Moses angelum ex igne locutum ait, is indicat ipsi Mosi se esse Deum Abrahami Isaaci Iacobi que: Non hoc, inquit, Tryphon intelligimus ex uerbis modò recitatis, sed angelum fuisse qui in flamma ignis conspectus est, Deum uerò Mosi loquutum, itaque & angelum & Deum duos simul apparuisse illo tempore. Tum ego, Etiam si concedamus amici & angelum & Deum simul eadem uisione Mosi apparuisse, de qua scripturam audiuimus, non est ille rerum creator hic qui apud Mosem profitetur se Deum Abrahami Isaaci Iacobi que: sed is quem, ut declaratum est, Abraham & Iacob conspexerunt ministrantem creatoris uoluntati, & exsequentem decretoriam ipsius contra Sodomitas sententiam. itaque etiam si res sic se habeat ut dicitis, quòd duo erant angelus & Deus, non creatorem illum patrem que omnium relictis rebus celestibus in exiguo terræ spatio conspectum esse, qui uis modò sanæ mentis sit, audebit dicere. Tum Tryphon, Quoniam declaratum est, quòd ille Abrahamo conspectus, qui Deus & Dominus nominatur, è celestis Domini autoritate intulit Sodomorum terræ quæ intulit, & nunc quoque angelus erat cum altero Mosi Deus conspectus: Deum qui è rubo Mosem alloquutus est: non rerum creatorem Deum fuisse intelligemus, sed alterum, illum, quem demonstratum est uisendum se præbuisse Abrahamo Isaacò Iacoboque: qui etiam angelus creatoris Dei esse dicitur & intelligitur, eo quod renunciaret hominibus uoluntatem patris creatoris que omnium. Tum ego: attamen mi Triphon rursus demon

demonstrabo, hunc ipsum qui solus & angelus uocatur & Deus est, non modo apparuisse Mosi, sed colloquutum etiam. sic enim dicit scriptura: Apparuit autem ei angelus Domini in flama ignis de rubo: & uidebat rubum ardere, nec comburi tamē, & dixit Moses: accedam & uidebo uisionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. ubi uerò dominus uidit accedentem uisendi causa, uocauit eum de rubo. quemadmodum igitur eum qui iacobo in somnis apparuit, angelum scriptura dicit: deinde hunc ipsum angelum narrat sic locutum: Ego sum ille Deus quem uidisti cū uultum Esau fratris tui fugeres: & Abrahami ætate damnatis Sodomis Dominus à Domino de cælo damnationem intulisse legitur: sic & nunc quando scriptura narrat angelum Domini apparuisse Mosi, ac mox Dominum Deumq; fuisse significat: eum ipsum in dicat quem sæpe legitimus ministrantem illi super mundano deo, quo nō est alius superior. Aliud quoq; testimoniū ē scripturis uobis amici proferā, quòd in principio ante omnes creaturas Deus ex seipso genuit potentiam quandam rationalem, quæ & gloria Domini à spiritu sancto uocatur, interdum etiam filius, sapientia, angelus, sermo, Deus, Dominus, aliquando etiam magistrum militiæ se dicit, quando humana specie apparuit Iesu Naue filio. conueniunt enim ei hæc omnia nomina, eo quòd paternam uoluntatē exsequatur, & ex patre uolente prognatus sit, aliter tamē quam natum uidemus nostro seculo. nam & nos sermonem mente conceptum proferimus uerbis absq; detrimento eius qui intus conceptus est: quale quiddam in igne uidemus accidere, dum alius emanantis, ut nihil inter hunc & ex eo accensum differat, quando quidem nihil decedit alteri. attestabitur mihi sermo ipsius sapientiæ, quæ est hic ipse Deus ex patre uniuersitatis genitus, idem sapientia, uirtus gloriæq; sui genitoris, sic per Solomonem loquens: Si annuncio uobis quæ quotidie fiunt, recensebo etiam initia seculi. Dominus creauit me initio, uiam suam ad opera sua. ante secula fundauit me in principio, antequam terram & abyssos faceret, antequam fontes aquarum prorumperent, & antequam montes stabilirentur, ante omnes colles gignit me. Deus fecit regiones tum desertas tum habitatas sub cælo. Quando parabat cælum, aderā: quando super uentis sedem designabat sibi, quando firmabat nubes de super, & librabat fontes abyssi, quando solidabat fundamenta terræ, eram cum eo coaptans ea: ego eram qua oblectabatur, & lætabar coram eo omni tempore: quoniam orbe absoluto gaudebat, & delectaba-

delectabatur filijs hominum. Nūc ergo fili audi me: beatus uir qui obedit mihi, & homo qui custodit uias meas, accubans foribus meis per diem, & obseruans meos introitus, nam exitus mei exitus uitę, & parata est uoluntas à domino: qui autem in me peccarit, impius est erga suam animam. & qui me oderunt diligunt, mortem. Hęc eadem ô amici & per Mosē nos docet Dei uerbum, describens eum quem constat esse Deum, sic loquentem de creatione hominis: Faciamus hominē ad imaginem nostram & similitudinem, & dominantur piscibus maris, uolucris cęli, pecudibusq; ac uniuersę terrę, cunctisq; reptilibus quę repunt super eam. Et fecit deus hominem, secundum imaginem Dei fecit eum, marem & scēminam fecit eos: & benedixit eos Deus dicens: Crescite & multiplicamini, & implete terram, & subiicite eam. Sed ne deprauando dicta uerba, more uestrorum magistrorum interpretemini, secum ipsum locutum deum cū diceret Faciamus: sicut & nos facturi aliquid intra nos dicimus, faciamus: aut allocutum esse elementa, terram & reliqua unde intelligimus hominem, dixisseq; Faciamus. Rursum eiusdem Mosē uerba referā, ex quibus citra controuersiam patebit, Deum locutum esse ad alium aliquem numero differentem & ratione pręditum. Verba ipsa sunt hęc: Et dixit Deus: Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis, ut noscat bonum & malum. Ergo cū dicit Vnus ex nobis, & numerum, & ut minimum duos simul fuisse indicat, nec enim cuidam uestrę sectę, aut eius doctoribus tanquam uera docentibus assentio, quod angelos allocutus sit, aut quod angelorum opus sit corpus humanum: sed hęc uera patris progenies ante omnes creaturas cum patre erat, & hanc pater alloquitur, sicut per Solomonē est proditum, ab initio ante omnes creaturas ex Deo prognatam, quam ipse Solomon uocat sapientiam: quam dixi Iesu Naue in conspectum uenisse, ut ipse retulit, & ut clarius fiat quod dico, audite hęc ex libro Iesu de prompta: Cū esset Iosue in agro Hierichuntino, leuauit oculos, uidit uirum stantem contra se: accessitq; ad eum & ait: Noster es, an hostium? & dixit ei, Imperator exercitus domini nunc uenio. tum Iesus adorabundus procidit in terram dicēs: Here quid mandas seruo tuo? & dixit magister militię domini ad Iesum: Solue calceamenta pedum tuorum: locus enim in quo stas, terra sancta est. Hiericho autem clausa erat atque munita, & nemo progrediebatur ex ea. & dixit Dominus ad Iesum: Ecce do in manus tuas Hierichuntem & regem eius, quantumuis uiribus polleant. Tum Tryphon, Multis & ualidis argumentis hęc probas amice, Super

ce. Superest igitur demonstrandum, quod hic ex Virgine homo nasci iuxta patris sui uoluntatem sustinuerit, & cruci affixus mori: atque etiam rediuiuus in cœlum ascenderit. demonstra hæc. Respondi: lam hæc quoque demonstraui ô uiri in superius recitatis uerbis propheticis, quæ ut gratificer uobis reuocare non grauiabor in memoriam, & his explicatis conabor traducere uos in meam sententiam. Verba Esaia sunt hæc: Generationem eius quis enarrabit: quia tollitur de terra uita eius. Hæc nonne ita dicta uidentur, quasi genus ducat non ex hominibus: cum dicatur propter populi peccata morti addictus à Deo. de cuius sanguine Moses quoq; ut meministis, loquitur, dum ait eum lauare stolam suam in uua sanguine: figuratè subindicans hunc sanguinem non esse oriundum ex humano semine, sed ex dei uoluntate. Quin & illa Dauidica carmina: In splendoribus sanctorum tuorum ex utero ante luciferum genui te. Iurauit Dominus, nec poenitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec: nonne docent uos, quod superne per uentrem humanum Deus & pater uniuersorum erat eum progeniturus: sicut & alibi dictum iam memorauit: Sedes tua deus in seculum seculi, uirga rectitudinis uirga regni tui. Dilexisti iusticiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Myrra & stacte & casia de uestibus tuis: de turribus eburneis ex quibus exhilararunt te filia regum in honorem tuum. Astitit regina à dextris tuis, auro distincta ueste amicta ornataq;. Audi filia & uide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populi tui, ac domus patris tui, & concupiscet rex tuam pulchritudinem: quoniam ipse est Dominus tuus, & adorabis eum. Ergo & adorandum & Deum & Christum esse uates hic testat apertissime, sicut ex his eius uerbis colligitur, & quod credentes in ipsum, tanquam unam animam, unum coetum, unam concionem, Dei uerbum appellet filiam, ecclesiam natam ex ipsius nomine, & ei cognominem, quando Christiani omnes uocamur, æquè clare hæc uerba prædicant, docentq; nos obliuisci parentum ueterum, dum occinunt: Audi filia & uide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere popularium tuorum paternaq; familiæ, ut concupiat rex tuam pulchritudinem: quoniam ipse est tuus Dominus, & adorabis eum. Ad hæc Tryphon: Sit uestrum ex gentibus conuersorum Dominus & Christus & Deus agnitus, qualem scripturæ præsignant: nos autem Dei, qui & hunc ipsum fecit, cultores esse simus, non opus habemus confiteri eum, nec adorare. O Tryphon, inquam, si tam contentiosus & inanis essem quam uos, non hæc

nus per

nus perduraffem in hoc colloquio, uobis non tam ad intelligendū paratis, quàm ad contradicendū. nunc quia iudiciū Dei timeo, nō audeo de quoquā uestrū desperare, dubitans ne forte sit ex illis reliquijs seruandis per gratiā Domini sabaoth. quapropter etiā si malicioſe tergiuerſemini, urgere non deſinā ad quaſlibet obiectiones reſpondēdo, nec aliter me gerā erga quēcūq; hominē de huiusmodi rebus cōferendi ſcitandiq; cupidū. proinde quod quicūq; ex ueſtro genere ſeruabūtur, per hūc ſalutē adipiſcētur, & ad huius ſortem pertinet, potuiſſetis intelligere, ſi iam antē recitatis per me ſcripturis attentē mentē aduertiffetis, nec opus eſſet hæc ex me querere. attamē repetā denuo Dauidica illa: uos rogo detis operā ut intelligatis hæc potius, quàm malicioſe carpatis. uerba Dauidis ſunt hæc: Dominus regnauit, irascentur populi: qui ſedet ſuper Cherubim, commoueatur terra. Dominus in Sion magnus, & excelsus ſuper omnes populos. Conſiteantur nomini tuo magno, quoniā terribile & ſanctum eſt: & honor regis iudicium diligit. Tu paraſti diſcrectiones, iudicium & iuſticiam in Iacob tu feciſti. Exaltate dominum deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt. Moſes & Aaron in ſacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius. Inuocabant dominum, & ipſe exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos: quia cuſtodiebant teſtimonia eius, & præcepta quę dedit illis. Ex alijs quoq; Dauidis uerbis iam recitatis, quę parum prudenter ad Solomonem trahitis, quod Pſalmus Solomonī ſit inſcriptus, demōſtratum eſt, ea in illum non competere: ſed in hunc, qui antē ſolem erat, per quem ſeruabuntur quotquot ueſtri homines ſalutem conſequentur. uerba uatis ſunt hæc: Deus iudicium tuum regi da, & iuſticiā tuam filio regis, ludicare populum tuum in iuſticia, & pauperes tuos in iudicio. Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſticiam. ludicabit pauperes populi, & ſeruabit filios pauperū, & humiliabit calumniatorē. Et permanebit cū ſole, & ante lunā in generationes generationū. & cetera uſq;: ante ſolē permanet nomē eius & benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, omnes gentes beatū eum prædicabūt. Benedictus dominus deus Iſrael qui facit mirabilia ſolus, & benediētū nomē maieltatis eius in ſeculū ſeculi, & replebitur gloria eius omnis terra: fiat fiat. Quin & illud memoria reſpetite, quod ex alijs uerbis æquē Dauidicis docui: quibus prædicatur à ſummo cœlo progreſſurus, ac ruruſum in eū locū reuerſurus: ut & Deū agnoſcatis qui ſuperne deſcenderit, & hominē qui uerſatus ſit inter homines, eundē rediturū conſpiciendum ab his qui

h plangent

plangent se quòd eum confixerint. carmen est hoc: Cœli enarrant
 gloriam dei, & opera manuum eius annunciat firmamētum. Dies
 diei eructat uerbū, & nox nocti indicat scientiā. Non sunt loquelg
 neque sermones quorum uoces non audiantur. In omnem terram
 exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrę uerba eorum. In sole po
 fuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedēs de tha
 lamó suo. Exultauit ut gigas ad currendam uiam: à summo cœlo e
 gressio eius, Et occurfus eius usq; ad summū cœlum: nec est, qui se
 abscondat à calore eius. Tū Tryphon: Cū tot scripturas reuereat,
 nescio quid dicendum sit de illis uerbis Esaia, quibus Deus negat
 se alteri concessurum suam gloriam sic dicens: Ego dominus deus,
 hoc meum nomen est, gloriam meam alteri nō dabo, neq; uirtutes
 meas. Respondi, Si simpliciter & sine malicia mi Tryphon prolo
 cutus hæc uerba, reticuiſti quæ coniunctim præcedunt sequunt
 turq; mereris ueniam: sin ideo quia putas te iniecturum difficulta
 tem disputationi, quo me cogas dicere, pugnare scripturas inter se
 inuicem, falleris. id enim non ausim unquā uel cogitare uel dicere:
 sed si quę scriptura proponatur talis in speciem, quæ uideatur esse
 alteri contraria, cū persuasum habeam nullā his ineffe contradi
 ctionem mutuam, citius fatebor me quę dicuntur non intelligere:
 & ut de scripturis idem sentiāt, persuadere conabor aduersarijs. tu
 quo animo problema hoc obieceris, deus nouit. ego recitabo uos
 bis sermonis seriē, ut ex ipso cognoscatis, quòd deus Christo suo
 soli det hanc gloriam. repetam autem paulò altius quæ cohærent
 cum citatis à Tryphone, quædam etiam mox sequentia subiiciam,
 non concisa enim, sed uno contextu ita ut sunt, recitabo: uos animū
 tantisper mihi aduertite. textus sic habet: Hæc dicit dominus deus
 creans cœlos & extendens eos, firmans terram, & quę germinant
 ex ea, dans flatū populo qui est super eam, & spiritum calcantibus
 eam. Ego dominus uocaui te in iusticia, & apprehendi manū tuam
 & seruaui te: & dedi te in foedus populi, in lucem gentium: ut aperi
 res oculos cecorum, ut educeres è uinculis compeditos, & è domo
 carceris eos qui sedent in tenebris. Ego dominus Deus, hoc est
 nomen meum. Gloriam meam alteri non dabo, nec uirtutes meas
 sculptilibus. Quę prima fuerunt ecce uenerunt, noua quæ ego an
 nuncio, & antequam annunciarentur, manifestata uobis fuerant.
 Cantate domino canticum nouum, principatus eius ab extremis
 terræ, Qui descenditis in mare, & nauigatis semper: insulæ & ha
 bitatores earum. Lætetur desertum & uici uillæ quę eius, qui ha
 bitant Cedar & Petram lætabuntur. De uertice montiū clamabūt,
 dabunt

dabunt Deo gloriam, & uirtutes eius in insulis nunciabunt. Dominus Deus exercituum egredietur, conteret bellum, excitabit zelum, in clamabit inimicos suos cum fortitudine. His recitatis intellexistis inquam, uiri amici, Deum dicere, daturum se gloriam huic quem praelucere gentibus uoluit, non cuiquam alteri: & falli Tryphonem qui putat Deum sibi retinere suam gloriam? Intelleximus, inquit Tryphon, hoc quoque. Perge igitur, & absolue quod superest. Tum ego reuersus eo ubi desieram, natiuitatem e Virgine ostendere, & uirginis partum iam olim per Esaiam praedictum fuisse, prophetiam eandem repeti sic canentem: Et apposuit Dominus loqui ad Achaz dicens: Pete tibi signum a domino Deo tuo in profundum aut in excelsum. Et dixit Achaz: non petam, nec tentabo Dominum. Et dixit Esaias, Audi domus Dauid: num parum uobis est esse molestos hominibus, nisi molesti sitis & Domino? propterea Dominus ipse dabit uobis signum. Ecce uirgo in utero concipiet, & pariet filium, & uocabunt nomen eius Emmanuel. butyrum & mel edet, priusquam dignoscat malum, eliget bonum: quia priusquam dignoscat puer is malum a bono, reiciet malum ut bonum eligat: quia priusquam sciat uocare patrem aut matrem, capiet copias Damasci & spolia Samariae coram rege Assyriorum, & occupabitur terra. dura patieris a uultu regum duorum: sed inducet Deus super te & super populum tuum & super domum patris tui dies quales nunquam fuerunt ex qua die abstulit Ephraim a Iuda regem Assyriorum. Et subiunxi: quod autem ex genere carnali Abrahamae nunquam quisquam natus sit aut natus dicatur, praeter hunc nostrum Christum, omnibus est perspicuum. Respondit Tryphon: Scriptura non habet, Ecce uirgo concipiet, & pariet: sed, Ecce puella concipiet & pariet filium, & quae deinceps recitasti. tota autem haec propheta refertur ad Ezechiam, in quo euentus eius apparuit. Graecorum sunt istae fabulae, narrantium Persea natum e Danae uirgine, cum Iouem auri specie fluentem excepisset in gremium. Vos quoque dum narratis eadem, deberetis erubescere, & fateri potius hominem ex hominibus natum Iesum istum: tum si e scripturis ostenderitis ipsum esse Christum, propter absolutam legis obseruationem dignum habitum ut in Christum eligeretur: non prodigiosas fabulas temere confingere, ne aequae ac Graeci nugari conuincamini. Ad haec ego, O Tryphon, inquam, illud tibi persuasum uolo & alijs omnibus, quod etiamsi ridendo illudendoque male mihi obloquamini, non auertetis a proposito: sed ex his ipsis rebus ac sermonibus quos contra me afferre uos putatis, argumenta pro me

colligam, adhibito semper scripturarum testimonio. non rectè tamen, nec ut amicum ueritatis decet, facis, dum in dubium reuocas ea de quibus iam inter nos conueniebat, propter durū cor populo uestro per Mosē præcepta quædam fuisse imposita, ais enim propter legis obseruationē electum Christū, si modo hūc esse Christū e scripturis probari queat. Fatebaris enim, inquit, & circumcisum fuisse & obseruasse cætera mandata legis Mosæicæ. Fateor inquam nūc quoq; nego tamē pertulisse omnia ut iustificaretur per ea, sed ut perficeret dispensationē patris sui, creatoris omniū & dei atque domini. fateor enim eū sustinuisse ut in cruce moreret, & homo fieret, & pateretur acceptas à uestra gente iniurias. sed quoniā rursus uideris dissentire ô Tryphon, in quibus cōsenseris, respōde mihi: patriarche illi & iusti qui uixerūt absq; obseruatione legis late per Mosē postea, sunt ne salui & beatorū cohæredes, an nō? Scripturæ, inquit, cogunt ut saluos fatear. Responde hoc quoq; inquā, obseruationes & uictimas cur Deus exegit à uestris patribus: num quòd his egeret, an propter cordis eorū duriciā & procliuatē ad cultū idolorū? & hoc, inquit, fatemur scripturis cogētibus. Quid illud, inquā, nōne scripturis hōsdē prænunciatū est, pacturū Deū aliud foedus præter id quod in mōte Horeb pepigerat? prænunciatū est inquit. Vetus, inquā, testamentū cū timore tremoreq; acceperunt patres uestri, ita ut ne audire quidem Deum ualèrent. Fassus est. Tum ego, Ergo illud alterū Deus pollicitus est, non quale prius, sed tradendum sine pāuore, tremore, fulguribusq;: per quod ostenderetur illud mandatum sempiternum, quod conuenire uniuerso humano generi Deus nouit: cæterū superiora fuisse accommodata duriciæ uestri populi, sicut ipse Deus per prophetas suos occlamabat. Hoc quoq; inquit, fatendum est, ne contentioni magis quàm ueritati studere uideamur. Nescio quomodo fit, inquam ut cum non probes contentionem in alijs, ipse interdum hæreas in hoc crimine, negans quæ prius concesseras. Incredibile est enim, inquit, & penè impossibile quod persuadere conaris, Deum sustinuisse nasci & hominem fieri. Si id, inquam, humanis argumentis tentarem euincere, ferre me non deberetis, quòd si scripturas id prædicantes toties uobis ingerens ut eas agnosceatis postulo, occalluistis corde quominus cognoscatis mentem Dei uoluntatemque, ego retinens quæ & ante conflictationem hanc nostram tenui, uos missos faciam. Tum Tryphon, Scis amice, multis laboribus tibi constitisse hanc noticiam. proinde nos quoque oportet examinare quicquid obijcitur, & eatenus assentiri, quatenus

quatenus scripturis cogimur. Non postulo inquam, ne modis omnibus studeatis examinare quæ disquiruntur, sed ne temerè contradicatis his quibus semel assensistis. ut id fiat, inquit, dabimus operam. Rursum inquam, ulterius ex uobis percontari uolo. sic enim curabo ut breui absoluaatur hoc colloquium. Percontare, inquit. Numquem alium, inquam, adoratione dignum Dominum deumq; in scripturis intelligitis, præter creatorem huius uniuersitatis & Christum, quem hominem factum esse probauimus tot scripturarum testimonijs? Qui possumus, inquit, assentire, quãdoquidem quæstio tota in hoc uertitur, nūquis præter solum patrem sit alius? Necessè est inquam, & hoc scitari, nūqua in re dissentiat à Deo. Non o bone, inquit. Ergo inquam, si uerè consentitis, & uerbum dei dicit, Generationem eius quis enarrabit: nonne debetis intelligere, non esse genitum ex humano semine? Quomodo igitur, inquit, Dauidi promittitur, Deum ex lumbis ipsius assumpturum sibi filium, cuius regnum prosperabit, & regem ipsum collocabit in summa maiestatis solio? Tum ego, mi Tryphon, si propheta Esaias non domui Dauidis, sed cuiuspiam è duodecim tribubus, prædixisset, Ecce uirgo in utero concipiet, fortasse haberet difficultatem hoc negotium. nunc quoniam hæc propheta spectat ad Dauidis familiam quod Deus occulte promisit Dauidi, hoc Esaias quomodo futurum esset enarrauit. nisi forte ignoratis amici, multos sermones prius testos similitudinibus, mysterijs, figurisq;, uel uerbis uel operibus declaratos à prophetis subsequutis postea. Certo scimus id, inquit Tryphon. Ergo, inquam, si demonstrauero hanc Esaiæ prophetiam non ad Ezechiam ut uos putatis spectare, sed ad Christum nostrum, nonne pudebit uos credere uestris doctoribus: qui audent dicere, interpretationem hanc quam uestrates Septuaginta seniores ediderunt apud Ptolemæum regem Ægyptiorum, non esse ueram in locis aliquot: nam quicquid in scripturis opinionem eorum infamam & arrogantem disertò redarguit, id non ita scriptum audent contendere. quæ autem putant se posse ad suum propositum trahere, acta humana, ea negant in nostrum Iesum Christum competere, sed quocumq; ipsi detorquere conantur: quod & in hac scriptura quam nunc tractamus faciunt, docentes uos hæc de Ezechia dicta intelligere. id uerò mentiri eos declarabo, ita ut pollicitus sum. cum enim scripturas quæ disertè prædicant Christum passibilem & adorandum & Deum, de Christo intelligendas fateri cogantur, hunc Christum esse audent negare. uenturum tamen passurumq; & regnaturum ac etiã adorandum Deumq; fatentur, quod

ridiculum ac stultum esse demonstrabo. sed quoniam respondendum est prius ad ea quæ per risum cauillatus es, differentur paulisper hæc probationes. Velim igitur te scire mi Tryphon, quod quæcunq; deprauata diabolus inseruit Græcorum fabulis, quem admodum olim in Ægypto per magos operatus est, & per pseudo prophetas Eliæ seculo, & ipsa mihi confirmarunt scripturarum fidei atq; noticiam. cum enim Bacchum è Iouis Semelesq; complexu prognatum fabulantur, & post inuentam uitem discerptum necatumq; reuixisse narrant, & in cælum ascendisse, uinumq; arcanis eius sacris inferunt, nonne supradictæ Mosis de Iacob patriarcha prophetiæ imitationem intelligo? cum Herculem illum ualidum per omnes terras circumducunt, hunc quoq; è Ioue Alcumenæq; genitum, & mortuum in cælum ascendisse aiunt, nonne similiter intelligo imitamentum scripturæ canentis de Christo, quod robustus ut gigas currat per uiam suam? cum ad Æsculapium detorquetur mortuorum resuscitatio, cæterorumq; morborum sanatio, nonne hæc pariter ex prophetijs de Christo diuinantibus efficta deprehendo? Quoniam autem nondum recitauis uobis scripturam quæ Christum talia facturum significet, unam memorare necesse habeo, unde cognoscere poteritis, quomodo & ignorantibus Deum, gentibus, inquam, quæ nec oculis uident nec corde intelligunt, & statuas adorant ligneas, diuinum oraculum pollicetur fore ut his abnegatis in Christo spem collocent. uerba sunt hæc: Lætare desertum sitiens, exultet solitudo & efflorescat quasi lilium, & exultabunt deserta Iordanis. Gloria Libani data est ei & honor Carmeli. & populus meus uidebit celsitudinem Domini, & gloriam Dei. Confortamini manus remissæ, & dissoluta genua, consolamini pusillanimi corde. confortamini, nolite timere, ecce Deus noster ius reddit reddetq;: ipse ueniens seruiabit nos. tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum audient. tunc saliet sicut ceruus claudus, & disertus erit lingua mutorum: quoniam erupit in deserto aqua, & torrens in terra siticulosa: & arida uertetur in stagnum, & sitiens in fontem aquarum. Fons aquæ uiuæ à Deo datus in deserto, hoc est, fons cognitionis Dei, terræ gentium promanauit Christus hic qui è stirpe uestra exortus est: & à natiuitate cæcos iuxta carnem surdosq; ac claudos sanauit, uerbo efficiens ut alius saliret, alius audiret, alius uideret, excitatis etiam mortuis & ad uitam reuocatis, ut operibus pudentia faceret eius seculi homines ad credendum agnoscendumq; ipsum difficiles. illi uerò etiam cum uiderent patrari hæc miracula,

magica

magicas appellabant praestigias. nam & ipsum magum uocare au-
 debant impostorem que publicum. at ille etiam haec faciebat quo-
 certius persuaderet sibi credituris, fore ut etiam si quis sit parum
 integro corpore, modo disciplinam a se acceptam custodiat, inte-
 grum id in secundo aduentu recipiat, & insuper immortale nulli
 corruptioni molestiae ue obnoxium. Iam quando mithragyrtae suū
 Mithrum aiunt saxo progenitum, & speluncam uocant locum ubi
 discipulos inician, nonne hic licet agnoscere saxum illud quod
 Daniel dicit excisum sine manibus, nimirū his quoque oracula effin-
 gere conantibus? nam & praecpta de administranda iusticia desuma-
 pserunt callide e prophetis profani homines. id quo magis credatis,
 ex Esaia quaedam mihi recitanda sunt. ea sic se habent: Audite qui lon-
 ge estis que fecerim, & cognoscite uicini fortitudinem meam. Conter-
 riti sunt in Sion peccatores, occupauit tremor impios. quis annun-
 ciabit uobis locum aeternum, ambulantem in iusticia, loquentem uias re-
 ctas, auersantem iniquitates ac iniusticias, & manus seruante puras
 a corruptelis munerum. qui obturat aures ne audiat iniustum iudi-
 cium sanguinis, & claudit oculos ne uideat iniusticiam. hic habi-
 tabit in excelsa spelunca saxi munitissimi. panis ei dabitur, & aquae
 eius fideles sunt. Regem in maiestate uidebitis, & procul cernent
 uestri oculi: anima uestra timorem Domini meditabitur. ubi est li-
 teratus? ubi sunt consultores? ubi est qui dinumerat eos qui alun-
 tur, minorem maiorem que populum, cui non consuluerunt, ne-
 que sciuerunt profunditates uocum, ut ne audirent quidem. po-
 pulus uilis, & audiendo non intelligunt. In hac prophetia & de
 pane quem nobis noster Christus tradidit ad commemoratio-
 nem corporis assumpti propter credentes in eum, propter quos
 & passibilis natus est: & de poculo quod in memoriam sangui-
 nis sui cum gratiarum actione sumendum dedit, fit manifesta men-
 tio. tum quod hunc ipsum regem in maiestate uidebimus, declarat eae-
 dem prophetia: & quod populus ad credendum ei praedestinatus
 meditabitur timorem Domini, totidem uerbis propheta clamat. prete-
 rea quod qui existimatur sacrae literaturae periti, quantumuis pro-
 phetias audiunt non intelligunt tamen, ipsae scripturae clamant. Sic quan-
 do mi Tryphon Persea de uirgine natum audio, non me fallit im-
 postor serpens imitatus hoc quoque, nec uestris doctoribus. credo: negan-
 tibus LXX. seniores interpretis officio recte functos apud Ptole-
 maum Aegypti regem. ipsi secus interpretari conantur: & multas scri-
 pturas in totum sustulerunt ex editione LXX. seniorum accitorum ad Pto-
 lemaum, que manifeste hunc ipsum crucifixum, & Deum & hominem

& in cruce mortuum prædicant, quod uos ignorare non patior: quas quia scio negari ab omnibus uestris hominibus, ad tales que-
 stiones non adhibeo, sed ex receptis apud uos disputationem insti-
 tuo, nam quascunq; recitauit hæcenus agnoscitis: excepto quod de
 his uerbis, Ecce uirgo in utero concipiet, contradixistis, contenden-
 tes scriptum, Ecce puella in utero concipiet: quando pollicitus sum
 me declaraturum, non ad Ezechiam ut à magistris didicistis, refer-
 ri hanc prophetiam, sed ad hunc Christum meum: quod iam pro-
 bandum aggrediar. Tum Tryphon. Amabò indica nobis prius
 aliquas scripturas deprauatas, ut existimas. Gratificabor uobis, in-
 quam. In Esdra ubi de lege paschatis agitur, hanc interpretationem
 submouerunt. Et dixit Esdras populo: Hoc pascha seruator noster
 & refugium nostrum, si cogitetis & ascendat in cor uestrum, fore
 ut humiliemus eum in signo. post hæc si sperauerimus in eum, nõ
 deuiabitur locus hic in æternum, dicit Dominus exercituum.
 quòd si non credideritis ei, nec obedieritis prædicationi eius, eri-
 tis ludibrio gentibus. Item ex Ieremia refecerunt hæc: Ego sicut
 agnus destinatus sacrificio, contra me cogitarunt cogitationes: Ve-
 nite ponamus lignum in panem eius, & delemus eum de terra ui-
 uentium, & nominis eius nemo posthac mentionem faciat. Et quo-
 niam hæc particula de scriptis Ieremiæ resecta superest adhuc in a-
 liquot exemplaribus quæ in Synagogis leguntur (ante paucos æ-
 nim annos eam ademerunt) cum hinc quoq; ostendatur Iudæos
 consilium aduersus Christum inisse, ut eum crucifixum tollerent:
 ipseq; sicut & apud Esaiam, narretur tanquam ouis ductus ad ma-
 ctationem, atq; ita indicetur ut agnus innocens: expedire se nõ ua-
 lentes ex his angustijs uertuntur ad conuicia. Item ex eodem Iere-
 mia detraxerunt hæc: Recordatus est Dominus Deus Israel mor-
 tuorum suorum qui iacent in terræ tumulis, & descendit ad eos ut
 euangelizaret eis salutare suum. Item de xcvi. Psalmo Dauidis
 duas uoculas detraxerunt, scilicet has: A ligno. cum enim ibi legat:
 Dicite in gētibus, regnauit à ligno Dominus: sic scriptum reliques-
 runt, Dicite in gentibus, regnauit Dominus. De nullo autem un-
 quam uestri generis homine prædicatum est in gentibus quòd tan-
 quam Deus regnarit, nisi de hoc solo crucifixo: quem & incolumẽ
 resurrexisse, in eodem Psalmo dicit sanctus spiritus, indicans eum
 non esse similem dijs gentium. nam illi sunt simulacra dæmonum.
 ut autem melius intelligatis quæ dico, totum Psalmum recitabo:
 Cantate domino canticum nouum, cantate domino omnis terra,
 cantate domino & benedicite nomini eius, annunciate de die in
 diem

diem salutare eius, annunciate inter gentes gloriã eius, in omnibus populis mirabilia eius. Quoniã magnus dominus & laudabilis, nimis terribilis est super omnes deos. Quoniã omnes dñi gentiũ dæmonia, dominus autẽ cœlos fecit. Cõfessio & pulchritudo in conspectu eius, sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius. Afferte domino patriã gentium, afferte domino gloriam & honorem, afferte domino gloriam nomini eius. Tollite hostias, & introite in atria eius: adorate dominum in atrio sancto eius. Commoueatur à facie eius uniuersa terra: dicite in gentibus, regnauit Dominus. Etenim correxit orbem terræ qui non commouebitur: iudicabit populos in æquitate. Lætentur cœli & exultet terra, commoueatur mare & plenitudo eius: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt. Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum à facie domini, quia uenit, quoniam uenit iudicare terram. Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in ueritate sua. Ad hæc Tryphon: Deprauarint ne aliquid in scripturis principes populi, quod tu dicis, Deus scire potest: mihi non uidetur hoc credibile. Scilicet incredibile, inquam, quasi uerò id abominabilius sit quàm fecisse uirtuli effigiẽ, cum essent manna saturi, & immolasse filios dæmonis, aut prophetas ipsos interemisse. sed fac nunquam auditas esse scripturas, quas dixi furto subductas. sufficiunt ad explicandam quæstionem quas hactenus protuli, & plures proferam adhuc asseruas integras. Scimus, inquit, nobis postulantibus eas te protulisse. ceterum de Psalmo quem postremum recitasti è Dauidicis, uideatur mihi eum non loqui de alio quàm de patre illo qui cœlum terramq; condidit, tu uerò ais eum loqui de hoc passibili, quem & Christum esse conaris ostendere. Obsecro, inquam, expendite uerba spiritus sancti canentis in hoc Psalmo, & intelligite me: uidebitis me nec male differere, nec uobis fucum facere. atque ita fiet ut & alia multa spiritus sancti oracula per uos ipsos queatis intelligere. Cantate Domino canticũ nouum, cãtate domino omnis terra: cantate domino & benedicite nomen eius, euãgelizate de die in diẽ salutare eius, in omnibus populis mirabilia eius. Hortatur ut Deo cunctorũ patri canãt psallantq; totius terræ incolæ, cognito hoc salutaris mysterio, hoc est passiõis Christi, per quẽ seruauit eos: agnoscantq; illum laudabilẽ ac terribilem factorẽ cœli terręq; qui hunc seruatorem dedit humano generi, etiam post crucem ac mortem à se dignatum uniuersæ terræ imperio, sicut alibi scriptum est: Et derelinquent me, & irritum habuerunt fœdus meum quod pepigi cum eis in die illa; & derelinquam eos, & auersabor

eos: fiet in deuotionem, & assequentur eum calamitates multæ
 pressuræq;. Et dicet illa die: quia non est dominus deus meus inter
 nos, superuenerunt mihi calamitates hæ. ego autem auertens auer
 tam faciem meam ab eis in die illa, propter omnia peccata quæ fe
 cerunt, quia uerterunt se ad deos alienos. Iam in libro Exodi, etiam
 nomen ipsius dei esse Iesus, quod nec Abrahamo nec Iacobo indi
 catum sit, æquè mystice per Mosem enūciatum nos intelligimus.
 uerba sic habent. Et dixit Dominus Mosi: Ecce ego mitto angelū
 meum ante faciem tuam, ut custodiat te in uia, ut introducat te in
 terram quam paraui tibi. attende ipsi & audi eum: caue ne non pa
 reas ei. nec enim decipiet te. nam nomen meum est in eo. Intellexi
 stis sanè quis introduxerit in terrā promissam patres uestros, uide
 licet qui hoc nomine cognominatus est Iesus, cum prius Aues uo
 caretur. si hoc intellexistis, etiam dei nomen esse Iesum agnoscetis,
 dicentis ad Mosem: quia nomen meū est in eo. nam & Iacobo deus
 nomen mutarat, ut post uocaretur Israel. Quòd autem & angeli &
 apostoli Dei dicantur propheta, eo quòd mittantur ab eo ut nun
 cient aliquid, ex Esaia fit perspicuum. nam ipse in libro suo sic in
 quit: Mitte me. & quòd propheta potens ac magnus fuerit qui Ie
 sus cognominatus est, liquet omnibus. Ergo si Deum in tot for
 mis nouimus conspectum Abrahamo, Isaaco, Mosi q;, cur dubite
 mus & non credamus eum iuxta uoluntatem patris omnium pos
 se hominem etiam nasci ex muliere? præsertim cum habeamus ta
 les scripturas, ex quibus aperte intelligimus id quoq; factū de pa
 terna sententia. cum enim Daniel tanquam filiū hominis dicit assu
 mentem regnum æternum, nonne hoc ipsum subindicat? nam cū
 ait, quasi filium hominis, narrat natum & uisum hominem, sed non
 ex humano semine. & dum hunc ait lapidē excisum sine manibus,
 hoc ipsum clamat mysticè. id enim est sine manibus excidī, ut non
 sit humanum opus, sed diuinæ paternæq; uoluntatis propositum.
 Esaia certè dicens: Generationem eius quis enarrabit? docet quā
 sit genus eius inenarrabile. nullius enim hominis ex hominibus
 nati genus est inenarrabile. Item illud Mosaicum de abluenda sto
 la in uua sanguine, nonne iam sæpe uobis dixi esse arcanam pro
 phetiam, habiturum quidem eum sanguinem, sed non ex hominibus:
 sicut uue sanguinē non homo sed Deus protulit? Tum Esaia
 uocans eum Consilij magni angelum, nonne prædixit eum uentu
 rum doctorem eorum quæ postquam uenit docuit? magnū enim
 illud patris consilium de omnibus quotquot ei placuerunt aut pla
 cituri sunt, deq; desertoribus eius uoluntatis angelis pariter ac ho
 minibus.

minibus, hic solus aperte docuit dicēs: Veniēt ab oriente occiden-
 teq; & discumbent cum Abrahamo, Isaaco, Iacobo, in regno celo-
 rum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, & Multi di-
 cent mihi die illa, Domine domine, nōne tuo nomine edebamus,
 bibebamus, prophetabamus, eijciebamus dæmonia: & dicam eis.
 Discedite à me. & alibi damnandis qui salute indigni sint ait se dis-
 cendum: Abite in tenebras exteriores, quas parauit pater meus Sa-
 tanæ cum suis angelis. Rursum alibi, inquit, Do uobis potestatem
 calcandi super serpentes, scorpiones, scolopendras, & super omnem
 uirtutem inimici. nunc quoq; nos qui in crucifixū sub Pontio Pila-
 to Iesum dominum nostrum credimus, dæmones omnes & spiri-
 tus malos adiuratos eijcimus, & imperata facere cogimus. quam-
 uis enim per prophetas recte prædictum sit, nasciturum Christum
 passibilem, & postea cunctis dominaturum, tamē hæc intelligi po-
 terāt à nemine, donec ipse persuasit Apostolis, expressa esse in scri-
 pturis. prius enim quàm crucifigeretur clamabat: Oportet filium
 hominis multa pati, & reprobari à Scribis Phariseisq; & crucifigi,
 & tertia die resurgere. Dauid quoq; ante solem & lunam ex utero
 nasciturum eum iuxta patris uoluntatem prædicauit, & Deū for-
 tem Christumq; adorandum fore præsignificauit. Ad hæc Try-
 phon, Assentio tibi hæc tot & talia sufficere ut aduersarios pude-
 faciant: sed uolo memineris postulari à te rationem eorum, quæ to-
 ties proposuisti ostendere. absolue igitur eam, ut sciamus te indi-
 cante, de isto uestro Christo dicta esse, quæ nos de ipso Ezechia pro-
 phetam prænucciasse dicimus. Fiat, inquam, hoc quoq; ut iubetis:
 sed prius demonstrate mihi de Ezechia prædictū, quod priusquam
 sciat uocare patrem aut matrem, occuparit Damasci copias & spo-
 lia Samariæ coram rege Assyriorum. nec enim permittetur uobis
 ut uestro arbitratu interpretemini, Ezechiā bellū gessisse cum Da-
 mascenis & Samaritis coram rege Assyriorū. nam uerba prophe-
 tię dicunt: Priusquā sciat puer uocare patrē aut matrem, occupabit
 Damasci copias & spolia Samarię corā rege Assyriorū, nisi em̄ ad-
 didisset spiritus propheticus: Priusquā sciat puer uocare patrē aut
 matrē, occupabit Damasci copias & spolia Samariæ, sed hoc solū
 dixisset, Pariet filiū qui occupabit copias Damasci & spolia Sama-
 riæ. Poteratis dicere: Quoniā præsciebat Deus eū hæc occupaturū,
 ideo prædixit. nunc cū additamēto loquitur prophetia: priusquā sciat
 puer uocare patrē aut matrē, occupabit copias Damasci & spolia
 Samariæ: quod nemini Iudeorū unquā cōtigisse potestis ostēdere,
 nobis uerò prōptū est id in nostro Christo factū demonstrare. quā-
 primum

primū enim natus est, magi ex Arabia profecti adorarunt eū, adito
 prius Herode qui tum in terra uestra regnabat, quē oraculū uocat
 regē Assyriorū, propter mentē eius iniustā & impiam. scitis enim
 talia per collationes & similitudines plerumq; loqui sanctū spiri-
 tum: sicut & uniuersum Hierosolymitanum populū solet alloqui
 dicens: pater tuus Amorraeus, & mater tua Chettæa. nam iste rex
 Herodes didicit ē senioribus uestri populi, magis qui ex Arabia
 uenerant dicētib;: Estella in cælo exorta cognouimus natū esse
 regem in regione uestra, & uenimus adoraturi eum: in Bethleem
 nasciturum polliceri prophetiam his uerbis: Et tu Bethleem terra
 Iudæ nequaquam minima es inter principes Iudæ: ex te enim egre-
 dietur dux qui pascat meum populum. Ergo postquam ex Arabia
 uenerunt magi in Bethleem, & adorarunt puerum oblati ei mu-
 neribus, auro, thure myrraq; iussi sunt per reuelationē ut adorato
 apud Bethleē puero ad Herodem non reuerterentur. Ioseph quo-
 que Mariæ sponsus cum prius uoluisset sponsam eijcere, quod pu-
 taret ē uiro, id est, ē stupro grauidam, per nocturnam uisionē mo-
 nitus est retinere uxorem suam, edoctus ab angelo, ē spiritu san-
 cto conceptum esse fœtum in utero. ideo territus non eiecit eam:
 sed cum per id tempus ageretur primus census in Iudæa sub Qui-
 rinio, à Nazareth ubi domicilium habebat ascendit in Bethleem
 ueterem patriā, ut nomen profiteretur, erat enim oriundus ē tribu
 Iuda, cuius sortis fuit id oppidum. is ipse unā cum Maria iubetur
 in Ægyptum proficisci, atq; ibi degere cum puero, donec eis rur-
 sum reueletur reuertendum esse in Iudæam. cum autem puer na-
 sceretur in Bethleem, quia Iosepho non erat locus in castello quō
 diuerteret, in speluncam quandam castello propinquā diuertit: ibi
 Maria Christū recens natum in præsepe deposuit, ibi & à magis in-
 uentus est ex Arabia uenientibus. Quod autē Esaia; etiam huius
 speluncæ olim mentionem fecerit, iam dixi uobis, non grauabor
 tamen repetere propter tuos comites. tum recitauī denuo particu-
 lam ex Esaia; supra scriptam: addens, ex illis uerbis occasionem ar-
 ripuisse Mithriacos, dum sua mysteria tradunt initiandis in loco
 quem Speluncam nominant, sic operante diabolo. Ceterum Hero-
 des non reuersis ad se magis Arabicis ut petierat, sed ita ut iussi fue-
 rant per aliam uiam in regionem suam profectis: & Iosepho quo-
 que cum Maria pueroq; iuxta reuelationem in Ægyptum digres-
 so, cum nō nosset puerum quem ut adorarent magi uenerant, iussit
 interfici omnes simul Bethleemiticos pueros: quod futurum le-
 remias propheta prædixerat, per quem spiritus sanctus sic locutus
 est:

est: Vox in Rama audita est, fletus & eiulatus multus, Rachel flēs filios suos, nec admittens consolationem, quia non sunt. Itaq; propter hanc uocem audiendum in Rama, hoc est in Arabia (nam & hodie locus quidam in Arabia uocatur Rama) fletus occupatus erat Ramam, ubi Rachel uxor Iacobi cognominati Israel sepulta est, id est Bethleem, mulieribus pueros suos deplorantibus, & propter necem eorum suamq; calamitatem consolationem non accipientibus. nam & Esaias canens: Occupabit copias Damasci & spolia Samariæ: prænuñciauit fore ut mali dæmonis Damascū incolentis coplæ uincerentur à Christo quàm primū nasceret, quod euenisse ostendimus. magi enim quos dæmon sibi uindictat ad omnia maleficia, postquā uenerunt ut adorarent Christū, uidetur ab illo defecisse redacti in huius potestatem, scriptura mysticè significante Damascū esse illius domiciliū. tum quia hæ coplæ sunt iniustorum peccatorūq; pulchra similitudine uocat eas Samariā. quod autem Damascus sit terræ Arabicæ, quamuis nunc cōtributa Syrophœnicię, ne uos quidē negare potestis. proinde recte faceretis si quicquid non intelligitis, à nobis Christianis qui à Deo gratiā accepimus disceretis: omisissis cōtentionibus quibus uestrā doctrinā astruitis Dei doctrinæ anteferēdo, et ideo trāslata est in nos hæc gratia, ut Esaias testatur his uerbis: Propinquat mihi populus iste, sed labijs honorās me, corde seiunctissimus. frustra me colunt, docendo præcepta doctrinasq; hominū: propterea curabo ut transferat hic populus, & transferā eum: & auferā sapientiā ab eorum sapientibus, & irritam faciam prudentum prudentiam. Tum Tryphoniam commotior, salua tamen reuerentia sacrarum literarum, quantum ex uultu eius licebat colligere: Eloquia Dei sancta sunt, inquit, sed uestre interpretationes arte fucantur, nec carēt blasphemiā, sicut ex tuis interpretamentis apparet. ais enim angelos peccasse, & defecisse à Deo. Ego uerò uoce remissiore, ut attentiorē redderē, respondi: Laudo mi homo tuā pietatē, & precor tibi eandē mentē erga illum cuius ministros scripturæ uocant angelos, quemadmodū ait Daniel: Quod tanquā filius hominis ad antiquū dierū adducit & datur ei regnū uniuersum in seculū seculi. cæterū ut scias mi homo, non temerē me uti hac interpretatione nostra quā incusas, testem tibi citabo ipsum Esaiam, qui ait malos angelos habitasse & habitare Tanim in terra Ægypto. uerba eius sunt hæc: Væ filij de serutores, hæc dicit dominus: Fecistis consiliū, non ex me: & peccatum, non per spiritum meum, ut adderetis peccatū ad peccatum: qui ambulatis ut descendatis in Ægyptum: me autē non consulues

runt de asciscendo in societate Pharaone, & de petendis Ægyptiorum auxilijs. Erit uobis fortitudo Pharaonis in confusione, & in ignominiam fiducia qua fiditis Ægyptijs: quia sunt in Tanim principes angeli mali, frustra laborabunt apud populum, cuius auxilia nihil proderunt, nisi ad confusionem & opprobrium, quin & Zacharias ait, ut ipse meministi, quod diabolus steterit a dextris Iesu pontificis, ut aduersaretur ei diceretq;: Incepit te Dominus protector Hierosolymę. ac rursus in Iob scriptum est, ut ipse fateris, Venisse angelos ut starent coram domino, & cum eis diabolum, apud Mosem quoque in principio Geneseos legimus serpentem execratum quod Eua deceperit: & in Ægypto magos æquatos uirtuti Mosis fidelis ministri Dei, præterea Dauidem scitis dicere, quod dii gentium sint demonia. Ad hæc Trypho: Iam antequam dixi, te semper scripturis herere quo incedas tutior, sed dic serio, putatis ne unquam instauranda Hierosolyma, atque ibi colligendum uestrum populum, in hilaritate uicturum cum Christo & patriarchis prophetisque, & cum nostris hominibus aut his qui se nobis adiunxerunt, prius quam Christum uestrum expectaretis? an hæc concessisti quo facilius in disputatione fieres superior? Non sum inquam, adeo miser mihi Trypho, ut aliter loquar quam sentiam, iam antequam factus sum mihi & alijs multis ita uideri, ut scitis, quamuis multi etiam pure pieque Christiani dissentiant, audiui enim quosdam Christianos dici, cum sint blasphemii & impij, scilicet in seculis aliquot nihil doceant præter impietates merissimas, ut autem sciatis me non tantum coram uobis hæc dicere, totum hoc nostrum colloquium, quantum potero in commentarium redigam, & inter cætera hanc quoque opinionem scripto profitebor, nec enim sequor homines aut doctrinas humanas, sed Deum & quem ille docuit, si enim incidistis in quosdam Christianos nomine, qui hæc negant & insuper audent conuicia iacere in Deum Abrahami, Isaaci, Iacobi, negantes etiam resurrectionem mortuis, quod eorum animæ post mortem in cælum recipiantur, nolite tales pro Christianis habere: sicut nec inter Iudæos recte censentur quicumque se fatentur Sadduceos aut similes hæreticos, Genistas, Meristas, Galileos, Grecanicos, Tinctoresque Phariseos: sed (rogo patienter audiat qui sentio) hi nomine tenus Iudæi sunt & Abrahamæ filij, labijs confitentes Deum, corde uero, ut ipse Deus loquitur, ab eo alienissimi, at ego cum alijs qui recte Christianeque sentiunt, scio & resurrectionem carnis futuram, & mille annos in Hierusalem instaurata, ornata, dilatataque, ut affirmant prophetae Ezechiel, Esaias & cæteri, sic enim Esaias de hoc annorum millenario loquitur: Erit cælum nouum & terra noua: & non erunt in memoria priora

priora, & non ascendent super cor: sed gaudium & exultationem inuenient in ea quecunq; ego creo. quia ecce ego facio Hierusalem in exultationem, & populum meum lætunt: & exultabo in Hierusalem, & gaudebo in populo meo: & non audietur in ea ultra uox fletus neq; uox clamoris. non erit ibi amplius immaturus dierum, & senex qui non impleat ætatem suam. erit enim iuuenis filius centum annorum: & qui morietur peccator filius centum annorū maledictus erit. Et ædificabūt domos quas inhabitabunt ipsi: & plantabunt uineas quarum fructum comedent, uinumq; bibent. non ædificabunt, & alius habitabit: non plantabunt, & alius comedet. secundum enim dies ligni uitæ, erunt dies populi mei. opera manuum eorum multiplicabuntur. electi mei non laborabunt in uanum, neq; liberos progignent in execrationem: quia semen iustū erunt & benedictum à Domino, & nepotes eorum cum eis. & fiet ut antequam clament exaudiam eos: adhuc illis loquentibus dicā, Quid est: tunc lupi & agni simul pascētur, & leo sicut bos edet pascuas, & serpens terram sicut panem. non lædent neq; lædentur in monte illo sancto, dicit Dominus. Hæc sunt inquam, uerba prophetiæ. erunt enim secundum dies ligni dies mei populi: opera laborum eorum intelligimus mille annos significare mysticè. sicut enim Adamum, cui dictum fuit: Quacunq; die ederis de ligno, ea morieris: scimus mille annos non expleffe. sic illam sententiā, dies Domini ut mille anni, eodem tendere intelligimus. quoniam & apud nos uir quidam, cui nomen Ioannes, unus è Christi apostolis, in reuelatione sibi facta prophetauit, mille annis habitaturos Hierosolyma quotquot Christo nostro crediderint: ac mox sequuturam uniuersalem, & ut paucis dicam, æternam resurrectionem simul omnium, atq; iudicium. quod etiam Dominus noster dixit: Non ducent uxores, nec nuptum dabunt, sed æquiparabuntur angelis, cum sint filij Dei resurrectionisq;. apud nos enim nunc que sunt dona prophetiæ, ut uel inde colligere debeatis, in nos translata esse quæ olim uestra fuerant. sed quemadmodū apud uos tempore sanctorum prophetarum erant etiam pseudoprophetæ: sic nunc quoq; apud nos sunt multi falsi magistri: à quibus cauēdum præmonuit nos noster Dominus, nequa fraude circumueniamur scientes illum præscisse quicquid secuturum eius resurrectionem ascensionemq; in coelum, & nobis obuenturum foret. dixit enim futurum ut propter nomen ipsius omnibus inuisi occidamur etiā: & multos pseudopphetas pseudochristosq; uenturos in eius nomine, & decepturos multos: id quod euenit, nam multi opinio-

nes impias, blasphemias, iniquas, abusi eius nomine, docuerunt, & instinctu impuri spiritus docent hodieque: quos æquè ac uos ab errore in rectam uiam traducere conamur, scientes quòd quisquis loqui uera, cum possit, grauatur, à Deo iudicabitur, sicut per Ezechielem Deus ipse protestatus est dicēs: Speculatorem posui te domui Iudæ, Si peccarit peccator & non fueris protestatus ei, peribit quidem ipse in peccato suo, à te tamen sanguis eius requiretur. quòd si protestatus fueris apud eum, eris innocens. præ timore igitur nos quoque studemus scripturis, non ob lucri aut gloriæ uoluptatis uel cupiditatem. nam ob nihil horum quisquã nos criminari queat. nō enim libet sic uiuere sicut uiuunt principes uestri populi, quibus Deus exprobrat dicens: Principes uestri socij furum, amant munera, & sectantur mutuam gratiam. quòd si aliquos tales nostis inter nos etiam, saltem scripturas & Christum propter tales nolite blasphemare deprauareque. nam illud, Dicit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: de Ezechia dictum ausi sunt interpretari uestri magistri: quasi tunc iussus sit à dextris templi sedere, quando rex Assyriorum misit ad eum legatos minabundus, ipse uerò per Esaiam ne timeret eum fuit monitus. Scimus quidem & fatemur id factum quod narrat Esaias: Et auersus est rex Assyriorum ne debellaret Hierusalem in diebus Ezechiæ, & angelus Domini occidit in castris Assyriorum *CLXXXV. M.* Psalmum tamen hunc non de ipso loqui apparet, sic enim habet: Dicit Dominus Domino meo sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Virgam uirtutis emittet in Hierusalē, & dominabit in medio inimicorum suorum. In splendoribus sanctorum ante luciferum genui te. Iurauit Dominus nec poenitebit eum, tu es sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedec. Ezechiam autē nō esse eternum sacerdotē secundum ordinē Melchisedec, quis non fatebitur: tum quod is nō sit liberator Hierusalē, quis nescit: & quod uirgā uirtutis ipse nō miserit in Hierusalē, nec dominatus sit in medio inimicorum suorum, sed Deus ab eo flente lamentateque hostē auerterit, quis ignorat: at nos Iesus licet nondū uenit in gloria, uirgā uirtutis emisit in Hierusalē, uerbum inuitas omnes gentes ad poenitentiam, ubi demonia dominabant, sicut Dauid, inquit: Dñi gentium demonia, & ille uehemens eius sermo persuasit multis, ut relictis demonijs quibus seruebant, in omnipotentē Deum per eum crederent, & deos gentium esse demonia. Iam illud: In splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te, Christo dictum esse indicauimus antea. Et illud. Ecce uirgo in utero

utero concipiet, parieturq; filiū, de hoc prædictum fuerat. nisi enim
 de Virgine hic de quo Esaias canebat nasciturus fuisset, de quo alio
 spiritus sanctus clamabat, Ecce Dominus ipse dabit signum: ecce
 uirgo concipiet parieturq; filium? si enim uulgari more primogeni-
 torum nasciturus erat ex coitu, cur deus tanquam prodigium polo-
 liceretur quod cōmune est primogenitis omnibus? sed illud uere
 signum est & prodigium, credendum tamen humano generi, uis
 delictet ex utero uirgineo proditurum creaturæ omnis primogeni-
 tum, assumpta carne pueri: quod ideo per spiritum propheticū ua-
 rijs modis prænunciatum est, ut quando eueniret, potentia uolun-
 tateq; omnium conditoris factum sciretur: sicut etiam ex una costa
 rū Adami Eua nata est, & alia animalia cuncta ex uerbo Dei primū
 orta sunt. Vos autem etiam in his audetis deprauare interpretatio-
 nes seniorum uestrorum, quas Ptolemæo regi Ægyptiorum inter-
 pretati sunt: & negatis scripturam habere quod illi uerterunt, sed
 Ecce puella in utero concipiet: quasi prodigium in signe esset mu-
 lierem ex coitu parere, quod omnes iuuenes mulieres faciunt ex-
 ceptis sterilibus, quas & ipsas Deus si uelit potest fecundas red-
 dere. nam mater Samuelis impos pariendi, per uoluntatem Dei pe-
 perit, & uxor sancti patriarchæ Abrahami, & Elisabeth que Ioan-
 nem baptistam peperit, & alia aliquot similiter. itaq; non debet uo-
 bis incredibile uideri, deū posse quæcunq; uult: præsertim ea quæ
 uentura prophetæ cecinerunt, non sunt deprauanda nec aliò tor-
 quenda interpretamentis. sic enim uos ipsos non Deum ledetis:
 sunt enim quidā ex uobis qui & illa prophetiæ uerba, Tollite por-
 tas principes uestras, & eleuamini portæ æternales, ut introeat rex
 gloriæ: similiter de Ezecia interpretari audent: alij uerò de Solo-
 mone, atqui nec in hunc, nec in illum, nec in ullum alium uestrum
 regem possunt hæc competere, nisi in solum hunc nostrum Chris-
 tum, qui indecorus & inglorius apparuit, sicut Esaias ait, & Da-
 uid, & omnes scripturæ: qui est Dominus exercituum uoluntate sui
 patris constitutus: qui etiā resurrexit è mortuis, & ascendit in cœ-
 lum: sicut & Psalmi & aliæ scripturæ præsignabant, prænuncia-
 bantq; eum Dominum potestatum ac exercituum: quod nunc per
 spicuum uobis, modo uelitis, potest fieri. per nomen enim huius fi-
 lij Dei, primogeniti omnis creaturæ, ex Virgine nati hominis pas-
 sibilis, crucifixi sub Pontio Pilato à uestro populo, mortui, resusci-
 tati & in cœlum profecti, adiurata quælibet dæmonia uincuntur
 & imperata faciunt: que si uos adiuretis per omnia nomina uestro-
 rum regum, prophetarū, patriarcharum, iustorumq;, nullum non

erit contumax, at si quis uestrum adiuraret ea per Deum Abrahamā,
 & Deum Isaac, & Deum Iacob, fortassis obsequeretur: utuntur ta-
 men uestri exorcistæ arte hac, sicut & gentes, adhibendo suffitus
 & adalligamenta. Esse autem & angelos & potestates quibus pro-
 phetia per Dauidem edicit ut tollant portas, & intromittatur hic
 ex mortuis surgens iuxta patris sui uoluntatē Dominus uirtutū Ie-
 sus Christus, uerba ipsius Dauidis similiter declarant: quæ denuo
 libet reuocare in memoriā propter hos qui non interfuerunt hester-
 no colloquio, ppter quos multa heri dicta repeto cōpendio. quod
 si eadem inculco, scio nō absurdū id uobis uideri, ridiculū enim es-
 set, cum uideamus solem ac lunam stellasq; semper eandem uiam
 repetere, easdemq; uices temporum: & calculatorem quoties sup-
 putat bis duo quantum faciant, non dubitare quatuor iterū atq; is-
 terum dicere: cæteraq; ad eundem modū quæcuncq; constat perpe-
 tuo sui similia: scripturas ppheticas tractātibus nō idē permittere,
 ut easdē repetant, quasi quis felicius hæc quàm ipsa scriptura ques-
 at eloqui. uerba prophetæ, quibus Deus declarat esse in cælo ange-
 los potestatesq;, sunt hæc: Laudate dominum de cælis, laudate eū
 in excelsis: Laudatē eum omnes angeli eius, laudate eū omnes pote-
 states eius. Tum Mnaseas unus ex his qui accesserunt postera die:
 Gratū est, inquit, te eadē propter nos repetere. Ad quē ego: audite
 amici cuius scripturæ iussu hoc faciā. Iesus iussit diligere etiam ini-
 micos, quod & per Esaiam dudum prolixè prædicatum fuerat, si-
 mulq; mysterium regenerationis nostræ, omniumq; expectantiū
 Christum appariturum Hierosolymis, & operibus ei placere stu-
 dentium. Verba Esaiæ sunt hæc: Audite uerbum Domini, qui tre-
 mitis uerbū eius, dicite: Fratres nostri estis, odientibus uos, & ab-
 ominantibus propter nomē Domini. Glorificabitur dominus, &
 cōspicietur uobis lætantibus: ipsi uerò pudefiēt. Vox clamoris de
 ciuitate, uox de templo, uox Domini reddētis retributionē super-
 bis. antequā parturiret grauida peperit, & antequā uenirēt ei dolo-
 res partus, enixa est masculū. Quis audiuit tale, aut quis uidit simi-
 le: nunquid parturiet terra in die una: aut parietur gēs simul, quia
 parturiuit & peperit Sion filios suos? ego dedi hanc spem non gi-
 gnētī, dicit dominus. ego feci fecundam & sterilē dicit Dominus.
 Lætare Hierusalem, & celebrate festum cuncti qui eam diligitis.
 gaudete omnes quotquot lugebatis propter eam, ut fugatis & sa-
 turemini de ubere cōsolationis eius, ut lactemini & delicijs afflua-
 tis ob introitum gloriæ eius. His dictis adieci: Crucis autē quæ al-
 terum illum gloriosum aduentum præcessit secundum scripturas,
 & eorum

& eorum quæ iustis omnibus expectanda sunt, figuram habuit lignum uitæ, quod in medio paradisi plantatū audistis. Moses item cū uirga ad liberandū populū missus, hanc manibus gestans in primo agmine mare discidit: hac è petra aquā elicuit: in Merræ quoque amarū fontem iniecto ligno fecit aquas eius potabiles. Jacob uirgis in aquæ alueos cōiectis, fœtas auūculi oues illuc agebat, ut ex eis nata possessionē suam faceret. idem iactat se in uirga traiecisse fluuium, & uisam sibi scalam, cui Deus inniteretur, sicut narrat scriptura. quem deū alium fuisse quàm patrē illū, ex scripturis docuimus. lapidem quoque cū perunxisset oleo, columnā post in eo loco sacrasse deo, qui sibi apparuerat, legitur. lapidē autē Christū sæpe in scripturis figuratè dici, iam declaratum est: & quod unguētum quod uis, tam ex oleo, quàm è stacte alioue odoroamento compositum, huius unctionem figurabat, æquè demonstrauius, scriptura dicente: Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo læticiæ præ cōsortibus tuis. etenim regibus omnibus Christisq; ex huius confortio reges Christos que uocari contigit: quemadmodum & ipse à patre accepit ut esset rex, Christus, sacerdos, angelus, & quicquid simile habet uel habuit. Virga Aaronis germinans pontificem eum designauit: Virgam è radice Iessæ processurum Christū Esaias prophetauit. Dauid quoque uates iustum cōfert ligno, quod plantatum est iuxta decursus aquarum, quod fructum dabit suo tempore, & folium eius non defluet. & alibi, Iustus ut palma floriturus dicitur. circa lignum Abrahamo Deus conspectus est teste scriptura, ad quercum Mambrae uidelicet. LXX. salices & XII. fontes populus traiecto Iordane reperit. Virga & baculo consolatum se à Deo Dauid cecinit. Ligno Elisæus coniecto in Iordanem fluuium extraxit ferrum securis, qua filij prophetarum cædebant materiem ad ædificium domus, ubi legem & præcepta dei meditari uolebant: quemadmodum & nos meritos peccatis nostris grauisissimis, per lignum suæ crucis & per aquam purificatos Christus noster redemit, ut fieremus domus orationis adorationisq;. Virga prodidit Iudam patrem natorum è Thamare, non sine magno mysterio. Ad hæc Tryphon: Caue putes, inquit, me quicquam percontari ut oppugnem quæ à te dicta sunt, sed ut discam hæc ipsa de quibus interrogo. Responde igitur. Esaias sic loquitur: Egredietur uirga de radice Iessæ, & flos ascendet de radice Iessæ, & reuiuescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intelligentiæ, spiritus cōsiliij & fortitudinis, spiritus cognitionis & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Dei. Tum uersus ad me, Fessus es

inquit, hæc de Christo dicta esse: quem tamen iam antea Deum fuisse dicis, ac deinde iuxta dei uoluntatem incarnatum & ex Virgine natum hominem. quomodo potest credi fuisse antea qui repletur spiritus sancti potentijs enumeratis ab Esaia, quasi harum indigus: Prudenter inquam, & cordatè interrogasti. nam reuera uideatur hic dubitatio quædam occurrere. sed ut rationem harum quorūque rerum uideas, audi quæ dico. Has enumeratas spiritus uirtutes non ut indigo harum ait scriptura superuenturas, sed requieturas super eo, hoc est, in eo desituras, ne posthac ut antè prophetæ essent in uestro genere, quod oculis uestris potestis credere. post illū enim plane nullus propheta inter uos exstitit. præterea quod unusquisque prophetarum una alteraue potestate diuinitus accepta fecerit dixeritque quęcunque scripta sunt, intelligitis quid dicam. Sapientię spiritum habebat Solomon, intelligentię uerò & consilij Daniel, fortitudinis pietatisque Moses, Elias timoris, cognitionis Esaia, & alij similiter, aut singulas, aut aliter atque aliter coniugatas, ut Ieremias, & illi duodecim, & Dauid cæterique quotquot apud uos prophetæ fuerunt. Qui uenit igitur spiritus, hoc est, desit in aduentu illius, post cuius conuersationem cum hominibus tempus erat hæc dona uobis auferri: & post quàm hic interquiescent, rursus iuxta prophetias donari credentibus per gratiam eiusdem potentis spiritus, pro cuiusque modulo ipsi spiritui cognito, quod euenturum post eius in cælum ascensionem prophetas prædixisse iterum atque iterum ex me auditis. nostis illud: Ascendit in altum, captiuauit captiuitatem, dedit dona filijs hominum. item aliã prophetiam dicentem: Et post hæc effundam spiritum meum in omnem carnem, in seruos meos ancillasque meas, & prophetabunt. id quod apud nos uidere licet, fœminas æquè ac mares habere dona diuini spiritus. itaque nõ quod ille indigeret potentia, uenturas in eum potentias cecinit Esaia quas enumerat: sed quia non erant mansurę amplius. sit uobis idoneum testimonium magorum ex Arabia de quibus diximus, qui puerum hunc quamprimum natus est adiuerunt adoraruntque. natus enim suam habuit potentiam, pro ætate crescens more cæterorum hominū, uescens cibus omnibus, & per annos ferme triginta expectans donec præcederet Ioannes præco aduentus eius, & præiret per uiam baptismatis, sicut supra docui. tū uerò Iesu profecto ad Iordanem fluuium ubi Ioannes baptizabat, & in aquam degresso, ignis è fluuio emicuit: ac mox in emergentē ex aqua deuolasse spiritum sanctum columbæ specie scripserunt ipsius nostri Christi apostoli: non tamen quod opus habuerit mentione

sione aut allapsu spiritus columbina specie, ideoq; ad amnem uene-
 rit, ut nobis est persuasissimū: sicut nec natiuitatē nec crucē quod
 his opus haberet pertulit: sed pro salute humani generis: quod tē-
 pore Adami seductum à serpente mortem inciderat, præter suam
 culpam utroq; parēte in peccatum prolapsō. Sic enim Deo uisum
 est, tum angelos tum homines libero arbitrio præditos suiq; po-
 tentes facere, quemq; pro accepta facultate: ut si placita eius eleger-
 rint, illæsos seruet ac incolumes: sin ad maliciam deflexerint, singu-
 lis pœnas infligat quascunq; uoluerit. nam neq; tunc cum insidēs
 asino iuxta prophetiā uenit Hierosolyma, ea uectatio quicquā ad
 Christi dignitatem contulit, sed hominibus ipsum esse Christū in-
 dicauit: sicut & Ioannis tempore oportuit Christū indicari homi-
 nibus. cum enim Ioannes apud Iordanē prædicaret baptisma pœ-
 nitentiæ, cinctus zona coriacea, & indutus indumēto è solis came-
 linis pilis confecto, nec alio cibo pastus quàm locustis melleq; sil-
 uestri, homines ipsum esse Christum suspicabantur. quibus ille re-
 clamabat: Nō sum Christus, sed uox clamātis. Veniet enim ille for-
 tior me, cuius ne calceos quidē portare sum idoneus. cumq; uenisset
 Iesus ad Iordanem, ut tum putabatur Iosephi materiarij fabri fi-
 lius, ipse quoq; obscurus ut scripturæ prædixerāt & pro fabro ha-
 bitus (solebat enim dum inter homines degeret aratra fabricare ut
 gacq; ut & per has figuras iusticiā doceret, & re ipsa fugā ocij) tunc
 spiritus sanctus propter homines ut iam dixi specie colūbe deuola-
 uit super eū: simulq; uox de cœlis uenit, quæ & per Dauidē ex per-
 sona patris enunciata fuerat: Filius meus es tu, ego hodie genui te:
 tunc natū dicēs hominibus, quādo cœpit eis innotescere. Filius, in-
 quit, meus es tu, ego hodie genui te. Tum Tryphon, Scire debes
 quod etiā nostra gens tota Christū expectat: & scripturas quas me-
 morasti cunctas de ipso intelligendas fatemur, & quod Iesu nomē
 filio Nauæ pudeat me tribuere, non nego. sed an tam inglorius sit
 Christus ut crucifigatur, id uerò expedire non possumus. lex enim
 crucifixum maledicit. itaq; ad hoc credendū sum perdifficilis. pas-
 sibilem quidem Christum scripturæ manifestè prædicant: an au-
 tem passurum etiam passionem execratam in lege, libet ex te disce-
 re, si modò potes docere. Nisi passurus fuisset Christus, inquam,
 non prædixissent prophetæ futurum ut propter peccata populi
 duceretur ad mortem, contumelijsq; ac flagris afficeretur, & in-
 ter iniquos reputaretur, & tanquam ouis ad mastrationem duce-
 retur, cuius genus inenarrabile prophetam dicere admiratione di-
 gnū est, quod si his notis noscitur ab omnibus, cur non etiam
 nos

nos fortiter crederemus in eum: & quotquot intellexerūt prophetas, non de alio quàm hoc crucifixo dicta illorum accipiant: Doce igitur, inquit, etiam nos è scripturis, ut credamus pariter. passurum enim & tanquam ouem ducendum scimus: an autem crucifigatur & tam turpiter probroscq; moriatur morte execrata in lege, tu explica. nos enim ne cogitare quidem hoc possumus. Scis, inquam, quòd quicquid dixerunt & fecerunt prophetæ, similitudinibus (ut ipsi fatemini) figurisq; texerunt, ne facile pleracq; intelligantur ab omnibus, ita ut laborandum sit in querenda eruendaq; ueritate. Assenserunt omnes. Perge igitur, inquam, audire. Moses primus prænuñciauit hanc eius, ut uideatur, maledictionem, per signa que patrauit. Quænā, inquit? Quando populus, inquam, pugnat aduersus Amalec, Nauæ filius cognomine Iesus præerat in acie, Moses ipse uota Deo faciebat, expansis ambabus manibus. Or autem & Aaron sustinebant eas per totam diem, ne remitterentur præ lassitudine. Siquid enim labaret hæc figura crucem imitans, mox (ut ipse Moses scribit) uincebatur populus. quòd si in eodem statu maneret, Amalec uincebatur, cruce uires addente uictoribus. non enim propter preces Moses superior euadebat populus, sed quia nomen Iesu uersabatur in prima acie, & uates signū crucis repræsentabat. quis enim est uestrum qui nesciat, precibus lacrymisq; maxime flecti Deum ad miserationem, si quis demisso uultu procumbat in genua: sed in lapide sedens nec hic aliàs precatus est, nec alius postea. habet autem & lapis figurā, ut docui, Christum significantē. Alibi quoq; indicans uim mysterij crucis, Deus per Mosē sic loquitur in benedictione, qua benedicit Iosephū: De benedictione Domini terra eius, de horis cœli & rore atq; abyssō fontium lympidorum: de pomis fructuū solis ac lunę, de uertice antiquorum montium atq; collium fluminumq; perenniū, & de fructibus terræ ac eius plenitudine. Benedictio illius qui apparuit in rubo, ueniat super caput Ioseph & super uerticē. Gloriosus inter fratres primogenitus: quasi tauri pulchritudo eius: cornua rhinocerotis cornua eius: ipsis uentilabit gentes usq; ad extrema terræ. Vnicornis enim cornua nullam rem aut figuram aliam possis dicere, quàm formam crucis. nam unus stipes in rectum surgit, in quo summo ceu cornu prominet, quando transuersum lignum additur, uni cornui adiunctis utrinq; cornibus: medius quoq; stipes refert cornu prominuli speciem, quo sustententur crucifixi, & ipse cum reliquis duobus cornibus coaptatus, pariterq; rigidus, quin & illud dictum, Iphis uentilabit gentes usq; ad extrema terre

significat

significat eā quæ nunc uidemus in omnibus gētibus fieri. nam cor
 nu hoc petiti compunctiq; multi ex omnibus gentibus, per hoc
 mysterium ad pietatem conuersi sunt à uanis simulacris demonū:
 incredulis autem eadem figura ad condemnationem ipsorum pro
 ponitur: quemadmodum populo Ægyptum egresso, per figura
 tam expansionem Moſis manuum, & per Nauæ filium Iesum co
 gnominatum, Amalec succumbebat, uincebat Israel. quin & illa fi
 gura serpentis dedicati propter infestatos Israelitas serpentū mor
 ſibus, præsignasse uidetur salutem credētium in crucifixum, cuius
 crux exitium serpenti attulit. non enim in serpente nos fiduciam
 collocare propheticus spiritus per Moſem docuit, quando quidem
 ab initio maledictum à Deo dixerat: & per Eſaiam prædictum est,
 fore ut interficiatur tanquam hostis magnò illo gladio, qui Chri
 ſtus est: Nisi quis igitur per diuinam gratiam adeptus fuerit intel
 lectum dictorum factorumq; prophetorum, nihil ei proderit ſci
 re uel dicta ipsa uel facta, ni possit etiam rationem eorum reddere:
 alioqui contemnenda uidebuntur ista prolata apud uulgus non in
 telligentium. Siquis enim reputet, quòd Enoch, Noe cum filijs, &
 siqui fuere similes, absq; circumcisione sabbatisq; Deo placuerint
 quæ causa est ut post tot ætates Deus per nouos principes nouas
 que leges exegerit iustificationem, circumcisionis quidem ab A
 brahamo usq; Moſem, deinceps uerò mandatorum quoq; ad cir
 cumcisionem accedentium, hoc est sabbatorum, sacrificiorum, ob
 lationum, libaminum: nisi quæ iam me differente apparuit: uideli
 cet præsciuisse Deum, fore ut uester populus merito eijciatur Hie
 rosolymis, adeò ut nemo uestrum permittatur illuc ingredi: nulla
 enim alia re dignoscimini, ut dixi, nisi carnis circumcisione. Abra
 ham certe non propter circumcisionem, sed propter fidem iustus
 appellatus est dei testimonio, prius enim quàm circumcideretur,
 dictum est de eo: Credidit Deo Abraham, & imputatum est ei ad
 iusticiam. ideo nos quoque in præputio carnis credentes Deo per
 Christum, & circumcisionem habentes non inutilem, cordis ui
 delicet, speramus nos pro iustis approbandos à Deo: quando qui
 dem iam consecuti sumus ab eo testimonium per uerba propheti
 ca. cæterum sabbata uestra oblationesq;, & proprius locus desi
 gnatus inuocando nomini Domini: hæc omnia (ut dixi) data sunt
 pronis ad idololatriam & oblitis Dei, quando ad impietatem &
 dei contemptum deflexistis, ut semper soletis: & iam antè ostendi,
 hanc esse causam sabbatorum oblationum'que, & mandatorum
 huiusmodi, attamen propter hos qui hodie uenerunt, eadem fer
 me libet

me libet repeterere: alioqui patebit Deus quorundā calumnijs, quā si parum prouidus aut non semper eodem modo docens iusta uel dicere uel facere, liquet enim multas ætates hominum ante Moſem elapſas fuiſſe. Nonne ſcriptura dicit: uerax eſt Deus & iuſtus, & omnes eius uix iudicium, nec eſt in eo iniuſticia: hoc oraculum quia uerum eſt, uult deus ut relicta ſtulticia priſtina cæcōꝝ amore ſui, ſeruemini cum Chriſto dilecto dei, de quo teſtantur ſanctorum prophetarum oracula, ſicut prolixè demonſtrauimus. nam quæ ſemper & in uniuerſum iuſta ſunt, ſolidam iuſticiam præbent cuiuſ hominum generi: in quo nemo ignorat, malum eſſe adulterium, ſtuprum, homicidium, & huiuſmodi cætera: quæ etiam ſi omnes facerent, ſcirent tamen ſe iniuſte facere: exceptis hiſ qui pleni ſpiritu impuro, & mala educatione malisq; moribus ac legibus deprauati naturalem ſenſum amiſerunt, aut extinxerunt oppreſſeruntq;. licet enim uidere facientes quæ ſibi nollent fieri, & opprobantes alijs ea, quorum ſibi ipſi ſunt conſci. ideo rectè dixit dominus noſter & ſeruator Ieſus Chriſtus, duobus præceptis contineri plenariam pietatem atq; iuſticiam, nempe hiſ: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo totisq; uiribus tuis, & proximum ut te ipſum. nam qui toto corde totisq; uiribus Deum diligit, cum ſit pia mente præditus, nullum aliū colet Deū, etiam ſi colat Deo uolente angelum illum dilectum ipſi Domino Deoq;. & quicūq; proximum ut ſeipſum diligit, quicquid boni ſibi met cupit, & illi cupiet pariter, nemo autem ſibi ipſi male uult. eadem igitur quæ ſibi proximo quoq; optabit & faciet, quiſquis proximum ut ſeipſum diligit. nihil autem eſt homini propinquius, quàm homo, animal rationale paſſionibus eiſdē obnoxium. cum igitur tota iuſticia diuina datur in officia quæ debentur partim Deo partim hominibus, præceptum hoc: Dilige Dominum Deum ex toto corde totisq; uiribus, & proximum ut teipſum, reuera iuſtū erit. uos nec erga Deū, nec erga prophetas, nec erga uoſipſos unquam declaratiſ amore aut amicitia: ſed ut demonſtratum eſt, ſemper idololatræ & homicidæ iuſtorum deprehenſi eſtiſ, donec in ipſum Chriſtum manus inieciſtiſ: & hodieq; perduratiſ in ueſtra malicia, execrando eos qui hunc à uobis crucifixum eſſe Chriſtum euincunt. nec hiſ contenti, conamini perſuadere, illum ut inimicum Deo execrabilem q; crucifixum fuiſſe, quæ ueſtra eſt inſania maxima. cum enim poſſitiſ eſt prodigijs ſignisq; per Moſem exhibitis colligere hunc eſſe, non uultis tamen, atq; ut etiam nos ſeducatiſ adnitimini, exagitando quæſtiunculiſ, cum rationibus deſtituamini ſiquando in
ſolidum

solidum firmūq; Christianū incideritis. Dicite mihi. nōsne Deus
 erat qui per Mosē interdixerat nequis imaginē similitudinē uē
 ullam faceret uel cœlestium rerū uel terrestrium: & tamen ipse per
 eundem Mosē in deserto iussit fieri serpentem aheneū, & pro si-
 gno erigi, ut per hoc signum seruarentur morfi à serpentibus: id
 quod nemo ut iniquum criminatur. præsignabatur enim, ut dixi,
 mysterium, fore ut aliquādo destruat̄ur potentia serpentis, qui A-
 damo transgrediendi mandati autor fuerat, salutem autem obuen-
 turam his qui crederent per hoc signum prænunciato, crucifigēdo
 uidelicet, ut serpentinos morsus euadant: hoc est mala opera, ido-
 lolatrias, iniquitatesq; ceteras, alioquin ni hæc ita intelligātur, red-
 dite mihi rationē cur Mosēs aheneū serpentem pro signo sustule-
 rit, & morsos eum intueri iusserit, remedio præsentaneo, præser-
 tim cum ipse interdixisset nequis ullam similitudinem effingeret.
 Tum alter ex his qui postera die uenerant: uerē dixti, inquit, non
 possumus rationem reddere. equidem sepe super hac re magistrōs
 consului, nec quisquam rationem reddidit. proinde perge tu dice-
 re attendimus enim tibi explicanti mysterium, & prophetas uindi-
 canti à calumnijs. Quemadmodum igitur inquam, signum ahenei
 serpentis Deus iussit fieri, quod nemo culpāt: sic & in lege execra-
 tio proposita est crucifixis hominibus, cum Christo Dei nulla in-
 tentetur, per quem seruantur quotquot sunt alioquin execrabiles.
 nam uniuersum genus hominum, subiacet execrationi legis Mo-
 saicæ, sic denunciati: Execrabilis omnis qui non immanēt præcē-
 ptis scriptis in libro legis huius, ut faciat ea: quæ à nemine exactē
 obseruata, ne uos quidem negare audebitis, licet alij magis, alij mi-
 nus ab eis deflexerint. quod si etiam legis obseruatores non sunt
 immunes ab execratione, eo quod non seruent præcepta omnia:
 quanto magis erunt gentes omnes obnoxia, polluta idololatria
 puerorumq; incestis amoribus, & uicijs cæteris: cum igitur Chri-
 stum suum pater pro uniuerso genere hominum execrationē subi-
 re uoluerit, sciens eum à se post crucem mortemq; resuscitandum,
 cur tanquā de execrato loquimini cum patris uoluntatem patien-
 do exsecutus sit, ac nō potius uos ipsos deploratis? quamuis enim
 pater ipse filio patiendi pro humano genere autor fuerit, uos tamē
 non fuistis ministri eius sententiæ. nam neq; cum prophetas occi-
 deretis, pie fecistis. Nec est quod dicatis: si pater hæc eum pati uo-
 luit, ut eius uibice sanaretur genus hominum, nos quid peccauim-
 us? nam si peccati pœnitet, & agnoscendo hunc esse Christum,
 mandata eius seruare uolentes percontamini, dixi in promptu es-
 se ueniam

se ueniam: quod si & ipsum & eius fideles execramini, & quoties in eos sæuire datur interficitis, qui fieri potest ut non exigatur à uobis pœna, quasi ab iniquis & obstinatis peccatoribus, qui ne ab illo quidem sceleratas manus abstinuissetis: Etenim dictum hoc legis, Maledictus omnis qui pendet in ligno, non quia maledictus sit hic Deus crucifixus, confirmat spem nostram à crucifixo Christo pendentem: sed quia Deus prædixit uos uestriq; similes omnes ignoraturos illum antiquissimum sempiternumq; Dei sacerdotem, regem ac Christum futurum: quod nunc in uobis uidere licet. De nouetis enim diris quotquot ab illo Christiani denominantur, cæteræ uerò gentes hanc imprecationem exsequuntur operibus, interficiendo ob solam professionem Christianismi: quos tamen omnes fratrum appellatione dignamur, & ad ueritatis cognitionem hortamur: uobis autem illisq; contumaciter resistentibus, & ultro nos ad negationem nominis Christi cogentibus, enecari malumus, certi rata fore omnia quæ nobis Deus per Christum est pollicitus: & insuper etiã pro uobis precamur, ut misericordiam Christi consequamini. sic enim ipse nos pro inimicis orare docuit dicens: Estote benigni ac misericordes, sicut pater uester cœlestis. uidemus enim Deum cunctipotentem benignum misericordemq;, qui solè suum profert ingratis ac iustis, & pluit super pios ac malos, quos omnes se iudicaturum præmonuit, nec enim temerè factum est, quod propheta Moses permansit usq; ad uesperam in eadē forma, Oro Aaronemq; manus eius sustentantibus. nam & Dominus penè usq; uesperam in ligno mansit, ac tunc demum sepultus est, tertia uerò die resurrexit: id quod sic per Dauidem prænunciatum fuerat: *Voce mea ad dominum clamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo. Ego decubui & sopitus sum: experrectus sum quia Dominus suscepit me. Et per Esaiam similiter prædictum fuerat de hoc, & mortis eius genere: Expandi manus meas ad populum incredulum contradicentem que, ambulans in uia non bona. Resurrexerunt quoq; idem Esaias dixerat: Sepulchrum eius sublatum est è medio: dabo diuites pro morte eius. Passionem quoq; ac crucem per mysticam similitudinem aliubi Dauid subindicat in Psalmo xxxi. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerarunt omnia ossa mea: ipsi autem considerabant & inspectabant me. Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem. Quando enim crucifixerunt eum, impactis clauis manus eius pedes que pertuderunt: & crucifixores uestimenta eius sibi diuiserunt, sortibus committentes quæ portio cui militi debeat cedere.*

uos tamen ne hunc quidem Psalmum de Christo loqui putatis, ex cæcati modis omnibus: nec intelligitis nullum unquam uestri generis regem Christum extitisse, cui uiuo manus ac pedes perforati sint: sed solum Iesum iuxta mysticum carmen crucifixum fuisse. Recitare libet totum Psalmum, ut audiatis quanta pietate ille ad patrem referat omnia, orans ut per illum ab instante morte seruetur, simulq̄ in eodem Psalmo indicans quales fuerint qui coorti sint aduersus eum, declaransq̄ se fuisse uere hominem passionum capax pacem. est autem Psalmus hic: Deus deus meus respice in me, quare me dereliquisti: longe à salute mea uerba delictorum meorum. Deus meus clamabo per diem & non exaudies: & nocte, & nō ad insipientiam mihi. Tu autem in sancto habitas, laus Israel. In te sperarunt patres nostri: sperarunt & liberaisti eos. Ad te clamarunt & salui facti sunt: in te sperarunt & non sunt confusi. Ego autem sum uermis nō homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Omnes uidentes me deriserunt me: locuti sunt labijs, & mouerunt caput: Sperauit in Domino, eripiat eum: saluum faciat eum, quoniam uult eum. Quoniam tu es qui extraxisti me de uentre, spes mea ab uberibus matris meæ. In te proiectus sum ex utero, de uentre matris meæ deus meus es tu. Ne discesseris à me quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adiuuet. Circumdederunt me uituli multi, tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens. Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum tanquam cera, liquefcens in medio uentris mei. Aruit tanquam testa uirtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: & in puluerem mortis deduxisti me. Quoniam circumdederunt me canes multi, consiliū malignantium obsedit me. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerarunt omnia ossa mea. Ipsi uerò considerauerunt & inspexerunt me, diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem. Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuū à me, ad defendendum me attende. Erue à framea animam meam, & de manu canis unigenitam meam. Serua me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Qui timetis Dominum laudate eum, uniuersum semē Iacob glorificate eum. Timeat eum omne semen Israel. His recitatis, nunc inquam, declarabo totum Psalmū de Christo dictum, interpretando singula. Mox initio quod dicit: Deus deus meus respice in me: quare me dereliquisti, totidē uerbis postea Christus protulit. pendens enim in cruce dixit: Deus

deus meus quare dereliquisti me: item quæ deinceps sequuntur, longe à salute mea uerba delictorū meorum: Deus meus clamabo per diem & non exaudies: noctu & non ad insipientiam mihi, sicut etiā gerenda erant, ita prædicta fuerant. nam pridie quā crucifigeretur digressus cū tribus ex discipulis in montē qui Oliuetū dicit̄, Hiero solymitano templo aduersum, precabatur dicēs: Pater si possibile est, transeat à me hoc poculū. ac mox addidit: nō ut ego uolo, sed ut tu uis: his uerbis indicās se factū uere passibilē hominē. Verūm ne quis cogitaret: Nū igit̄ ignorabat se passurū: sequitur mox in Psalmo, Et nō ad insipientiā mihi: sicut nec Deo imputatū est ad ignorantia, quod rogarit Adamū ubi esset: & Cainū, ubi Abel: nimirū singulos arguēs, ut hæc per scripturas in nostrā uenirēt noticiā: ita hic quoq; nō suā ignorantia significat, sed istorū qui eū Christū nō putāt, ac perinde moliūtur ei perniciē, quasi uulgari homini māsero apud inferos. quod aut, sequit̄: Tu uerō in sancto habitas laus Israel: significat laude admirationeq; dignū futurū post crucē rediuiuū die tertia, quod beneficiū à suo patre acceptū habet. nam Christū & Iacob uocari & Israel, iam docuimus. nec solū benedictiones Iosephi Iudæq; mystice de illo prædicatas ostēdimus, sed & in Euangelio legimus cum dixisse: Omnia mihi tradita sunt à patre, & nemo nouit patrem nisi filius, nec filium nisi pater, & quib. filius reuelauerit. Reuelauit igitur nobis omnia, quæcunq; & ex scripturis per ipsius gratiā discimus, intelligētes eū Dei primogenitū antiquiorem creaturis omnibus: & patriarcharū filiū, quādoquidem per oriundam ex illorum genere Virginē incarnatus, homo in decorus, inglorius, passibilisq; fieri sustinuit. Vnde cū de futura sua passione loqueretur, inquit: Oportet filium hominis multa pati & reprobari à pharisæis scribisq;, & crucifigi, & tertia die resurgere. Filiū hominis seipsum dicebat, uel quia natus de Virgine oriunda ut dixi à Dauide, Iacobo, Isaaco, Abrahamoq;: uel quia ipse Abraham etiam reliquorum deinceps pater est, ex quibus Marię stirps deducitur. scimus enim patres filiarum, etiam liberorū patres esse, quos illæ pariunt. nam Simon unus discipulorum, qui reuelante patre agnouerat Christum Dei filium, Petrus ideo cognominatus fuit: & filium Dei legimus in Apostolorum ipsius commentarijs: quem cū filium dicimus intelligimus antiquiorem creaturis omnibus, ex patre uirtute ipsius consilioq; progressum, qui & sapientia, dies, oriens, gladius, lapis, uirga, Iacob, Israel, alio atq; alio modo in prophetarum scripturis appellatur: homo natus de Virgine, ut per quam uiam fraude serpentis subintrauit inobedientia,
per

per eandem sequeretur uenia. cum enim integra uirgo esset Eua, concepto uerbo serpentis inobedientiã mortemq̃ peperit. at uirgo Maria postquã concepit fidem cum gaudio, afferente sibi Gabriele lætum nunciũ, quod spiritus Domini ei superueniat, & obumbret ipsam uirtus altissimi, & ideo quod ex ea nascatur sanctũ, esse filium Dei, respondit: Fiat mihi secundum uerbum tuum. Ex hac natus est hic de quo tot scripturas loqui docuimus, per quem Deus & serpentem illum & similes eius angelos hominesq̃ destruit: pœnitentibus uerò & credentibus in eum absolutionem à morte concedit. Cæterum quæ in Psalmo hoc sequuntur: In te sperarunt patres nostri, sperarunt & liberaisti eos: ad te clamarunt & non pudefacti sunt: Ego autem sum uermis non homo, opprobriũ hominum & reiectus à populo: significant eum patres agnoscere qui sperando in Deum ab eo seruati fuerunt: qui quidem etiam patres erant Virginis ex qua homo natus est: & se quoq̃ seruandum ab eodem Deo indicat, tantum abest ut iactet se aliquid effecturũ proprio consilio suisq̃ uiribus. nam & cum in terra uersaretur idem fecit: dicente ei quodam, Præceptor bone, respondit: Cur me dicis bonum? Unus est bonus, pater meus cœlestis. quod autẽ dicit: Ego sum uermis non homo, opprobrium hominum & reiectus à populo: prædictum est quod obuenire obuenisseq̃ ei uideamus. opprobrium est enim nobis quotquot ubiuis gentium in eũ credimus, reiectamentum uerò populi, quia nihili pensus & contemptus à uestro populo, passus est iniurias quibus eum affecistis. Tum quæ sequuntur: Omnes qui contemplabantur me subsannabant, loquebantur in labijs mouentes caput: Sperauit in Dominum, liberet eum, quia uult eum: similiter futuri euentus habent præfagium. nam qui crucifixum eum inspectabant, torquendo nares & labia cauillabantur, sicut in literis Apostolorum legimus: Filium dei se iactabat, descendat nunc & obambulet. seruet eum Deus. Sic quæ deinceps leguntur: Spes mea ab uberibus matris meæ, in te proiectus sum è uulua, à uentre matris meæ Deus meus es tu: quia non est qui succurrat mihi, Circumdederunt me uituli multi, tauri pingues circumuenerunt me: àperuerunt in me os suũ tanquam leo rapiens & rugiens. Sicut aqua diffusa dispersaq̃ sunt omnia ossa mea, factum est cor meum sicut cera liquecens in meridie uentris mei. Aruit sicut testa uis mea, & lingua mea hæsit gutturi meo, dudum prænunciabant hæc quæ iam facta sunt. nam quod dicit: Spes mea ab uberibus matris meæ: quamprimum in Bethlehem natus, ut supra dixi, Herodes ex Arabia magis cognouit,

molitus est ei perniciem, quando Ioseph Deo iubente unâ cū puero matreque Maria in Ægyptum profectus est. sic enim pater eius decreuerat, ut post absolutam demum uerbi prædicationem filiū ad necem dederet. Quòd si quis obijciat, an non potuit Deus Herodē potius interimere? uicissim rogabo: An nō potuit Deus inuasio serpentem è rebus tollere, potius quàm dicere, Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius? Nonne potuit confestim facere multitudinem hominum? Sed ut ei uisum est bonū, reliquit in ipsorum potestate quid iuste agerent uel angeli uel homines, præfinito tempore quandiu uellet eos esse iuris liberi, & quia bonū hoc esse sciebat, generatim particulatimque exercuit iudicia, saluo tamen libero arbitrio, unde sic legimus de fundatione turris illius, deque linguis mutatis & dissonis: Et dixit Dominus: Ecce genus unum & labium unum omnium, & aggressi sunt ista facere: nec desistent à cogitationibus suis donec eas opere compleant. Sic & illud: Aruit quasi testa uis mea, & lingua mea hæsit gutturi, similiter prædictio fuit gerendorum olim iuxta paternam uoluntatem. nam sermonis eius uehementia, qua coarguebat laceffentes se quæstionibus pharisæos scribas que & in uniuersum magistros uestros, cohibita fuit sicut fons exundans cuius aquæ deriuatæ sunt aliò, ita ut apud Pilatum neminem responsuro dignaretur, quemadmodum in commentarijs Apostolorum legitur, unde dictum illud Esaiæ fit magis perspicuum: Dominus dat mihi linguam ut sciam quando debeam sermonem proloqui. Iam cum dicit, Deus meus es tu, ne discefferis à me: docet omnem hominem debere spem suam in Deo solo ponere, & ab illo salutem auxilium que petere: non ut solent cæteri, fiducia generis, aut opum, aut uirium, aut sapientiæ salutem sibi polliceri: quemadmodum & uos semper fecistis, interdum adorantes uultum, semper ingrati & occisores iustorum, inflati que fiducia generis, nam si uidemus filium Dei nec uiribus suis nec sapientiæ ferre acceptam salutem, cum tamen sit innocentissimus, ac ne uerbo quidem peccarit (iniquitatem, inquit, Esaias non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius) nec putare se posse sine Deo saluum euadere: qui fieri potest ut uos & alij quicumque sine hac spe salutem expectant, non se ipsos decipiant? Quod autem sequitur in Psalmo: Quia tribulatio propinquat, quia non est qui adiuuet me. Circumdederunt me uituli multi, tauri pingues circumuenerunt me: diduxerunt contra me os suum, tanquam leo rapiens & rugiens: quasi aqua effusa & dispersa sunt omnia ossa mea: æquè de futuris

fuit

fuit uaticinium. nam illa nocte quando in monte oliuarum aggressi sunt eum uestri populares, immisi à scribis pharisæisq; circumuenerunt eum, quos uitulos cornutos petulcos que scriptura nominat. sic tauros pingues cum dicit, de magistris uestris loquitur, ad quos iuuenis nihilo mitiores adductus est: quos ideo tauros scriptura uocat, quia uitulos è tauris gigni scimus. quemadmodum igitur absq; tauris non fiunt uituli, sic magistri uestri autores fuerunt suis filijs ut progressi in montem oliuarum comprehenderent illum, & ad se adducerent. Quod uerò dicit: Non est qui adiuuet: refertur ad idem facinus. nam ne unus quidem illi ut infonti opem tulit. cæterum illa uerba: Aperuerunt contra me os suum quasi leo rugiens: significant regem Iudæorum eius temporis, qui & ipse Herodes dictus successerat illi Herodi sub quo Christus natus est, interfectore puerorum Bethlemiticorum, quando propter uerba magorum Arabiæ cogitauit intercipiendum eum in hoc numero, nescius plus posse Dei consilium ablegantis Iosephum in Ægyptum cum Maria & puero donec per reuelationem moreretur de reditu in patriam: ubi permanserunt usque obitum Herodis infanticidæ, & successorem Archelaum. uerum is quoq; defunctus est prius quam Christus suam dispensationem iuxta patris uoluntatem exsequeretur usq; ad crucis supplicium. In eius regni partem successit Herodes alter, cui Pilatus ut gratificaretur, uinctum Iesum misit, ut olim deus per prophetam prædixerat uerbis his: Et adduxerunt eum regi munus in palatium Assyrj. Aut leonem contra se irrugientem dicit diabolum, quem Moses quidam serpentem uocat, à lobo autem & Zacharia nominatur diabolus, & à Iesu Satanas, appellationem hanc nactus conuenientem suis studijs. Satan enim Iudæorum Syrorum que lingua defertorem significat. hæc autem uox Nas, quod interpretatur serpens, Ebræis idem quod Sata ualet. ita ex utroque unum uocabulum componitur satanas. Nam hic diabolus, quam primum illo exscendente amnem Iordanem auditum fuit: Filius meus es tu, ego hodie genui te: sicut in scriptis Apostolorum legitur: aggressus eum tentandi causa eò usque processit ut diceret, adora me: & à Christo reijceretur hoc responso: Abi post me satana: Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruias. nam sicut Adamum decepterat, cogitabat huic quoq; se posse aliquid officere. Itē illa: Sicut aqua effusa & dispersa sunt cuncta ossa mea: factum est cor meum sicut cera liquefcens in medio uentris mei: euenerunt ei nocte ipsa, qua in monte oliuarum captus est, quemadmodum prædictum

fuerat. legitur enim in supra memoratis Apostolorum & Discipulorum eius commentarijs, sudore quasi guttis sanguineis manasse illum precantem dicentemque: Transeat, si fieri potest, poculum hoc: uidelicet tremore cor & ossa occupante, & præ cordijs tanquam cera liquecentibus in uentre: ut sciremus patrem uoluisse, hæc quoque suum filiū pati propter nos: neue dicamus quod ille, cum esset Dei filius, parui penderet quicquid sibi accideret. Itē illud: Aruit quasi testa uirtus mea, lingua mea hæsit gutturi meo: ut iā dixi præsignabat silentium nihil cuiquam responsuri, cum posset omnes uestros magistros coarguere stulticiæ. Tum illud: In puluerem mortis deduxisti me: Circumdederunt me canes & uenatores multi, cœtus malignantium circumuenit me: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerarunt omnia ossa mea: Ipsi autem considerabant & inspectabant me: diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem: iam antea dixi uaticinium fuisse de genere mortis qua damnauit eum consilium malignantium, sicut eorundem Apostolorum scriptis est prodiū: quod genus hominū scriptura canes uenatoresque uocat, quia prius quam damnarent clauserunt illum indagine. Vestes quoque crucifixi diuisas fuisse inter milites exactores supplicij, antè dictum est. Iam quæ sequuntur in eodem Psalmo: Domine ne elongaueris auxilium tuum à me, in adiutorium meum intende: Libera à framea animam meā, & à manu canis unigenitam meā: Serua me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam: æquè ac illa superiora futuros casus prænunciant. quod enim hic erat omnipotentis patris unigenitus, sermo potens ex eo genitus proprie, ac post homo natus per uirginē, ex Apostolicis literis antè memorauit: sicut & mortē eius quam in cruce sustinuit. nam illa uerba: Libera à framea animam meam, & à manu canis unigenitam meam: Serua me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam: similiter sunt prædicentis genus mortis passionisque, crucem uidelicet. superius enim explicauit uobis, quod cornua unicornium nihil aliud quam crucem significant. quod uerò petit, ut à framea & ore leonis & manu canis animam suam eripiat, precatio est ne in cuiusquam potestatem ueniat ut quando nos in exitu uitæ fuerimus, eadem petamus à Deo: qui potest abigere quemcunque impudentem malum genium, quo minus animæ admoliri manus audeat. manere autem post mortem animas declarauit uobis exemplo Samuelis, cuius anima iubete Saule fuit euocata per sagam uentriloquam. uidentur autē omnes animæ prophetarum iustorum que obnoxia fuisse talibus potestatibus

bus, qualē in uentriloqua fuisse rebus ipsis creditur. ideo hic quoque docemur exemplo filij Dei ut contendamus ad iusticiā, & sub exitum uitæ deprecemur ne anima nostra in ullam similem potestatem incidat. Reddens enim spiritum in cruce dixit: Pater in manus tuas depono spiritum meum: sicut ab iisdem discipulis est literis proditum. Idem compellens discipulos ut instituta pharisæorum uincerent, aut scirent se non saluandos, sic dixisse legitur: Nisi ab undauerit uestra iusticia plus quam scribarū & pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Et quia sciebat se impetraturum à patre quicquid petierit, resuscitandum etiam ab illo ex mortuis, hortabatur omnes religiosos ad laudandum Deum, eo quod per sacramentum crucifixi misertus sit omnium hominum in se credentium. Quapropter ibidē legitur quomodo in medio fratrum suorum Apostolorum constitit: qui eum reuixisse persuasi ita ut ante passionem ipse prædixerat, & prophetæ multo antè prænuciarant, pœnitentia tacti sunt quod eum in supplicio deseruerint: atq; ita unà cum eo laudauerunt Deum: sicut huius Psalmi reliquū indicat uerbis his: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Qui timetis Dominum laudate eum, uniuersum semen iacob glorificate eum: Timeat eum omne semen Israel. quin & illud quod in eisdem commentarijs legitur eum mutasse nomen unī ex apostolis Petro, sicut & fratres filios Zebedæi cognominatos Boanerges, hoc est filios tonitrus: significat hunc esse illum qui olim iacobum cognominauit Israelem, & Iesum profugus ad terram patriarchis promissam demigravit. Iam ortum eius uelut sidus emicaturum ex Abrahami genere Moses prædiuinauit dicens: Orietur stella ex iacob, & dux ex Israele. Et alia scriptura, inquit: Ecce uir, Oriens nomen eius. Ergo statim ut natus est, stella in cœlo extitit. sicut scribunt Apostoli: quam mox agnouerunt magi Arabici, & uenerunt adoraturi eum. Quod autem die tertia post crucem resurrecturus esset, scriptum est in iisdem commentarijs. cum enim quidam è uestris disputarent cum eo dicerentq;: Ostende nobis signum aliquod: respondit eis, Generatio mala & adulterina signum requirit, nec dabitur eis ullum, nisi signum Ionæ. Quæ cum dicerentur, latebant intellectum audientium, hæc intelligi oportere de resurrectione post crucem die tertia: simul que indicabatur, generationem uestram nequiorē deprauatiorem que esse ciuitate Niniuitana: ubi Ionas è uentre ceti regurgitatus die tertia, inter cætera prædicauit fore ut post

quadra

quadraginta tres dies deleatur ciuitas unà cum uniuerso populo, illi uerò territi ieiunium indixerunt absque ulla exceptione remissione que, nec brutis parcentes nec hominibus, saccis induti, & eiulatu continuo præ se ferentes sinceram cordis pœnitentiam, & relegatam iniusticiam, inuitantes que se inuicem ad fidendum diuinæ caritati atq; clementiæ omnibus resipiscentibus exposita: ita ut rex ipse cum suis magnatibus amicti cilicijs perdurarent in ieiunijs ac precationibus, & exorarint Deum ne subuerteretur ciuitas. id cum ægrè ferret Ionas, post quadragesimum tertium diem incolumi ciuitate irritum factum suum uaticiniū, fertur deo uolente subito exortā ceu pergulā fruticante siluestri cucurbita, quæ esset in æstu pro umbraculo, citra plantationem Ionæ rigationemq; repente uirore opaca: sed quàm facile adoleuerat, tam exaruisse facile. ac rursus indignandum prophetam reprehensum merito, quod mœreret stare ciuitatem integram: Tibi, inquit, grata fuit cucurbita cui alendæ nihil operæ insumpsisti, quæ una nocte nata una nocte periit: & ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plus quàm centum uiginti milia hominum qui nesciunt quid intersit inter dextram & sinistram suam, & iumenta multa: Hæc Ionæ acta cum sciant uestri homines, tamen præmoniti à Christo accepturos se signum Ionæ, ut saltem post resurrectionē eius à mortuis resipiscentes ab erratis præteritis, ad exemplum Niniuitarum opploraretis Deo, atq; ita genti ciuitatiq; uestræ caueatis ab excidio: non solum non egistis pœnitentiam postquam audistis excitatum à mortuis: sed ut antè dixi, per certos homines publico consilio dimissos quàm late orbis habitat, sparsistis rumore exortā esse impiam sectam auctore quodam Iesu Galilæo, homine impostore: quem à uobis crucifixum discipuli noctu è monumento subtraxerint, quò refixus à cruce positus fuerat: persuaserintq; credulis excitatum à mortuis in cœlum ascendisse: & insuper doctrinam eius infamastis, sicut & hodie de confitentibus Christum magistrū suum esse dei filium, quædam scelesti, iniqua, impiaq; deprædicastis. præterea ciuitate uestra expugnata, terraq; deuastata, non respiscitis, sed audetis execrari & ipsum & quotquot credunt in eum. nos tamen nec uos, nec eos qui talibus uestris mendacijs credunt, odio prosequimur, sed precamur ut nunc saltem pœnitentes à Clementissimo Deo consequamini ueniam. ceterum quòd gentes relicto errore pristino ad sanio rem mentem rediturae sint audita prædicatione Apostolorum, quæ Hierosolymis profecta doctrinā de uerbo passo differeret, audite me paucis recitantem prophetiā Michæ

chææ unius è duodecim sacris uatibus. uerba eius sunt hæc: Et erit
 in nouissimo dierum cõspiciuus mons Domini, præparatus in uer-
 tice montium, excelsior collibus, & fluent ad eum populi, & pro-
 perabunt gentes multæ dicentq̃: Venite ascendamus in montem
 Domini, & in domum Dei Iacob: & prælucebunt nobis per uiam
 eius, & in semitis eius ambulabimus. quia de Sion egredietur lex,
 & uerbum Domini de Hierusalem, & dñjudicabit inter populos
 multos, & redarguet gentes fortes usq̃ in longinquum, & concia-
 dent gladios suos in uomeres, & hastas suas in falces. non sumet
 gens aduersus gentem gladium, & non discent ultra belligerare,
 & sedebit uir sub uite sua & sub ficu sua: & nõ erit qui terreat, quia
 os Domini exercituum locutum est, quia omnes populi ambula-
 bunt unusquisq̃ in nomine dei sui: nos autem ambulabimus in no-
 mine Domini Dei nostri in æternum. Et erit in die illa, congrega-
 bo anxiatam, & expulsam colligam quam afflexeram: & ponã an-
 xiatam in reliquias, & eã quæ laborauerat in gentem robustam: &
 regnabit Dominus super eos in monte Sion ex hoc nũc usq̃ in æ-
 ternum. Post hæc subieci. Scio uestros magistros hunc totum con-
 textum ad Christum referre, sed eum nondum uenisse putant: aut
 si uenit, nondum magnitũ: agnoscendũ tamen cum apparuerit in sua
 gloria, ac tum demum uenturam felicitatem quæ textu hoc descri-
 bitur, quasi nondum rata sit hæc prophetia. homines impruden-
 tes, qui non intelligant duos aduentus promitti omnibus oracu-
 lis, alterum calamitosum & obscurum usq̃ ad crucis ignominiam:
 alterum uerò quando illustis è cœlo ueniet: quando etiam deser-
 tor homo, nefariè loquens aduersus altissimum, in terris patrabit
 contra nos Christianos multa facinora: qui per legem prædica-
 tionem que Apostolorum Iesu profectorum à Hierosolymis pie-
 tate cognita, ad deum Iacob & Deum Israel confugimus: & om-
 missis bellis ac mutuis cædibus uitij's que cæteris, pro se quisque
 arma bellica uertimus in ferramenta rustica, recusis gladijs in uo-
 meres & lanceis in falces ut colamus religionem, iusticiam, charita-
 tem, fidem, spemq̃ in patrẽ crucifixi, dum quisq̃ sub uite sua sedet,
 hoc est unica muliere cõiuge utitur. Nostis enim illud propheticũ:
 Vxor eius ut uitis fœcũda. quòd autẽ nos in Iesum credẽtes nemo
 terrere aut domare ualeat apparet quotidie. cũ em̃ obrũcemur cru-
 cifigamur, obijciamur bestijs, ignibus alijsq̃ tormentis tradamur,
 tamẽ à cõfessione nõ discedimus, sed quãto magis in nos sæuitur,
 tanto plures pietatẽ fidemq̃ per nomẽ Iesu profitẽtur: haud secus
 quàm si quis uitẽ putatione prouocet ad ubertatẽ fructuũ. nã uitis
 à Deo

à Deo & seruatore Christo plantata, est eius populus, reliquū au-
 tem huius prophetiæ in aduentu secundo repræsentabitur, nam
 quod anxiatam uocat, apparet ubiq; gentium non solum à uobis
 sed & ab omnibus hominibus Christianos pelli, nō tantum è suis
 facultatibus, uerum etiam è mundo ipso & è uita: licet uos hanc ca-
 lamitatem interpretamini accidisse uestro populo, qui cū iusto bel-
 lo sitis profligati, etiam scripturarum oraculis de hac clade fuistis
 præmoniti: nos uerò nihil tale commeriti post Dei ueritatē agni-
 tam, testimonium habemus à Deo unà cum iustissimo, immacula-
 to, soloq; innocente Christo, quòd tollamur è medio. uociferatur
 enim Esaias: Ecce quomodo iustus perijt, & nemo mentem aduer-
 tit: uiri iusti tolluntur, & nemo considerat. Ceterum duos aduen-
 tus Christi figuratè per Mosem prædictos fuisse iam docui antea,
 uidelicet quando in ieiunio hircos obtulit: sicut eadē figura in Mo-
 sis Iesuq; actis agnoscitur. alter enim eorum extensis manibus in
 colle perdurauit usq; uesperam, alijs manus sustentantibus: quòd
 nihil nisi crucis figuram indicat. alter uerò assumpto Iesu nomine,
 ductu suo uictoriam Israelitis peperit. Hic considerandum est in
 his duobus sanctis uiris & Dei prophetis, quòd neuter eorum so-
 lus par erat sustinendo utriq; mysterio: hoc est & crucis, & assum-
 pti cognominis. unius enim solius hæc uirtus est & erat erit que,
 cuius nomen omnes principatus uerentur, dolentes quod per eū
 dissoluendi sint. itaq; hic noster Christus passibilis & crucifixus
 non est à lege maledictus, quippe quæ per hunc solum seruandos
 credentes in eum indicat: In Ægypto quoq; cū interimerentur
 Ægyptiorum primogeniti, quotquot eam cladem euaserunt, ser-
 uati sunt per sanguinem quo postes ac superliminare tingebantur.
 pascha enim erat Christus qui post mactatus est, ut Esaias, inquit.
 Ipse ductus est sicut ovis ad sacrificium. Legimus autem in festo
 paschæ comprehensum à uobis & crucifixum. & sicut in Ægypto
 paschalis sanguis fuit salutifer: sic Christi sanguis credentes è mor-
 te eripiet. Ergo erraturus erat Deus nisi signarentur ianuæ: nequa-
 quam, sed sic prænunciabat futura humani generis salus per Chri-
 sti sanguinem. nam & symbolum illud rubri funiculi, quod in Hie-
 richo speculatores à Iesu Naue missi dederunt Raab meretrici, ius-
 sæ ut id alligaret fenestræ per quam eos demiserat clam hostibus,
 similiter præsignabat Christi sanguinem, per quem salui fiunt in
 omnibus gentibus, qui olim scortatores & iniusti fuerant, accepta
 remissione peccatorum à quibus resipuerunt: at uos hæc interpre-
 tando iuxta sensum humilem, imbecillitatem Dei damnare uide-
 mini,

mini, ita simpliciter accipiendo quæ dicuntur, nec introspeciendo penitius, alioqui Moses quoque suam legem uiolasse iudicabitur, cum uetuerit ullum simulacrum fieri rerum cœlestium, terrestriũ, marinarumque & postea serpentem aheneum ipse fecerit, proposueritque in stipite, & morsos eum inspicere iusserit: quo facto euadebant salutis periculum. Ergo serpentem intelligemus tunc saluti fuisse populo illum ab initio maledictum diuinitus, & occisum magno gladio, ut Esaias clamat: ad eone stultè hæc accipiemus, ut uestri magistri, ac non figuratè potius? nonne præstat has imagines ad Iesum crucifixum referre: quãdo & Moses expansis manibus, rem gerente Iesu ut tunc uocari cœptus est, parauit populo uictoriam? sic enim de gestis legislatoris desinemus ambigere. non enim Deo serpentem prætulit, nec fuit autor populo sperandi in eum à quo inobedientia præuaricatioque habuit initium. atque hæc mysteria prudenter à beato propheta sunt tradita: nec est quod quisquam in ullo propheta ut male factum dictum ue queat reprehendere, si modo eos intelligatis. Quod si uestri magistri quæstiunculas moueant, cur illo uel illo scripturæ loco dicantur cameli foeminae, aut quæ nam sint illæ cameli foeminae: item cur tot mensuræ similes, tot olei offerantur non plures: atque hæc interpretentur iuxta sensum humillimum: maiora autem & scrutatu digniora ne auideant quidam unquam attingere: imò uel nobis ea interpretantibus uos audire uetent, & à colloquijs nostris arceant: nonne merito audient obiurgationem Domini nostri Iesu Christi dicentis: Sepulchra incrustata, foris apparetis decori, intus referti mortuorum ossibus: mentam decimantes, camelum autem deglutientes, ceci cæcorum duces. ergo nisi arrogantiam illam, qua Rabbi Rabbi salutari gaudetis, deposueritis, & sic ad prophetarũ scripta accesseritis, ut parati sitis eadem pati à uestris hominibus, quæ prophetæ ipsi passi sunt, nihil uobis prophetiæ prodesse poterunt. Verbi gratia. Socium illũ Chalebi Aufem, Chananeæ terræ exploratorẽ, Iesum (ut non semel dixi) Moses nominauit. id cur factum sit non hæsitas, non scrutaris ipse, non scitaris ex alijs. ideo Christum ignoras, & quæ legis non intelligis: ac ne nunc quidem cum audis Iesum esse Christum nostrum, ratiocinaris, hoc nomen non temerè illi esse impositum. sed cur primo Abrahamo ad pristinum nomen alterum a sit additum theologicè differis: cur item in nomine Sararæ alterum er sit adiunctum, mirificè disputas: cur autem nomen Aufæ à parentibus inditum Nauæ filio totum mutatum sit in Iesum, non perquiris. sicut nec illud, quod post mutatum nomen

successor Moſis factus, ſolus ex his qui adulti Ægypto demigrarunt, reliquias populi in terram ſanctam introduxit. Et quemadmodum ille potius quam Moſes introduxit in terram ſanctam populum, huiusque agros diuiſit ſuis ciuibus: ita etiam Ieſus Chriſtus conuertet diſperſionem populi, & ſingulis agros bonos diuidet, ſed non ſimiliter. nam ille non diuturnas ſortes diſtribuit, quod ipſe non eſſet Chriſtus deus, nec Dei filius: at hic noſter poſt ſanctam reſurrectionem æternas poſſeſſiones nobis dabit. iuſſit ille ſolem ſtare, ſed aſſumpto Ieſu nomine, cuius ſpiritu confortatus eſt, nam quod Ieſus cum Moſe, Abrahamo cæterisque patriarchis colloctus ſit ex patris ſui ſententia, iam ante docui. non dicam quomodo homo natus eſt uirgine Maria in ſempiternum maneat. hic eſt enim per quem cælum terramque pater condidit, per eundem inſtauraturus. hic Hieroſolymæ fulgebit lumen perpetuum. hic eſt ille ſecundum ordinem Melchizedech rex Salem, & ſacerdos æternus altiſſimi. priſcus ille Ieſus dicitur ſecunda circumciſione cultris lapideis circumciſiſſe populum: quod fuit præſagium huius circumciſionis qua nos Ieſus Chriſtus reſecuit à lapidibus ſimulacrisque cæteris, congeſtis aceruis præputiorum: hoc eſt, liberauit nos ab errore mundano: ubique gentium multis circumciſis cultro petri no, id eſt, uerbo Ieſu noſtri Domini. nam quod lapis & petra Chriſtus prædicetur in prophetiſis ſimilitudinibus, ſuperius docuimus. ergo per cultros lapideos debemus ſermones eius intelligere, per quos tot errabundis præputia cordis reſecta ſunt: ad quod circumciſionis genus etiam Abrahami poſteritas, poſt illam diuinitus imperatam, per Ieſum iam tunc inuitabatur. Dico poſt occupatam terram ſanctam iterum circumciſum iubente Ieſu populum cultris lapideis: quia ſpiritus ſanctus interdum factis claras figuras edebat futurorum euentuum: interdum uerbis enunciabat res futuras, quaſi iam tum gererentur aut geſteſſent. id artiſiciū niſi ſciant lectores, nequaquam poterunt ſe accommodare prophetiſis ſermonibus. proferam aliquid ex eis exempli gratia, quo melius percipiatis quid uelim dicere. Vbi per Eſaiam loquitur: Ipſe ſicut ouis manducanda ductus eſt, & ſicut agnus ſtat coram tondente ſe: quaſi de iam paſſo loquitur. Rurſus cum dicit: Ego expādi manus meas ad populum incredulum & reſponſatorem: item, Domine quis credit auditis ex nobis: quaſi de rebus iam tranſactis narrat. ſic per ſimilitudinē lapidem ſæpe uocari Chriſtum oſtendimus, & tropologicè Iacob ac Iſrael. Rurſum ubi legitur: Videbo cælos opera digitorum tuorum, niſi dictū hoc de uerbi operibus accipiā, parū ſapienter

pienter intelligam, sicut uestri magistri censent intelligendum, qui
 putant manus, pedes, digitos, animamq̄ habere, nō secus quā a
 nimal deum illum rerum parentem ingenitum: & ideo patrem ip
 sum Abrahamo Iacoboq̄ uisum asseuerant. proinde beati nos cir
 cumcisi cultris lapideis circūcisione secundaria. nam prima illa ue
 stra quia ferro facta est & fit hodieq̄, permanet in uobis eadē cor
 dis duricia. at nostra que secūda post uestram circūcisionem nu
 meratur, fit per acutos lapides, hoc est, per uerbum Apostolorum
 illius angularis lapidis excisi sine manibus, ut resecetur à nobis ido
 lolatria & in uniuersum uiciorum genera omnia: qui cor habemus
 sic circumcisum à uicijs, ut mortem quoq̄ libenter subeamus pro
 pter nomen illius boni lapidis, ex quo promanans aqua rigat cor
 da summum patrem propter eum diligentium, & potum præbet
 omnibus quotquot uolunt de hoc uiuo latice bibere. uerūm hæc
 mea uerba uos non intelligitis, quippe qui ne prophetias quidem
 de Christo percipitis, ac proinde ducentibus uos ad eas non obse
 quimini neq̄ creditis. sic enim clamat Ieremias: Væ uobis quia de
 reliquistis fontem uiuum, & fodistis uobisipsis cisternas cōtritas,
 quæ continere aquam non poterunt. nunquid desertum est mons
 Sion, quia dedi Hierusalem libellum repudiij in cōspectu uestro?
 saltem Zachariæ in parabola narranti Christi mysterium, & rectè
 prædicanti, debueratis credere, eius uerba sunt hæc: Gaude & læ
 tare filia Siō, quia ecce ego uenio, & habitabo in medio tui, ait Do
 minus: & applicabuntur gentes multæ ad dominum in die illa, &
 erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & scient quia do
 minus exercituum misit me ad te, & possidebit dominus Iudā par
 tem suam in terra sanctificata, & eliget adhuc Hierusalē. Reuereas
 tur omnis caro à facie Domini, quia surrexit è nubibus sanctis suis.
 Et ostendit mihi Iesum sacerdotem illum magnum stantē ante fa
 ciem angeli, & diabolus stabat à dextris eius ut aduersaretur ei. &
 dixit Dominus ad diabolū: Inrepet in te dominus, qui elegit Hie
 rusalem. nunquid non iste torris, erutus de igne? Cumq̄ Triphon
 pararet se ad respondendum & contradicendum: expecta, inquā,
 & audi quæ dico. non enim sic interpretabor, ut tu putas, quasi nō
 fuerit sacerdos quidam nomine Iesus in terra Babylonia, ubi capti
 uus degebat uester populus: quod si facerem, appareret Iesum fuis
 se sacerdotem uestri generis. uerūm hic nō est is qui in uisione pro
 phetæ obuersatus est, sicut nec diabolus, nec Domini angelū, sui
 compos uidit oculis, sed extra se raptus per reuelationem. hoc au
 tem nunc asseuero, quemadmodum per Iesu nomen filio Nauæ a

ctiones quædam & uirtutes accefferunt prænūciantes olim geren-
 da per nostrum dominum: ita reuelationem in Babylonia factam
 sub Iesu sacerdote uestri populi, me posse referre ad nostrum sacer-
 dotem & deum & Christum, patris uniuersalis filium. mirabar sa-
 nè cur paulò antè sileretis, nec reprehenderetis cùm dicerē solum
 Nauæ filium ex omnibus æqualibus Ægyptum egressis in terrā
 sanctam peruenisse, cæteris ad aliam ætatem pertinentibus. soletis
 enim ceu muscæ aduolare ad exulcerata, siqua inter plurima recte
 dicta exciderint: & uel unum quippiam, quod aut uobis displicet,
 aut non satis intelligitis, omisis cæteris egregiè dictis, reprehende-
 re quantumuis pusillū sit, tanquam impietatem insectari: ut simili
 iudicio iudicati à deo, multo difficiliorem rationem expostulemi-
 ni pro immani tum actionū tum interpretationū audacia. quo enim
 iudicio iudicatis, eodem uos iudicari æquum est. cæterum ut reue-
 lationem de Iesu Christo illo sanctissimo edisseram, ad institutum
 sermonem reuertor, & aio ipsam reuelationem factam propter
 nos qui in hunc Christum pontificem crucifixum credimus: qui
 cùm hactenus fuerimus in fornicationibus cæterisque sordibus om-
 nibus, per gratiam nostri Iesu iuxta patris uoluntatem, cunctas sor-
 des quibus obuoluti eramus exuimus, diabolo semper imminens
 te ut aduersetur, & cupiente ad se omnes attrahere. at angelus Dei,
 hoc est, potentia dei missa nobis per Iesum Christum, increpat
 eum, & à nobis abigit: sumusque uelut eruti de igne, tum de peccatis
 pristinis à quibus repurgati sumus, tum de ignitis exagitatio-
 nibus quibus nos molestabat diabolus & eius ministri: ex quibus
 nos rursus eruit Iesus dei filius, induendos paratis indumentis si
 mandata eius fecerimus, sicut pollicitus est spe sempiterni regni
 proposita. quemadmodū enim Iesus ille qui à propheta sacerdos
 dicitur, sordidatus conspectus est eo quod uxorem meretricem duxisset
 se narratur, simulque torris erutus ex igne uocatus est, quia remissio-
 nem peccatorum impetrauerit, increpato etiam ipsius aduersario
 diabolo: ad eundem modum nos quoque omnes quotquot cense-
 mur Iesu Christi nomine, quasi unus homo in Deo conditore huius
 uniuersitatis, per nomen illius primogeniti filij, sordidis uesti-
 bus, hoc est, peccatis exuti, ignitique per uerbum uocationis eius, ue-
 re pontifices Dei reddimur: sicut ipse Deus testatur, dicens: quod
 ubique gentium offerentur ei puræ gratæ que uictimæ. à nemi-
 ne autem Deus uictimas, nisi per sacerdotes suos, accipit. unde
 certò constat, quod huius nominis sacrificia quæ Iesus Christus
 tradidit, hoc est Eucharistiam panis & poculi, ubicunque terrarum

rum apud Christianos fiant, Deus accipiat, & grata sibi esse testetur. uestra uero & à uestris istis sacerdotibus oblata recusat dicēs: Victimās uestras nō accipiam de manibus uestris: quoniam ab ortu solis usq; occasum nomen meum inclaruit in gentibus: uos autē profanastis illud. Nunc etiam contendere pergitis, dicentes cessāre quidem Hierosolymis uictimas Israelitarum, & fastidiri à Deo: sed disperforum passim eius gentis hominum preces illum gratas sibi fateri, & has uocari sacrificia. equidem & preces & gratiarum actiones, si per homines dignos fiāt, solas pro perfectis & deo gratas habeo. hæc enim sola sacra Christiani facienda acceperunt, ut alio modo sicco atq; humido admonerentur eorum quæ propter ipsos Deus Dei filius perpeffus esse narratur: cuius nomen pontifices uestri & doctores per omnes terras profanarunt & infame fecerunt suis conuicijs: quæ quidem indumenta sordidata per uos quantum potuistis, & induta nobis qui à Christi Iesu nomine Christiani denominamur, Deus propalam nobis auferet, quando resuscitabit omnes à morte, partim ad æternum regnum incorruptibiles, nec morti nec dolori obnoxios, partim mittendos in æternum incendium. porro quod uosmet decipiatis & ipsi & magistri uestri interpretando has scripturas de uestris hominibus in dispersione degentibus, quasi preces eorum & pura sacra in omni loco sibi placitura Deus polliceatur, hunc errorē agnoscite, & desinite uobis ipsis ultro fucum facere. Primum, quia nondum uestra natio pertinet ab oriente sole occidentem usq;, sed multę gentes nullos inquilinos habent uestri generis. at ne una quidem natio uel Græca uel barbarā, uel quocuncq; tandem censenda uocabulo, ne ex his quidē quæ pro domibus plaustris utuntur ac tentorijs agentes uitā pastoriciam, tam aliena est à Iesu crucifixi nomine, ut nec preces nec gratiarum actiones in ea dirigantur ad omnium patrem conditorēq;. & scitis quia tempore illo quo Malachias hæc prædicebat, nondum per omnes terras dispersi fuistis, sicut nunc: quod ex ipsis apparet sacris literis. proinde præstat ut desistentes à contentione respiscatis, priusquā ueniat illa magna dies iudicij, quando se plangent omnes mali qui hunc Christum compunxerunt, sicut è scripturis iam docui, cum interpretarer illa uerba: Iurauit Dominus fore sacerdotem secundum ordinē Melchisedech, declarans quid eis prædictū sit: simulq; prophetiam Esaie de sepultura Christi resurrectioneq; canentis, quod sepulchrum illius sublatum sit è medio. eum Christum fore iudicem uiuorum mortuorumq;, dixi non semel, de quo & Nathan uerbis dei pollicetur Dauidi: Ego ero ei

in patrem & ipse erit mihi in filium: & misericordiam meam non auferam ab eo, sicut ab his qui præcesserunt eum: & statuam eum in domo mea, & in regno eius in secula. nec Ezechiel aliū quam hūc ipsum annunciat eius domus præsidem, hic enim est eximius sacerdos & rex æternus Christus ille Dei filius in cuius secundo aduentu non est quod putetis Esaiam cæterosque prophetas polliceri cruentarum uictimarum aut libationum instaurationem in altari pristino, sed ueras ac spirituales oblationes laudis atque gratiarum actionis, in eum nos non temerè nec à magistris decepti credidimus, sed mirifica Dei prouidentia: ut uobis non tam re quam existimatione religiosis & prudētibus, prudētiores atque religiosiores comperiamur, propter uocationem nouam æterni fœderis, Christi uide licet. id miratus Esaias canit: Et continebunt reges os suum, quoniam quibus non fuerat annunciatum, uidebunt: & qui non audierant, intelligent, Domine quis credidit auditui nostro & brachium domini cui reuelatum est: Tum uersus ad Tryphonē: hæc sunt, inquam, quæ hodie quantum possum persuadere conor propter tuos comites, paucis tamen uerbis & cōpendio. Recte facis, inquit, atque etiam si prolixius tractes hæc eadē, senties nos delectari tuis sermonibus. Tum ego, Putatis ne amici, nos posse scripturas intelligere, nisi uolente illo qui dat intelligendi gratiam: iuxta Mosaicum illud oraculum: Prouocarunt me in dijs alienis, & ad iram concitarunt in abominationibus, immolarunt ignotis dæmonijs, nouis recentibusque dijs quos non coluerunt patres eorum. Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Dei altoris tui. Vidit Dominus & excanduit, irritatus à filijs suis filiabusque. Et ait: Auertam faciem meam ab eis, & ostendam nouissima eorum: quoniam generatio peruersa sunt, & infideles filij. Ipsi me exasperauerunt in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in simulacris suis: & ego prouocabo eos ad æmulationem in eo qui non est populus, & in gente stulta iritabo eos. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit infernum usque: deuorabit terram cum eius germinibus, & comburet fundamenta montium: & congeram mala super eos. Ita que post interemptum à uobis iustum illum, nos populus alter ex orti sumus, ceu maturæ segetes, iuxta prædictionem illam prophetarum: Et confugient gentes multæ ad Dominum in die illa ut fiant eius populus, & habitabunt in terræ totius medio. Nos uero non solum populus, sed & sanctus populus sumus, ut iam demonstratum est. Et uocabunt eum populum sanctum, redemptum à Domino. proinde non sumus continenda plebs, nec tribus barbara

bara, nec qualis Carum aut Phrygum natio: sed nos quoque Deus
 elegit, & quærentibus uidentem se præbuit. Ecce, inquit, Deus
 sum genti quæ non inuocauit nomen meum. hæc est enim illa gens
 quam olim deus promisit Abrahamo, fore illum patrem multarum
 gentium, non Arabum nec Ægyptiorum nec Idumæorum: quando
 quidem & Ismael magnæ gentis parens factus est, & Esau: Amani
 tarum etiam ingens multitudo est nunc quoque. Noe uero & ipsius
 Abrahami pater fuit, & uniuersi humani generis, alijs ab alijs de-
 scendentibus. quid igitur eximium Christus Abrahamo largitus est,
 quod nominatim eum euocauit dicens: Egredere de terra quæ hæ-
 bitas: nos quoque uniuersos uocauit uerbis totidem, & incunctatè e-
 gressi sumus de institutis in quibus degebamus more cæterorum
 male uiuentium, ut unà cum Abrahamo terræ sanctæ possessionem acci-
 peremus in perpetuum, filij eius hæredesque facti propter fidem simi-
 lem. quemadmodum enim ille uocanti Deo credidit, & imputata est
 ei sua fides pro iusticia: ita etiam nos credentes sermoni Dei locuti
 per Christum ac Apostolos, omnia mundana usque ad mortem abdica-
 uimus. proinde gentem fide pietateque parenti suo similem ideoque
 gratam pollicetur ei, non uos in quibus nihil est fidei. uidetis certe
 quomodo & Isaac & Iacobo promittat eadem. sic enim Isaacum
 alloquitur: Et benedicentur in semine tuo gentes uniuersæ terræ.
 Iacobum uero sic: Et benedicentur in te omnes tribus terræ, & in
 semine tuo. Quod non de Esau nec de Ruben aut alio quouis di-
 citur, sed de ipsa stirpe ex qua oriturus erat Christus per Mariam
 uirginem. certe si benedictionem Iudæ audias, rem intelliges. di-
 uiditur enim semine Iacobi, & per Iudam, Phares, Iesse, Dauidemque
 descendit. id autem significabat quod quidam uestri generis ho-
 mines erunt Abrahami filij, simul que ad Christi portionem per-
 tinebunt: cæteri uero tanquam arena in maris littore sterilis, nu-
 merosi quidem sed infrugiferi, marinas tantum undas combibent
 tes: quod quidem in uulgus uestratium belle competit, impietatis
 amaram doctrinam bibentium, Dei uero uerbum respicientium.
 Dicitur autem in benedictione Iudæ: Non deficiet princeps ex Iu-
 da, neque dux è femoribus eius, Donec ueniant quæ reposita sunt
 ei & ipse erit expectatio gentium. id non de Iuda dictum, sed de
 Christo, apparet. nec enim Iudam expectamus omnes omnium
 gentium homines, sed Iesum illum qui & patres uestros ex Ægy-
 pto eduxit. nam hæc prophetia Christi aduentum prædicat, dum
 dicit: Donec ueniat cui est repositum, & ipse erit expectatio gen-
 tium. Venit igitur, ut abunde docuimus, ac rursus expectatur

uenturus super nubibus Iesus, cuius nomen uos infamatis & per omnes terras ignominiosum reddere conamini. possum enim uobiscum contendere de huius loci lectione, cum uos legatis, Donec ueniant quæ reposita sunt ei: quod aliter LXX. reddiderunt, nempe sic, Donec ueniat cui est repositum. quoniam autem quæ sequuntur indicant de Christo hæc dici, uidelicet uerba hæc, Et ipse erit expectatio gentium, non est cur disceptemus de una uocula: sicut nec scripturis apud uos non receptis urgebo, quas in Ieremia, Esdra, Dauidicis ad Christum pertinere docui: sed his duntaxat quas hodieque ut propheticas citra omnem controuersiam complectimini. ea si uestri doctores intellexissent, deleuissent proculdubio, sicut & illa quæ de supplicio Esaiæ scripta fuerunt, quæ serua lignea secuistis. id facinus fuit figura Christi gentem uestram in partes duas dissecturi, & alteros cum sanctis patriarchis prophetisque dignaturi sempiterno regno futuro, alteros uero damnaturi ad ignem inextinguibilem. unà cum cæteris similibus incredulis & incorrigibilibus nationis cuiuslibet. Venient, inquit, ab oriente occidentemque, & discumbent cum Abrahamo, Isaaco, Iacobo, in regno coelorum: filij autem regni eicientur in tenebras extimas. Et hæc loquor nihil nisi de ueritate dicenda sollicitus, metuens neminem, etiam si in uestigio discerpendus à uobis essem. nam necque gentem meam, hoc est Samaritas, offendere sum ueritus, quando Cæsari libellum obtuli, errorem coarguens quo à Simone mago decepti sunt, asserentes eum Deum superiorem cunctis uirtutibus ac potestatibus. cumque nemo eorum contradiceret, proferebam Dauidis testimonium de Christo, non in eius semine, sed in ipso benedictionem pollicentis gentibus omnibus. sic enim ille canit: Nomen eius in seculum exorietur sole clarius, & in eo gentes omnes benedicentur. quod si in Christo benedicuntur omnes gentes, ex omnibusque gentibus in eum credimus, & ipse est ille Christus, & nos per eum benedicimur. olim quidem solem deus adorandum proposuerat, sicut scriptum est: nemo tamen unquam uisus est solem tam religiose colere, ut moreretur propterea. at propter nomen Iesu uidemus ex quouis hominum genere multos sustinere omnia, potius quam id abnegent. Feruidior enim est sermo ueritatis ac sapientiae, & illustrat efficacius quam solaris uis, intimos mentis cordisque sinus penetans, & hoc est quod sacrum carmen dicit: Exorietur sole clarius nomen eius. Rursum Zacharias, Oriens nomen eius, inquit: & de eodem loquens ait, uisuras eum tribus aliam post aliam. qui si in primo contempto indecoro ignominioso que aduento tantopere claruit

claruit atq; polluit, ut à nulla gente ignoretur reuocatis multis ad
 pœnitentiam, utq; omnes dæmonas eorum que principes cogat
 imperata facere, nomen eius formidantes præ cunctis mortuis:
 nōne modis omnibus in illo glorioso aduentu destruet omnes
 inimicos suos, & qui ab eo defecerunt nulla læsi iniuria: suos item
 perducet in requiem persoluendo cuncta quæ expectauerant: no-
 bis igitur datum est ut audiremus intelligeremus que, & per hunc
 Christum seruemur, uoluntate patris cognita. quapropter sic eū
 alloquitur: Magnum tibi est uocari puerum meum, ut restituas
 tribus Iacob, & conuertas dispersiones Israel: posui te in lucem
 gentium, ut sis salus earum, usque ad extrema terræ. Hæc uos de
 Geora & profelytis dicta putatis, cū reuera de nobis dicantur
 per Iesum illustratis. alioquin & illis Christus præbisset testi-
 monium: nunc autem duplo magis filios gehennæ ait eos factos.
 ergo ad nos, non ad illos uoces prophetarum referendæ sunt,
 de nobis canentium in hunc modum: Ducam cæcos in uia quam
 non norant, & calcabunt semitas quas ignorauerant, & ego testis
 sum, dicit Dominus Deus, & puer meus quem elegi. de quibus
 igitur testatur Christus: nimirum de fidelibus. at profelyti, tan-
 tum abest ut credant, ut duplo magis quàm uos blasphemi sint
 in eius nomen, nobis in eum credentibus necem tormenta que
 intentantes, denique uestri simillimi. Rursum alibi clamat: E-
 go Dominus uocaui te iustè, apprehendam manum tuam & con-
 tortabo te: faciam que te scædus populi & lumen gentium, ut as-
 perias oculos cæcorum, & educas uinctos è carcere. nam & hæc
 amici ad Christum de gentibus illuminatis dicta sunt, nisi rursus
 contendetis ea pertrahere ad legem & profelytos. Hoc audite tan-
 quam in theatro conclamarunt aliquot ex his qui postridie uer-
 nerant: Quid? nōne de lege loquitur & illustratis ab ea? hi au-
 tem sunt profelyti. Non, inquam, uersus ad Thryphonem. nam si
 lex potuisset lumen præbere gentibus ipsam recipientibus, quid
 opus fuisset Nouo testamento, quod deus se missurum promi-
 sit ut sit pro lege mandato que in sempiternum: ne hanc promi-
 sionem intelligeremus de profelytis & lege uetere: sed de Christo
 & illi adhærentibus nobis gentilibus, quos illuminauit sicut a-
 licubi loquitur, Hæc dicit Dominus: Tempore acceptabili ex-
 audiui te, & in die salutis adiuui te, & dedi te in testamentum gen-
 tium ut constituas terram: & ut hæreditate possideas de ferta. quæ
 igitur est hæreditas Christi nisi gentes? quod testamentum Dei?
 nōne

nōne Christus: sicut & alibi dicit: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Quemadmodum igitur hæc omnia dicta sunt ad Christum & de gentibus, sic & illa dicta existimate. nihil enim opus habent profelyti testamēto alio quàm lege communi circumcisis omnibus, de quibus scriptura dicit: Et addetur etiam Georas ad eos, & adiungetur ad domum Iacob. Et profelytus quidem post circumcisionem censetur in populo tanquam indigena: nos autem quamuis dignati nomine populi, nihilominus sumus gentes cum simus incircumcisi. præterea ridiculū est quod putatis, profelytorum quidem apertos oculos, nostros uerò non: & nos appellari cæcos surdosq̃, illos uerò illuminatos. tum illud magis etiam risum meretur, quòd legem datam gentibus dicitis, quàm ipsi uos ignoratis, alioquin iram Dei timuissetis, appellati deprauatores & iniqui filij: puderetq̃ uos audire illa uerba: Filij quibus non inest fides, &: Quis cæcus nisi pueri mei: quis surdus nisi qui dominantur eis: & excæcati sunt serui Dei. at quia non præbetis aures apertas, nec auditis qualibus uos deus ornet laudibus: ideo non pudet eadem audire sapius, nec minis dei terremini, quippe populus duri cordis & fatuus. Quapropter ecce adijciā ut transferam populum hunc, dicit Dominus, & transferam eos: & perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudētum celabo. Meritò non estis enim sapientes nec prudentes, sed acres & callidi, sapientes tantum ad male faciendum. cognoscere autem occultam dei uoluntatem testamentum fidele domini, aut semitas eius inuenire, non ualeatis. Quamobrem ait: Suscitabo Israeli & Iudæ semen hominum & semen pecudum. & per Esaiam de alio Israele sic loquitur. In die illa erit tertius Israel inter Assyrios Ægyptiosq̃, benedictus in terra quam benedixit dominus exercituum dicēs: Benedictus erit populus meus qui est in Ægypto, & qui est in Assyrijs, & hæreditas mea Israel. Ergo cum Deus benedicat hunc populum, Israel eum uocans, & hæreditatem suam esse prædicans: quin resipiscitis & desinitis uosipsi decipere quasi soli sitis Israelitæ, male dicereq̃ benedictum à Deo populum: nam ad Hierusalem & eius finitima inter cætera sic loquitur: Et producā uobis homines populum meum Israel, & hæreditate possidebunt uos, & eritis eis in possessionem, nec unquam posthac his filijs destituemini. Ergo, inquit Tryphon, uos estis Israel, & de uobis hæc dicuntur: Nisi, inquam, iam dudum super his rebus colloqueremur, poteram dubitare ne forte non intelligens hæc perconteris, quoniam autē hæc
ctenus

etenus assensistis meis demonstrationibus, opinor te nec ignorare quæ dicta sunt, nec contentiones quærere, sed inuitari potius ut pergam ulterius. cumq; is annuisset: Rursus, inquam, auditis in Efaia, si tamen auribus percipitis, Deū figuratè appellantē Christū Iacob & Israel uocabulo. uerba eius sunt hæc: Iacob puer meus, & scipiam eum, Israel electus meus, ponā spiritum meū super eum, & efferet iudiciū gentibus, nō cōtendet nec clamabit, nec audiet quifquam in plateis uocē eius. arundinē quassatam non cōfringet, & lignum fumans non extinguet, sed in ueritatē proferet: iudicium assuet, nec conteretur priusquā in terra ponat iudicium: & in nomine ipsius gentes sperabunt. Quemadmodum igitur ab uno Iacob, qui etiam Israel cognominatur, omne genus uestrum appellatum est Iacob & Israel: ita & nos ab eo qui nos Deo genuit Christo, qui Iacob, Israel, Iuda, Ioseph, Dauidq; nominat, germani filij Dei appellamur sumusq;, quotquot mandata Christi obseruamus. Cūq; animaduertissem eos turbatos, quia dixissem esse nos Dei filios etiam, preueni eorum interrogatiōnē dicens: audite uiri amici quid spiritus sanctus dicat de hoc populo, quod omnes filij sint illius altissimi, & ipse Christus in cœtu eorum intererit, iudicaturus uniuersum genus humanum. ea uerba sunt apud Dauidem, & iuxta uestram interpretatiōnē sic se habent. Deus stetit in synagoga deorum, in mediō autē deos diiudicat. Usq; quo iudicatis iniquitatē, & personas peccatorum accipitis? Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iustificare. Eripite pauperem, & egenū de manu peccatoris liberate. Nescierunt neq; intellexerunt, in tenebris ambulantes: mouebuntur omnia fundamenta terræ. Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, & sicut unus de principibus cadetis. Surge deus iudica terram: quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. LXX. uerò interpretatur, Ecce ut homines moriemini, & unus de principibus cadetis: indicando inobedientiam hominum, uidelicet Adami Euaq;: & casum unius principum, hoc est eius qui serpens uocatur, collapsi ruina magna, eo quod Eua deceptisset. Verū quoniam nunc non eō tendit oratio, sed ut discatis quid spiritus sanctus exprobet hominibus, qui Deo similes impassibiles immortalis que futuri si eius mandata obseruassent, & appellatione filiorum ab eo dignati, ipsi quoque similiter ut Adam & Eua mortem suapte culpa sibi acciuerunt: habeat se interpretatio Psalmi utcumque uultis: nihilo secius hinc apparet quod pro dijs haberi possitis omnes & pro filijs altissimi: & quod sicut Adam & Eua

& Eua damnandi sitis uestropte iudicio. quod autē Christus deus quoque uocetur, satis demonstratum est. Equidem ex uobis discere cupio, quid nomen hoc Israel ualeat. Silentibus illis, Ego, inquam, dicam quod scio. Iniquum enim duco celare quæ scias: nec libet suspicari de uobis inuidiam aut imperitiam: proinde citra fucum loquar simpliciter, memor dominicæ illius parabolæ, Exiit seminator ut sementem faceret: tum aliud semen secus uiam, aliud in spicinas, aliud in saxosa cecidit, aliud uero in terram bonam. Sperando igitur bonam fore terram oportet differere, quandoquidē ille meus dominus ut fortis & potens res suas ab omnibus repetet ubi uenerit: & dispensatorem suum non damnabit, si compererit ei curæ fuisse ut dominus reuersus facultates suas inueniret integras, non defossas quacumque de causa, sed commissas mensarijs. uox hæc Israel interpretatur homo uincens potentiam. nam Isra homo est, Et potentia. id præsignatum fuerat per luctam Iacob mysticam, certantis cum eo qui uoluntati patris obsequens uidentum se obtulit, cum esset deus quippe filius primogenitus creaturis omnibus antiquior: quod & Christus assumpta carne facturus erat. quando enim homo factus est, ut antea dixi, accessit eum diabolus, hoc est, potentia illa quæ & serpens uocatur & satanas, tentans eum & contendens prosternere, dum adorari ab eo postulat. at ille uicit & prostrauit aduersarium, arguens eius maliciam qui contra præcepta scripturæ pro deo adorari postulet, cum ab obsequio dei defecerit. respondet enim ei: Scriptum est, Dominum deum tuum adorabis, & ei soli seruias. ita uictus coargutusque discessit diabolus. Et quoniam torpor quoque Christo nostro ferendus erat, uidelicet lapsitudo metusque sub instantē crucis passionē, etiam hoc præsignificatum fuit per contactum femur Iacob, ita ut torpesceret. cæterum id nomen Israel, supernè inditum ei fuit, ut sic cognominatus beatus Iacob benediceretur hoc nomine, sic quoque præsignans quod omnes quotquot per filium ad patrem confugiunt, sunt benedictus Israel. uos autem nihil horum intelligentes nec curantes intelligere, tamen salutem expectatis, cum sitis filij Iacob carnali semine. sed quod hæc in re uos ipsi decipiatis, satis iam demonstratum est. at si sciretis quisnam sit ille consilij magni angelus & uir apud Ezechielem, tanquam filius hominis apud Danielelem, puer apud Esaiam, Christus & deus adorandus & Dauid & lapis apud multos, apud Solomonem sapientia, Ioseph & Iudas, & stella apud Mosem, oriens apud Zachariam, passibilis & Iacob & Israel, rursus apud Esaiam, qui & uirga, flos, lapis angularis uocatur & dei filius, non blasphemaretis
 ô Tryphon.

6 Tryphon eum qui iam aduenit, & natus passusq; in coelū ascen-
 dit, unde iterum aduenturus est, ac tunc plangent se uestrae illae tri-
 bus duodecim. alioquin si oracula prophetarum intelligeretis, nō
 negaretis esse deum illius solius, ingēniti & ineffabilis dei filium.
 nam & apud Mosē in Exodo sic legitur: Locutus est autem Do-
 minus ad Mosē, & dixit ad eum: Ego sum Dominus qui appa-
 rui Abrahamo, Isaacō, Iacoboq; deus eorum nec indicaui eis no-
 men meum: pepigiq; foedus cum eis. Rursum alibi ait luctatum Ia-
 cob cum homine, quem tamen deum esse dixit. Vidi, inquit Ia-
 cob, deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. quin & lo-
 cum in quo à spectro benedictionem extorsit, dei uisionem appel-
 lasse in sacris literis proditur. Abrahamo quoque similiter uisum
 deum narrat Mosēs, sedenti ad quercum Mambræ in foribus ta-
 bernaculi sui meridie. ac mox subinfert: Cumq; eleuasset oculos,
 apparuerunt ei tres uiri stantes prope eum: quos cum uidisset, pro-
 perauit in occursum eorum. paulō post unus eorum pollicetur A-
 brahamo filium, dicens: Quare risit Sarra cogitans, potest ne fie-
 ri ut anus pariam? Nunquid deo quicquam est impossibile? Re-
 uertar ad te hoc eodem anni tempore, & habebit Sarra filium. at-
 que ita discesserunt ab hospite suo: moxq; pergit de eis uates narra-
 re: Cum autem surrexissent inde uiri, direxerunt oculos cōtra So-
 doma. Deinde rursum ad Abrahamum is qui erat & est loquitur
 sic: Num cælabo seruum meum Abrahamum quæ gesturus sum?
 & quæ deinceps à Mose narrantur iam antè mihi explicata: unde
 liquet eum patri dominoq; subditum uoluntatem ipsius exsequi.
 hic est ille qui Abrahamo, Isaacō, Iacobo, cæterisq; patriarchis cō-
 spectus scribitur, & nisi iam antè audissetis, adderem hunc ipsum
 fuisse, qui, quando populus carnes requirebat, & Mosēs parum
 credebat angelo saturitatem pollicenti à Deo, ipse & deus & an-
 gelus à patre missus dixisse illa fecisseq; narratur. sic enim in sacris
 literis legitur: Et dixit Dominus ad Mosē: Num manus Domi-
 ni non sufficiet: iam scies num cælabo te consilium meum, an non.
 rursum aliubi sic loquitur: Dominus autem dixit ad me: Non tra-
 nscies Iordanem hunc. dominus deus tuus, qui præcedit ante faciē
 tuam, ipse delebit gentes has. Alia quoq; ad eundem modum le-
 gislatori prophetisq; dicta sunt, ut satis me indicasse puto: quoties
 Mosēs dicit, Ascendit deus ab Abrahamo, aut, Locutus est Domi-
 nus ad Mosē, &, Descēdit Dominus ut uideret turrim quā ædi-
 ficarunt filij hominū, aut, Clausit deus arcam Noe deforis, ne existi-
 metis ipsum ingēnitum Deū descendisse, ascendisse ue. ineffabilis
 m enim

enim ille pater ac Dominus omnium, nec uenit, nec ambulat, nec dormit, nec surgit, sed in loco suo quicumque is tandem est manet, acutum cernens atque audiens, non oculis nec auribus, sed indicibili potentia cuncta inspectas cognoscensque: nec est quisquam nostrum qui illum lateat: at ille non mouetur, qui loco nullo, ne mundo quidem uniuerso capitur, utpote mundo ipso antiquior. qui potest igitur fieri ut hic aut alloquatur quenquam, aut uisendum ei se prebeat, aut appareat in paruo terrae spatio: quando quidem ne missi quidem ab eo gloriam populus ualuit in Sina inspicere, imò ne ipse quidem Moses potuisset ingredi à se factum tabernaculum, ni repletus fuisset diuina gloria: ac ne pontifex quidem in adyto posituit subsistere, quando in recens à se conditum templum Hierosolymitanum Solomon arcam intulit. Ergo nec Abraham, nec Isaac, nec Iacob, nec ullus alius homo uidit patrem illum & ineffabilem uniuersorum atque etiam ipsius Christi dominum: sed eum qui iuxta illius uoluntatem deus est, quippe filius, idem & minister & nuncius, qui paterno consilio homo natus est ex Virgine, qui & ignis aliquando fuit cum Moysen è rubo alloqueretur. nam nisi scripturas sic intelligamus, consequens erit ut pater ac dominus rerum non fuerit in caelo tantisper dum dominus pluit de caelo ignem & sulfur super Sodomam à domino, sicut Moyses prodidit. Huc facit & illud quod Dauid sic canit: Tollite portas principes uestras, & eleuamini portae sempiternae, & introibit rex gloriae, ac rursus: Dixit dominus domo meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Preterea quod Christus, cum sit Dominus, deus deique filius specie uiri & angeli & igneo splendore apparuerit, ut in rubo, & in condensatione Sodomae prolixè demonstratum est. Post hæc cum repetissem quæ antè memorauim è scriptura Exodi, de uisione in rubo & de Iesu cognomine, subiici hæc uerba: Cauete putetis o uos, superflue me sæpius eadem iterare: sed quoniam aliquot ex uobis dictum spectum Moysi, aut Abrahami, aut Iacobi, uocari angelum quoties se offert hominibus, quoniam uoluntas patris per eam renunciat hominibus: item aliquando gloriam, dum uisio non satis percipitur: item uirum & hominem, quando formas tales ex uoluntate patris assumit: sermone quoque uocari, quando uerba patris profert alloquens homines. eam autem potentiam esse inseparabilem à patre, quemadmodum à sole qui est in caelo hanc lucem quæ in terris diffunditur, quo occidente lucem quoque decedere: Ita & pater (aiunt) promicare iubet suam potentiam, eandemque quando uult ad seipsum retrahit. parimodo

modo & angelos eum facere dixerūt. Verūm angelos esse manes
 recp̄ semper eosdē, nec dissolui in id unde facti sunt, iam uos docui.
 tum quod potentia hæc, quā & deū prophetæ nomināt (ut copio-
 se declaratū est) & angelū, non ut solis lumen solo communi cense-
 tur nomine, uerūm etiā numero diuersum quiddā est, superius cō-
 pendio differui, dicens potentiam hanc natam ex patre, uolunta-
 teq̄ illius: at non ut portionem decisam de patris essentia, quales
 sunt cæteræ omnes portiones rerum diuisarum, aliæ iam quam an-
 te sectionem fuerant. exempli gratia, ignes de igne accensos diuer-
 sos uidemus, nihil diminuto illo unde multi accendi possunt: sed
 eodem manente, id ut clarius percipiatis, denuo scripturas antea ci-
 tatas repetam: ut cum propheta dicit: Pluit Dominus ignem à Do-
 mino de coelo: duos numero diuersos uerba prophetica indicant:
 alterum in terra uersantem, quem ait descendisse ut uideret clamo-
 rem Sodomorum: alterum uerò in coelo degentem, qui & huius
 terrarum domini dominus est, quippe pater & Deus, autorq̄ ei
 potestatis dominationis atq̄ deitatis. Rursus cum legimus dixisse
 deum in mundi exordio, Ecce Adam factus est tanquam unus ex
 nobis: illa uerba Tanquā unus ex nobis, numerū significāt, nec ad-
 mittūt tropologiā, sicut uestri sophistæ interpretari conantur, qui
 ueritatē ne intelligunt quidē, tantū abest ut doceāt. Et sapientia sic
 loquit: Si annūciauero uobis quæ quotidie, fiūt, enumerabo quæ
 sunt à seculo. Dominus creauit me initiū uiarū suarū in opera sua.
 ante secula fundauit me in principio priusquam terrā faceret. non-
 dum erant abyssi, nec fontes aquarum eruperant: priusquam mon-
 tes collesq̄ stabiliret, genuit me. His dictis addidi, Intelligitis audi-
 tores, si modò aduertitis, quod scriptura natā esse ex patre ante uni-
 uersorū creationē hanc progeniē: & in confesso est, genitorē geni-
 tumq̄ differre numeros, cumq̄ assensissent omnes, reuocaui eis in
 memoriā certas scripturas nondū per me citatas, uidelicet ex Mo-
 se fideli famulo. Sunt autem hæc: Lætamini coeli cum eo, & adorent
 eum omnes angeli Dei, & quæ deinceps sequuntur: & subieci hec:
 Lætamini gentes cum populo eius, & confortentur per eum om-
 nes angeli dei: quoniam sanguinem filiorum eius ulciscetur, & su-
 met pœnas de inimicis, & reddet talionē odientibus se, & purgabit
 Dominus terram populi sui. His uerbis nos gentes iubemur læta-
 ri cū eius populo, uidelicet cū Abrahamo, Isaaco, Iacobo, prophe-
 tisq̄ & cæteris quotquot in ea plebe deo placuerunt, sicut antea
 consensimus. Nec tamē omnes uestri generis homines audiemus,
 quando quidem per Esaiam didicimus, quod artus præuaricantiū

erodendi sint à uerme igneque immortali & perpetuo, ut fiant omni
 carnì spectaculū. Quin & alias scripturas uobis ò uiri ex eodē Mo
 se proferā, unde queatis cognoscere, iam olim Deū disperfisse om
 nes homines, diuisos liguis ac nationibus: ex omnibus autē genti
 bus uestrā elegisse, infidam & incōmodam: ut liqueret ex quauis
 gente selectos obedituros eius uoluntati per Christū, qui & Iacob
 nominatur & Israel. hunc Iacob seu Israelē appellatione sua multos
 cōplecti oportet. Cū enim ait, Lætamini gentes unā cū populo
 eius, similitē eis tum hæreditatē tum appellationē tribuit, quòd ue
 rò eos cū sint gentes dicit lætari unā cum suo populo, ad uestrā
 pertinet ignominiam. quemadmodū enim uos exacerbastis eum
 idola colendo, ita & ipse idololatriæ uoluntatem suam fecit cognitā
 ut hæreditatem eius possideant. Libet adducere ipsas scripturas,
 quæ gentes autore Deo diuisas fuisse indicant, sunt autem hæ: In
 terroga patrem tuum & annunciabit tibi, seniores tuos & dicent
 tibi, quando diuidebat Altissimus gentes, & dispergebat filios A
 dami: statuit terminos gentiū secundū numeros filiorū Israel, & fa
 cta est portio Domini populus eius Iacob, funiculus hæreditatis
 eius Israel. His recitatis admonui, uertisse illos septuaginta inter
 pretes hoc modo: Statuit terminos gentiū secundū numerū angelo
 rum Dei: sed quoniā disputationi meæ nihil officiat, usum me uul
 gata lectione, uos quoque, inquā, modo ueraces esse uelitis, fatebimi
 ni, fidem nostram erga deum uestra præstantiorem: quando quidē
 per aspernabile probrosumque crucis mysterium uocati diuinitus,
 propter confessionē eius & pietatē ac obedientiā, pœnas incitatē
 diaboli militiæ uestræque opera illatas usque ad mortē perferimus: &
 tamē ne uerbo quidē negamus Christū, qui nos uocauit ad salutē
 à patre antè præparatam: posthabitis uobis quos excelso brachio
 suo protectos magnifice liberauit ex Ægypto, diuiso mari ut per
 siccas arenas daret transitum: ubi paulò post persequentium copias
 cum suis curribus cæteroque apparatu splendido undis obruit, in
 meatum quæ transieratis refluentibus: quando & columna fulgi
 da prælucebat uobis, ut singulari priuilegio possētis habere lumē
 proprium ac perpetuum. panis quoque angelorū māna in cibatum
 cœlitus depluit, ut ne panificiū quidem desideraretis, & aqua Mer
 ræ uersa est in dulcedinem: quando etiam per serpentes (ut antè
 dixi) præfiguratum est crucis mysterium, maturè præmonente
 uos Deo de gratia futura, erga quem tamen semper ingrati fuis
 se deprehendimini. talis fuit etiā figura Moysis manus expandētis,
 & eius qui post assumptū Iesu cognomē Amalechitas debellauit:
 quod

quod præclarum eius facinus Deus iussit mandari literis, promittens nomen Iesu fore apud uos celebre, quippe qui deleturus esset sub sole Amalechitarum memoriam. atqui uidemus post Nauæ filium mansisse memoriam Amalech. Verum ista omnia præfagia fuere de Iesu crucifixo, quod profligaturus esset dæmonia, uel solo nomine formidandus eorum potestatibus, quemadmodum & regnis hominum, ut ex omni gente religiosi pacatiq; redderentur quotquot in eum credidissent, sicut liquidò percipere potes mi Tryphon ex his quæ supra memorauimus. quid quod tantum coturnicum uobis oblatum est, cum carnes requireretis, ut non potuerit iniri eorum numerus: hîsdem & è saxo aqua prorupit, & nubes contra æstum oppansa est pro umbraculo, simul & à frigore protegēs in itinere, aliud cœlum nouum per hanc figuram prænunciāns: imò ne calceamenta quidem uestra tunc detrita sunt, aut ruptæ horum corrigiæ, sed pueris induta cum ætate crescebant. Et post hæc beneficia simulacrum fecistis uitulo, scortati estis cum puellis barbaris, coluistis idola, ac rursus postquam accepistis terrā, tanta uirtute fuis fugatisq; hostibus, ut sol ipse cursum suum sisteret spectantes gerentem uestrum ducem Iesum recens cognominatum, & per xxxvi. horas differret occasum. alia quoq; inter uos patrata sunt prodigia, quorum unum recensere nunc libet. conferet enim uobis ad agnoscendum Iesum hunc, quem nos confitemur Christum, Dei filium, qui crucifixus resurrexit & in cœlum ascendit, inde rediturus iudex uniuersorum hominum natorum post Adamū generis humani principem. Nostis ut tabernaculum testimoniū captū fuerit ab hostibus Azotij: utq; graui peste afflicti propterea, consilium ceperint de arca imponēda plaustro, cui iunxissent uacas recens partu leuatas: quo experirent an ab irato Deo pestis immissa sit, & an uelit arcam eò reportari unde sublata fuerat. Quo facto uaccæ nemine deducente peruenerunt, non in eum locum unde arca rapta fuerat, sed in prædium uiri cui nomē erat Auses, idē quod illi qui post Iesum cognominatus fuit, & in agros armis quæsitos induxit populū, in id prædium delatæ hæserunt, manifesta coniectura quod huc deductæ sint ui huius nominis: sicut antea populi ex Ægypto egressi reliquiæ nouas sedes tenuerunt ductu Iesu, qui & ipse Auses prius nominabatur. nihilominus post edita inter uos tā insignia prodigia diuersis temporibus à prophetis obiurgamini, quod in honorem dæmonum ne à liberis quidem mactandis abstinueritis, donec post cætera facinora Christum aggressi estis immani audacia, nec adhuc persequi desistitis: quæ omnia Deus propi-

cuius & Christus eius dignentur uobis remittere, & ueniam ac salutem concedere Deus enim futuræ maliciæ præsciens sic uos execratur per Esaïam: Væ animæ eorum: inierunt consilium malum contra seipsos dicentes: Vinciamus iustum, quia incommodus nobis est. ideo fructus manuum suarum comedent. Væ iniquo: retributio enim operum eius fiet ei. Popule meus, exactores uestri spicilegium ex uobis facient, & quæstores uobis dominabuntur. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & turbant uiarum tuarum semitas. Sed nunc statuet pro tribunali populum suum Dominus, & ipse in iudiciū ueniet cum senioribus populi eiusque principibus. uos autem cur incendistis uineam meam, & rapta pauperi absconditis in uestris ædibus? cur meam plebē iniurijs afficitis, & pudefacitis facies pauperum? Rursus aliubi propheta idem ad eundem modū loquitur: Væ qui trahitis peccata uestra quasi longo funiculo, & iniquitates quasi loro iugali. qui dicitis, cito appropiet opus eius, & ueniat cōsiliū sancti Israel, ut sciamus illud. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: qui ponitis tenebras lucem, & lucem tenebras: qui ponitis amarum in dulce, & dulce in amarum. Væ qui sapientes uos estimatis, prudentes coram uobis metipsis. Væ qui potentes estis ad potandū, & fortes ad miscendū sicera. qui iustificatis impium propter munera, & iusto ius suū non redditis. quapropter sicut deuorat stipulam ignis, & calor flamme exurit: sic radix eorum quasi fauilla erit, & germen eorum dissipabitur ut puluis uento excitus. Abiecerunt enim legem domini exercituum, & eloquium sancti Israel irritauerunt: ideo commotus est furor Domini exercituum, & iniecit manum suam super eos, et percussit: turbati sunt montes, & facta sunt cadauera eorum quasi stercus in medio platearum. per hæc omnia non sunt conuersi, sed adhuc manus eorū est insolens. Reuera enim adhuc manus uestras extenditis ad maleficia. quādo post Christū occisum ne sic quidē resipiscitis, & nos quoque qui per eum Deo patrique credidimus, odio prosequimini, nō tēperantes per occasionē à cædibus. Indefinenter autē execramini & ipsum & eius sectatores, cū nos publicè precessemur pro uobis & omnibus hominibus, ita ut nos Christus noster & Dominus docuit, iubens nos pro inimicis uota facere, & pro odio dilectionem, pro execrationibus faustas ominationes rependere. ergo si uobis prophetarū & ipsius Domini doctrina pudorē inculcit, fatius est ut Deū sequamini quàm insipientes cecosque magistros, uestros qui hodieque quaternas & quinas uxores uobis permittunt singulis, præsertim si quis formosæ amore capiatur, allegantes

legantes exempla Iacob qui cognominatur Israel, patriarcharūq;
 cæterorum, & negantes uiolari iura si quis simile aliquid faciat, ho-
 mines insensati & miseri. magna enim in his rebus singulis dispe-
 sabantur mysteria. Dicam de connubijs Iacob quid præsignaue-
 rint, ut cognoscatis quàm nihil diuinū uestri magistri in his factis
 obseruauerint, quippe qui humiles tantum affectus considerant,
 idoneos magis corrumpendis quàm corrigendis moribus. aduer-
 tite igitur quid dicam, nuptias Iacob fuisse figuram eorū quæ Chri-
 stus gesturus erat. Duas enim uxores simul & semel non erat fas
 Iacobum ducere, seruiuit etiam Labani pro mercede accepturus si-
 lias, & fraudatus iunior iterum seruiuit alterum septennium. cæ-
 terum Lia populus uester est & synagoga, Rachel uero nostra ec-
 clesia, pro his seruit Christus nūc quoq;, & pro seruis quos utraq;
 complectitur. nam uice duorum filiorum tertij progeniē Noe ser-
 uitudi addixit. nunc ediuerso ob restituendos pristinæ libertati am-
 bos filios, & seruos qui ad eos pertinent, Christus aduenit, omnes
 quicunque mandata ipsius obseruant honore dignaturus eodem,
 quemadmodum etiā Iacob ex ancillis susceptos æquè ac natos ex
 ingenuis uxoribus pro germanis filijs habuit, quorum fata ut diui-
 nus prædixit ordine. Iacob seruiit Labani pro maculosis & uarijs
 pecoribus: sic Christus usq; ad crucem pertulit seruitutem pro di-
 uersis multiformibusq; hominū generibus, quos per sanguinē suū
 sibi parauit ac per crucis mysterium. Liæ debiles erant oculi: sic &
 uestræ animæ admodum hebetes habent oculos. Rachel furata
 est deos Labanis, ut in hodiernū usq; defossi lateant: nobis quoq;
 perierūt dij fabricati quos accepimus à maioribus. Iacob semper
 exosus fratri fuit: nunc itidem nos inuisi sumus uobis cæteris que
 mortalibus quos natura esse fratres uoluit. Iacob cognominatus
 est Israel: & Christum Israelē esse ostendimus, qui Iesus, id est, ser-
 uator est ac dicitur. siquidem quando scriptura sic loquitur: Ego
 dominus Deus ille sanctus Israel, qui declarauit Israelem regem ue-
 strum, nonne uerè de Christo æterno rege hæc intelligitis? scitis
 enim quod Iacob Isaacii filius nunquam regnauerit: ideo scriptura
 explicans quemnam regē uocet Iacob, & Israel nominibus, sic ait:
 Iacob puer meus, subleuabo eū: Israel electus meus, accipiet eū ani-
 ma mea. dedi spiritū meum super eum, & afferet iudiciū gentibus:
 non clamabit, nec audietur foris uox eius. harundinem quassatam
 non conteret, & linum fumans non extinguet, donec in conten-
 tione educat iudiciū. non turbabitur nec tristabitur, donec po-
 nat in terra iudiciū, & in nomine eius gentes sperabunt. Num igitur

gitur in Iacob patriarcham sperant conuersi ex gentibus, ac non
 in Christum potius, imò & uos ipsi: itaq; sicut Israellem Christum,
 scriptura uocat, sic & Iacobum: nos quoq; è uentre Christi lapides
 excisi, sumus genus uere Israeliticū. sed præstat audire ipsa uerba
 prophetica. Educam, inquit, ex Iacob semen ex Iudæq;, & possides
 bunt montem sanctum meum, & hæreditabunt eum electi serui
 mei, habitabuntq; illic, & erunt uillæ pecuariorum in saltibus: &
 uallis Achor in requiem armentis populi quærentis me. uos autē
 qui defecistis à me, obliti montis sancti mei, & parastis lecti sternia
 dæmonijs, uinumq; miscuistis, ego tradam gladio, omnes occisio-
 ne cadetis, quia uocante me nō obedistis, sed fecistis malum in con-
 spectu meo, & elegistis quæ mihi displicebāt. Hactenus scriptura.
 Intelligitis autem & ipsi aliud esse semen Iacob de quo nunc loqui-
 tur, non populum uestrum ut aliquis existimare posset. nō potest
 enim fieri ut pro Iacob filijs desertoribus semē Iacob substituatur,
 neq; ut hæreditatē polliceatur deus his quos indignos ea pronun-
 ciauerat. sed quemadmodum idem propheta dicit: Et nunc tu do-
 mus Iacob age ambulemus in lumine Domini: missum enim fecit
 populum suum domum Iacob, quia denuo repleta est eorū regio
 sortilegis & augurijs: ita & hoc loco debemus intelligere duo se-
 mina Iudæ, duoq; genera: duas item domos Iacob: alteram è carne
 prognatam & sanguine, alterā ex fide atq; spiritu, uidete enim quo
 modo superius alloquatur populum: Sicut inuenietur racemus in
 botro, & dicent: caue ledas eum. nam inest ei benedictio: sic faciam
 propter seruientem mihi, propter hunc non delebo uniuersos in
 ternecione. Ac mox subiungit: Et educam aliquos ex Iacob & ex
 Iuda. liquet igitur quòd si illis ita irascitur, ut minetur paucos reli-
 quos fore, alios quosdam educturum se pollicetur, habitaturos in
 monte ipsius, nimirum ab ipso profeminandos gignendosq;, uos
 enim nec uocantem eum fertis, nec alloquentē auditis, imò & ma-
 lum fecistis in conspectu Domini: & quod est extremæ maliciæ ca-
 pitalisq; odij, necastis iustum & alios qui ut huius participes pieta-
 tem, iusticiā, charitatemq; adepti sunt. Quapropter uæ animæ eo-
 rum, dicit Dominus: quoniam inierūt consilium malum aduersus
 seiplos, dicentes: Tollamus iustum, quia incommodus nobis est.
 uos enim non sacrificastis idolo Baal sicut uestri maiores, nec in ex-
 cellis lucis placetas coxistis cœli militiæ, sed in hoc præcipuè pec-
 castis quod Christum dei non recepistis. nam qui hunc ignorat, in-
 gnorat uoluntatem Dei: & qui hunc odit aut afficit iniuria, offen-
 dit illum à quo is missus est. itidem si non credit in ipsum, nec pro-
 phetarum

phetarum uaticinijs credit, qui tanto antè attulerunt omnibus hominibus lætum futuræ felicitatis nuncium. absit fratres ut male de illo crucifixo loquamini, aut ludatis cauillis in eius uibices qui sufficiunt sanandis omnibus, sicut etiam nos sanati sumus. bonum enim fuerit si persuasi circumcidatis cordis duriciem, quam non agnatam ultro uobis acciuisistis. nam circumcissionem nõ ut iustificationem sed ut signum uobis datam, scripturis credendum est. id ita esse cum agnoscat, nolite dei filium conuicij laceffere, nec illudere Israelis regi ut doctoribus pharisæis gratificemini, & archisynagogis post publicas preces in profeuchistalia uos docentibus. Si enim is qui cõtrectat res deo placitas, perinde est ac si attingat pupillam eius oculi, multo magis qui à dilecto ipsius petulantiam non abstinet, is uerò qui sit, iam satis declaratum est. Ad hæc illis silentibus, Amici, inquam, nunc in scripturis citandis LXX. interpretes secutus sum. nam prius uestrum contextum adhibendo præteritaram quomodo affecti sitis. cum enim adduxissem scripturam hæc: Væ ipsis, quia inierunt consilium malum contra seipsos, dicentes: adieci iuxta LXX. Tollamus iustum, quoniam incommodus nobis est: quamuis initio colloquij uestram lectionem secutus sim, uidebit licet hanc dicentes, uinciamus iustum, quoniam incommodus nobis est. uos autè aliud tum agebatis, nõ satis attenti auditores ut mihi uidebatur. cæterum quando hæc etiã dies uergit, & sol tendit ad occasum, finem faciam si unum quiddam sermonibus præteritis adiecero. id licet antea dictum, æquum tamen censeo denuo repetere. Scitis igitur ô uiri, Deum per Esaiam dixisse ad Hierusalem: tempore diluuij sub Noe seruauit te. id propterea dixit Deus, quia diluuium fuit mysterium seruandorum hominum, siquidem Noe iustus unã cum cæteris qui euasere, hoc est uxore, tribus filijs totidemq; nuribus, octo in uniuersum, ipso numero præfigurabãt octauam diem, qua Christus noster rediuiuus apparuit, semper primam potentia, nam Christus cū sit totius creaturæ primogenitus, & principium noui generis per aquã & fidem renati, propter crucem non caret ligni mysterio, sicut etiam Noe ligno seruatus est, uetustatus super aquas cum domesticis. Quando igitur propheta dicit: tempore Noe seruauit te, loquitur, ut audistis, ad populũ æquẽ deo credulum, & eadẽ habentẽ symbola. nam & Moses uirgam tenens per mare traduxit uestrum populũ, at uos putatis hæc dici de sola uestra terra uestroq; genere. atqui tota terra, ut sacris literis est proditum, mundata fuit, aquis super omnes montes eleuatis ad quindecim cubitos, itaq; liquet non ad terrã hunc sermonẽ pertinere,

nere, sed ad obsequentem populum, cui parata est requies in Hierusalem, sicut præfiguratum fuerat per omnia diluuij mysteria. audivistis autem, per aquam & fidem & lignum præparari, quicumque agentes peccatorum poenitentiam, evasuri sunt futurum Dei iudicium. nam & aliud mysterium propheticum Noe temporibus contigit, quod nescitis, nimirum hoc. In orationibus quibus ille facta precatur duobus filijs, etiam nepotem suum execratur. nam filio cum reliquis à Deo benedicto non decebat male precari propheticum spiritum: sed quamvis tota posteritas irrisoris paternæ nuditatis futura erat meritæ poenæ particeps, filio tamen non est intentata execratio. inter cætera uerò id quoque pater prædixit, posteros Semi occupaturos agros Chanaanorum & habitacula, eiciens eos mox à Iapheti progenie, quemadmodum ipsi prius Semi progeniem eiecissent ex agris unde Chanaanos expulerat. id ita factum docebo. uos enim qui à Semo ducitis originem, occupastis dei iussu terram filiorum Chanaan & possedistis. deinde filij Iaphet æquè iusto dei iudicio tenuerunt eam, & uos illinc profligauerunt. hæc autem sic referuntur in sacris literis: Noe uerò ubi uinum edormiit, & didicit quæ fecerat ei filius suus minor, ait: Maledictus puer Chanaan, seruus erit fratribus suis. Dixitque: Benedictus dominus deus Sem: sit Chanaan seruus eius. Dilatet deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem: sitque Chanaan seruus eius. Ergo cum duo populi benedicantur Semi Iaphetique posteris, & decretum sit ut priores illi potiantur Chanaanorum sedibus, in quarum possessionem mox succedat Iapheti progenies, uno populo à Chanaan oriundo, in seruitutem addicto duobus populis: Christus ab omnipotente patre accepta potestate aduenit, inuitans ad amicitiam, benedictionemque & ad poenitentiam ac consortium sanctorum eam terram habitatorum, quibus promissam ostendimus. quapropter omnium gentium homines tam serui quàm ingenui, quicumque in Christum credunt, & norunt uera prophetarum oracula, sciunt se unam cum eo terram illam habitaturos, & hæreditatem æternam accepturos ac incorruptibilem. Vnde & Iacob, ut supra dixi, cum ipse quoque figura Christi esset, duas uxores duxit ancillas totidem ingenuarum, & ex eis suscepit filios: ut præmonstraret Christum assumpturum etiam Iapheti posteros, ipsamque Chanaan progeniem æquatam ingenuis, quantum ad hæreditatem attinet: quæ uos intelligere non ualetis, quia non potestis de uiuo fonte bibere, sed de cisternis corruptis & aquam non continentibus, sicut scriptura dicit: Sunt autem cisternæ corruptæ aquam non continentes, quas foderunt uobis magistri

magistri uestri, ut scriptura manifeste testatur, docentes doctrinas mandata hominum. hi seipso uosq; simul uana spe pascunt, quia si sint carnale semen Abrahami, æternū regnum accepturi quamuis peccatores infideles, inobedientes que Deo fuerint: quod uerum non esse è scripturis discimus. An non dicit Esaias: Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, facti essemus tanquam Gomorra & Sodoma: & Ezechiel: Etiam si Noe, Iacob, Daniel petierint condonari sibi filios aut filias, non impetrabunt. imò nec pater pro filio, nec filius pro patre, sed quisque pro peccato suo plectetur, & suo quisque benefacto seruabitur, ac rursum Esaias: Spectabuntur ossa iniquorum: uermis eorum nō desinet, & ignis eorum non extinguetur, & omnis caro uidebit eos. alioqui Dominus non stermissus à patre domino rerum omnium, non dixisset: Venient ab oriente occidente que & discumbent cum Abrahamo, Isaac, Iacobo, in regno cælorum: filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores. cæterum non esse Deum in causa ut prædestinati fiant iniusti siue angeli siue homines, sed sua quemque culpa talem esse qualis apparebit, iam antè docui. Ne autem possitis cāufari, oportuisse Christum crucifigi, atque etiam inter nostros homines esse præuaricatores, nec posse aliter fieri, iam docui compendio: quod Deus cum uellet angelos & homines obsequentes habere, uisum est ei facere hos liberæ potestatis ad bene agendū, ratione prædicatorum ut scirent suā originē, & à quo ut sint acceperint: futurūq; ut iuxta ipsius leges iudicandi sint, siquid à recto deflexerint. nā suapte cōscientia & homines & angeli coarguent, nisi mature mutentur in melius. q̄ si uerbū Dei prædicat omnino quosdā angelos & homines dāandos, ideo prædicat quia præsciuit incorrigibiles, nō quia tales à Deo facti sint. itaq; si omnes resipuerint, possunt consequi dei misericordiā mañti diuino testimonio. Beatus, inquit, cui non imputabit peccatū Dñs, hoc est, cui pœnitēti peccata Deus remittet: nō sicut prædicatis uosmetipsi fallētes, & alij quidā uestri similes asseuerāt, etiam si qui peccatores fuerint, modo Deū norint, nō imputabit eis peccata dominus. Testis est una culpa Dauidis, quādo per fastum lapsus, non prius impetrauit remissionē, quā lamentis fletuq; peccatū diluit, ita ut scriptū legimus. quod si tali uirō non est remissum citra pœnitentiā, sed post tantos demū fletus & correctas actiones magni regis uatisq; delibuti diuinitus, quomodo impuri & perditī, sine lamentis planctuq; ac pœnitētia, possunt sperare peccata ipsis remissurū dominū: id unicū delictū in Virgine cōiuge admissum satis declarat amici, patriarchas nō libidinis causa

causa ufos pluribus uxoribus, sed ita subseruisse cuiusdam dispensationi mysticæ, alioqui si licitū esset quasiuis, quomodolibet & quocumque libet ducere, ut solent uestri homines ubicumque peregrinantur aut quocumque mittuntur, easque nomine duntaxat uxores, multo magis idem licuisset Dauidi. Hec locutus, M. Pompei carissime, desii. Alio quanto post Tryphon: Vides, inquit, non temere factum ut congrederemur, quando mirificam uoluptatem cepi ex hoc colloquio, nec aliter affectos istos existimo. plus enim inuenimus quam expectabamus aut expectari poterat. id si sæpius nobis contingeret, plus proficeremus sermones ipsos examinando: sed quoniam uideris hinc soluturus propediem, fac mei tanquam amici memineris. Quantum ad me attinet, inquam, uellem, si manerem, quotidie nos idem facere. spero autem me iam nauigaturum deo fauente, interim uos hortor, ut quandoquidē agitur de salute, omisis uestris magistris conferatis uos ad Christum dei omnipotentis. atque ita discesserunt incolumitatē comprecati mihi tum in itinere tum in omnibus periculis. & ego uicissim fausta omnia precatus illis, extremum hoc adieci, nihil eis me posse ominari felicius, quam ut agnita uia quæ homines fert ad sapientiam, Christum Dei complectantur sicut nos facimus, quandoquidem nobis datus est.

DIVI IUSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS APO-

LOGIA PRO CHRISTIANIS AD
SENATVM ROMANVM.



VAE Heri ac nudiustertius in urbe uestra Patres Romani sub iudice Urbico, alibi que passim ad eundē modum sub iniquis præsidibus acta sunt, cogunt me habita ratione uestrum, qui uos eisdē passionibus obnoxios & fratres esse propter istas dignitates parum animaduertitis, libellum hunc uobis offerre. ubicumque enim receptum est moribus, ut qui peccat admoneatur à patre, aut uicino, aut filio, aut amico, aut fratre, aut marito, aut uxore: etiam si non sint persuasi, manere iniustos & improbos ignis æterni supplicium: ediuerso Christi æmulatores, Christianos, inquam, in perpetua corporis animique integritate cum Deo uicturos, eo quod constanter uirtutem

tutem pro uoluptate sectati deprauari se non passi sint. *non enim*
 * *quodlibet* *
 mali daemones cum deuinctos sibi habeant tales iudices, ceu lym-
 phatos agunt in nostram perniciem. ut autem sciatis causam om-
 nium quæ patrauit Urbicus, rem totam expediam. Mulier quæ-
 dam degebat in coniugio uiri libidine perditæ, & ipsa quondam pa-
 rum pudica, postquam autem Christi doctrinam cognouit, tantum
 propter confessionem Christiani nominis, affecisti supplicio hunc
 hominem. Sententiæ tales Urbice nec imperatoris Pij uel eius fia-
 lii seculum, nec sacrum hunc senatum decent, at ille uersus ad Lu-
 cium hoc tantum respondit, Videris tu quoque esse similis. cumque
 Lucius id fateretur, & ipsum duci iussit, ille uero gratias agebat ei,
 quod liberaretur à molestis dominis, & ad patrem regemque cœ-
 lestem proficisceretur. Tertius quoque quispiam ceu auctarium pa-
 riter plexus est. Verum ne quis dicat, Ergo uos ipsos omnes occi-
 dite, atque ita ad Deum ite, & nobis exhibere negotia desinite. dis-
 cam causam cur hoc non faciamus, & cur quando examinamur
 confiteamur intrepide. Non temere mundum à Deo creatum esse
 didicimus, sed propter humanum genus, & ideo delectari homi-
 nibus ad imitationem ipsius se componentibus, offendi uero his
 qui uacant malis operibus aut sermonibus. idcirco si omnes nos-
 bis necem conscisceremus, quia nec gignendo quenquam nec in-
 rebus diuinis instituendo, quantum in nobis situm est tenderemus
 ad humani generis perniciem, uoluntati diuinæ ad eum modum ad-
 uersaremur. quotiescunque autem postulamur non negamus, quippe
 nullius criminis nobis conscij, alienum à pietate ducentes ueritatem
 celare, quam scimus Deo gratissimam, simulque dantes operam ut
 falsæ opiniones uobis eximantur. Quod si quis sic cogitat, si auxilio
 Dei fideremus, illum non laturum ab iniustis nos, sicut querimur, uer-
 xari ac opprimi, etiã hoc dubium explicabo: Deus qui hunc mundum
 uniuersum condidit, postquam res terrenas subiecit homini, cœlestes
 uero ad prouentum frugum distinxit certis uicibus quotannis recurrere
 tibus, & iussa diuina in hominum usum (ut apparet) ex sequentibus, eo-
 rum quæ sub cælo sunt curam commisit designatis ad hanc functionem
 angelis. qui ab officio decedentes, uictique sceminarum complexibus, su-
 sceperunt ex eis progeniem, quam uulgus uocat genios: & prouecti ad
 maiorem audaciam, genus humanum sibi subdiderunt, partim magicis li-
 teris, partim incusso metu poenarum, partim commostratis sacris quæ
 constat uictimis, odoramentis atque libaminibus quorum tenebantur
 cupidine: deuinctisque per hos affectus animis, passim miscuerunt
 n omnia

omnia homicidijs, bellis, stupris, adulterijs, maleficijsq; ceteris, quæ propter poetæ ac fabulatores, quia nesciebant angelos & ex his prognatos genios re habuisse cum masculis & foeminis ciuitates gentesq; à se memoratas, retulerunt ad ipsum Deum, eiusq; ac fratrum ut putatur Neptuni Ditisq; filios & horum progeniem. singulos enim nominibus appellabant, quæ illi sibi suisq; natis imposuerat. uniuersorum autem pater nullum nomen habet inditum, cæterum pater, Deus, creator, dominus, herus, non nomina sunt, sed à beneficentia desumpta uocabula, at filius illius qui solus proprie dicitur filius, sermo ille qui ante res creatas apud patrem erat, ex ipso genitus: Christus quidem, eo quod unctus sit, & per ipsum Deum disponat ordinetq; omnia, uocatur non uulgatæ significationis nomine, sicut & dei uocabulum non tam nomen est quam inenarrabilis rei hominibus innata opinio: Iesus uero hominem & seruatore significat et nominat, nam homo quoque, ut antea dixi, factus est, ex sententia patris conceptus & partu editus in salutem fidelium hominum & interitum dæmonum: quod etiam nunc uidere licet, multos enim arrepticios per totum orbem, & in hac ipsa ciuitate, multi ex nostris Christianis adiuratos per nomen Iesu Christi, sub Pontio Pilato crucifixi, sanarunt, quos nec adiuratores alij nec incantatores expiatores uel sanare potuerat: & adhuc sanare pergunt, dæmonia profligando ex obsessis hominibus, idcirco Deus differt totius mundi confusionem atque interitum, quando mali angeli & gentium hominesq; delebuntur, ut parcat Christianorum semini, quod scit esse causam rerum nature incolumitatis, nisi enim hoc superesset, ne uobis quidem dare possit hac talia, & concitari à noxijs dæmonibus: sed ignis uindex descendens sine discrimine sustulisset omnia relinquens neminem: qualis clades olim apud priscos accidit Noe seculo, siue ut uestri auctores produnt Deucalionis, quando uniuersalis diluuii uastitas unum solum reliquit cum domesticis ad posteritatis seminarium, unde tam mali quam probi reparati sunt, hæc est enim nostrorum de futura exustione sententia, non ut Stoici falso existimant, ratione mutationis elementorum ex alijs in alia. Sed neque fato agunt homines aut patiuntur quicquam ut apparet, quippe qui uoluntarie bona malaq; faciunt, nisi quod interdum à malis gentijs contra probos uiros incitantur ut Socratem ac similes, quos persequuntur & trudent in carcerem, cum interim Sardanapalus & Epicurus similes que in honoribus atque delicijs sibi placeant, quod non intelligentes Stoici ad fati necessitatem retulerunt omnia, cæterum angeli hominesq; quoniam in initio cum crearentur acceperunt à Deo liberum arbitrium,

iuste

iustè pœnam peccatorum luent in æternis ignibus. est autem genitarum rerum omnium hæc natura ut uirtutis ac uicij capaces sint. nulla enim laude quicquam esset dignum, ni esset ad utrumlibet flexile. attestantur mihi quotquot rationē ueram secuti sunt legislatores uel philosophi, dum alia iubent, uetāt alia. quin & ipsi Stoici cum de moribus differunt in eadem sunt sententiā, ut appareat eos de principijs & rebus incorporeis non recte sapere. Si enim contendent satis regi res hominum, aut negabunt Deum in tanta subuersione, mutatione, resolutioneque in suas origines, ut nihil pręter corruptibilia percipiant ac ne ipsum quidem deū à corruptione prorsus immunem faciant: aut tollent e rebus discrimē uirtutis ac uicij, quo quid potest cogitari absurdius & ab omni ratione alienius: quapropter scimus dogmata Stoicorum, quamuis illi honeste de moribus disputent, sicut & poetæ interdum pro innatis sibi rationis seminibus, tamē passim explosa esse. Heraclitū certe, ut supra dixi, & nostro seculo Musonium cæterosque nouimus. sicut enim obseruatum est, omnes probos qui quomodocumque uirtutem sectati sunt auersi à uicij, acerbis odijs exagitarunt mali genij. nec mirum est ab his infestari particularia rationis semina, quando illius uniuersalis λόγος, id est Christi cognitionem cōtemplationeque multo magis odisse deprehenduntur nefarij demones, daturi meritas pœnas in ignis æterni carcere. nam si nunc per nomē Iesu Christi uincuntur ab hominibus, certo hoc argumento colligitur fore ut in æternum igne puniantur cum suis cultoribus. id enim & sacri uates omnes prædixerunt, & Iesus ipse noster magister docuit, & ego igitur expecto ut à quopiam ex istis per insidias baculo percutiar, uel ab hoc Crescente iactatore philosopho, philosophum enim appellare non dignor, hominem qui de nobis quæ nescit publice prædicat, esse Christianos hostes numinis & impios, ad gratiam & uoluptatem decepti uulgi garriens. nam siue nō lecta Christi doctrina in nos inuehitur, modis omnibus malus est & idiotis multo deterior, qui sæpe cauent ne de rebus ignotis falsa loquantur: siue nactus eius excellentiam & intelligens, ad uitandam suspicionem dissimulat, tanto ignauior est atque scelestior, qui timori cedat & imperiti uulgi rumusculis. uolo enim sciatis, me cum eo congressum in hoc quæstionum genere, expertum esse & coarguisse hominis ignorantiam. id ut persuasum uobis sit, non dubitarem in eandem disputationem cum eo descendere, ni putarem ad uos peruenisse nostrum colloquium: nec infra uestram maiestatem esset hæc cognitio, quod si notæ sunt uobis illius responsiones meis scitatio

nibus reddite, compertū tenetis eum nihil scire. quod si scit aliquid nec tamen audet profari, ut Socrates, amatorē gloriæ se prodit nō sapientiæ, sicut iam dixi: qui ne præclarum quidem illud Socratis dictum magni facit, Veritati præferendū esse neminē, uerūm Cynico qui omisso bono sectatur indifferentia, possibile non est scire aliud quā indifferentens. cæterum nequis mihi contradicat more istorum philosophorū uulgariū, terrificis nos uerbis sed inanibus uti de ignis æterni poena que iniustos maneat, metu magis quā uirtutis amore cōtinere homines in officio: breuiter respōdeo, si hæc falsa sunt, nō esse Deū: aut si est, nō curare mortalia, uirtutē ac uiciū esse uana nomina: & ut diximus, iniuste legislatores in iuris uiolatores animaduertere. sed quia nec illi sunt iniusti, nec pater qui suis oculis eos instituit, ne hi quidem qui assentiunt iniusti sunt. Quod si quis obijciat esse diuersas leges hominum, & alijs honesta uideri quæ apud alios turpia censentur, is discat, etiam leges malas inductas esse à malis angelis, quibus delectantur æque mali homines: & cum accedit recta ratio, nō omnes opiniones ei probari nec omnia placita, sed fieri discrimen inter mala & bona. itaque talibus quoque habeo quod ad eundem similem uel modum respondeam prolixius si opus fuerit: nūc ad propositum redeo. ideo res nostræ omni humana doctrina sunt præstantiores, quod Christus totus rationalis propter nos factus sit, corpore, mente, atque anima. nam quicquid boni unquam inuenerunt aut docuerunt legislatores & philosophi, id rationis partibus elaborarunt, inuentione contemplationeque, sed quoniam non integre mentē illam seu λόγον, Christum perceperunt, interdum prodiderunt quædam ipsorummet doctrinæ contraria: & qui ante Christum natum conati sunt hæc rationibus humanis disquirere contemplarique, tanquā curiosi pro impijs correpti ad tribunalia tracti sunt. omnium autem constantissimus firmissimusque Socrates, eiusdem cuius nos criminis reus postulat est. aiebant enim eū dæmonia noua introducere, & nō eosdem cū populo deos colere. at ille malos quidē genios, quorum poetæ decantant facinora, unā cū ipso Homero cæterisque poetis eiecit e sua republica, homines uerò auersari talia docuit: cæterum ignotū eis Deum uestigare rationibus eos hortabatur dicens: Patrē autē opificemque omnium nec inuenire facile, nec inuentū apud quosuis enunciare tutū fuerit. quod noster Christus per suā effecit potentiā. Socrates enim nemini persuasit ut moreretur pro ipsius dogmate: Christo autē ne Socrati quidē prorsus ignoto (erat enim & est sermo ille disponēs omnia, qui per prophetas futura prædixit, & per seipsum, nobis

nobis factus similis, suam doctrinam prodidit) non solum eruditionis sapientiæque cupidi crediderunt, sed & opifices ac idiotæ, gloria, formidine, morteque cōtempta: quoniam is est ineffabilis patris potentia, non humanæ rationis instrumentū, nec interficere mur aut uinceremur à malis hominibus & dæmonibus, nisi omni nato homini mors deberetur: ideo reddentes debitum gratias agimus. Nunc nō intempestiuum fuerit Xenophonticum illud Crescenti & alijs similiter delirantibus opponere. narrat Herculem in composito quodam inuenisse mulierum specie Virtutē & Viciū: hanc molli ueste cultam facta ad amoris illecebras, læto uultu blandoque aspectu illum affatam, pollicentem si ipsam sectetur, delicias lautitiasque & ornatum qualem in ea uideret, Virtutem uerò uultu pariter ac cultu squalidam, sic locutam: At me si sequaris, non istis euandis ornamentis te ipsum excoles, sed uerè pulchris & perpetuis. Ita constat quod quisquis fugit res pulchras in speciem, tractans duras & tetricas, felicitatē adipiscitur. nam Viciū prætexit suis actionibus honestatē uirtutis, imitans duntaxat quedam corruptibilia (nihil enim incorruptū habet aut potest facere) & sic subigit homines humiles, persona sumpta pro uirtute se ostentans. attamen qui uera bona intelligunt, incorrupti propter uirtutem sunt, ut Christiani & qui uitam degunt in exercitijs, quales poetæ celebrant consecratos uulgi existimatione. itaque uel ideo quia mortem contemnimus, licet de nobis bene sentire. nam & ipse quando Platonicam doctrinam delectabar, cum audirem calumnijs Christianos appeti, nec mortem horrentes nec aliud quicquam cæteris terribile, cogitabam esse impossibile tales uicijs seruire ac uoluptatibus. quis enim uoluptati deditus, aut intemperans, aut suauiter uescens humanis uisceribus, posset morte gaudere, ut priuaretur suis delicijs? ac nō potius conaretur perpetuò hic uiuere & magistratus fallere? tantum abest ut seipsum ad necem prodat. quamuis huc quoque mali dæmones adegerunt quosdam scelestos homines, ut post patratam ab ipsis cædem aggressi nostros sycophantijs, seruos, pueros, mulierculas tormentis subiecerint, atque ita his necessitatem mentendi expresserint, ut spargerent fabulas quasi de patrantibus claque ipse absque pudore faciunt in propatulo. nos uerò cum horum actionum cogitationumque. alioquin quid uetaret profiteri hæc ipsa publice, & referre ad diuinam philosophiam, operantes Saturni mysterijs per homicidia, cruoreque repletos more illius sacrati apud uos simulacri, cui litatis non brutorum tantummodo sed & ho-

minum sanguine, idēq; illustrissimi ac nobilissimi inter uos uiri mī-
 nisterio, uictimarū cruorem affundentis altaribus, ad imitationē
 uerò Iouis cæterorumq; deorū promiscuè cum masculis atq; fœ-
 minis uolutamini, ad defensionem flagitiorum proferentes Epicu-
 rum & poetarum carmina, hęc disciplinam eiusq; sectatores quia
 fugiēdos esse docemus, quod & hoc libello conamur euincere, ua-
 rijs modis impugnamur: id tamē nobis curæ non est, quando quis
 dem scimus Deū inspectorē iustū rerū omnium, atq; utinā nūc ali-
 quis existat qui è loco celsiore intonet uoce tragica: Pudeat uos pu-
 deat quæ palàm peccatis in fontibus obprobare, & uestra uestro-
 rumq; deorū dedecora in eos cōgerere in quos ne tantillū quidem
 competunt, respiscite & meliorē mentem sumite. Equidem ubi co-
 gnoui malos genios hoc agere, ut diuinā Christianorū disciplinā
 infamem reddant fictis criminibus, derisi (fateor) sumentum id &
 uulgi opinionē, expetens uotis & pro uiribus contendēs ut Chris-
 tianus euaderem: nō quod Platonis doctrina à Christi præceptis
 aliena sit, sed quod non usq; quaq; similis, sicut nec Stoicorū, poe-
 tarum, historicorumq; commentarij. nam horum singuli partem
 aliquam diuinæ rationis insitam sibi connatamq; cernentes bene
 loquuti sunt, cæterum qui ab eis in rebus magis serijs dissentiunt,
 nōne reconditam quandam scientiam & irreprehensibilem ha-
 buisse uidentur? Ergo quicquid usquam apud omnes scriptores re-
 cte dicitur, nostrum est Christianorum, nam ingenitum & ineffa-
 bilem Dei sermonem post Deum adoramus & diligimus, quādo-
 quidem propter nos homo factus est, ut passionū nostrarū fa-
 ctus particeps afferret eis remediū. cæterum scriptores omnes per-
 inditum sibi natiuum rationis semen non nisi obscure potuerunt
 ueritatem uidere. aliud enim est semen quoddā & imitamentum
 quoad fieri potest, aliud id à quo gratia hęc & facultas promanat.
 Postulamus igitur ut hūc libellum proponatis subscriptum sicut
 uobis placuerit, ut & alijs res nostræ fiant cognitæ, & eximantur
 eis falsæ opiniones atque honestatis ignorantia: sic fiet ne absque
 culpa pœnam sibi accersant, si hęc hominibus innotuerint, refert
 enim eorum discrimen honestatis & turpitudinis uel ex nobis di-
 scere, quos damnare ista probra ignorant, quibus ipsi delectan-
 tur sicut dijs quoque talia patrantibus, & hodie que à cæteris ea-
 dem postulant, cum nos ob hęc falso licet obiecta, morte, uinculis,
 alijsq; pœnis mulctent, non requiro alios iudices, qui etiam apud
 meos populares impiam Simonis impostoris doctrinā cōtemp-
 si, uos si hęc promulgaueritis, nostrum erit dare operam ut omnes,
 si fieri

si fieri potest, mutantur in melius, nec alia de causa hunc sermonem composuimus, non sunt nostra praecepta damnanda iudicio sobrio, cum antecellant uulgarem philosophiam, saltem non posthabentur Sotadijs Philaenidijsque cantiuculis, Epicureorum uel scriptis & poetarum longe dissimilibus, non deerit magistrorum simul & librorum copia, finem faciam functus quantum in me fuit officio, deum precatus ut cognitione ueritatis dignetur omnes homines ubique gentium: qui faxit ut pie sapienterque in re uestra feratis sententias.

DIVI IUSTINI A-

POLOGIA SECVNDA PRO

CHRISTIANIS AD ANTONI-

NVM PIVM.



IMPERATORI T. Aelio Adriano Antonino Pio Aug. Cef. & Verissimo F. philosopho, & Lucio philosopho Caesaris germano filio, Pij uero adoptiuo, amatori eruditionis, sacroque senatui & uni uerso populo Romano, pro generi humano iniuste inuisis execratisque, Iustinus Prisci Bacchi filius, a Flauia Neapoli Syriae Palaestinae, unus eorum hanc appellationem & supplicationem feci.

Ratio dicitur, uere pios ac philosophos solam ueritatem honore amoreque dignari, neglectis ueterum opinionibus, si uitiosae fuerint, nam incorrupta ratio dicitur, non solum non esse sequendos qui male quid aut docent aut faciunt: uerum etiam studio ueritatis modis omnibus iuste facienda dicendaque omnia, contempto uitae periculo si quis mortem minetur. uos certe ab omnibus auditis Pij, Philosophi, custodes iustitiae, amatores eruditionis: an autem sitis, declarabitis, non enim adulationis causa uos compellamus his litteris, nec largimur quicquam uestris auribus, sed ut seriam & accuratam iudicandi rationem exposcamus accessimus uos, haud praecipuos occupatos pristinis persuasionibus, neque captaturos fauorem superstitiosorum hominum, ac ne bruto quidem impetu inueteratisque calumnijs contra nos motos, quo secus quam expedit proferatis sententiam. Scimus enim nos laedi posse a nemine, nisi deprehendamur in sceleribus aut maleficijs, occidere potestis, laedere non item. Verum nequis hanc uocem inconditam & audacem existimet, oramus

ut examinētur crimina, & nisi alieni à culpa inueniamur, puniamur sicut decet puniri noxios. quòd si nemo est qui coarguat, iniquum fuerit nos in fontes plecti pro uulgi maledicentia: quæ iniuria pertineret ad ipsos iudices, affectum magis quàm rationem adhibentes in consilium. & est æquissima postulatio consensu omnium recte sentientium, offerre se ad exhibendam rationē uitæ irreprehensibilis: quemadmodum & principes decet inter iudicandum sequi pietatem ac philosophiam, nō tyrannidem & uolentiam. sic enim tā subditi quàm principes felicitate fruerētur. uetus est enim illud dictum sapientis cuiusdā: Nisi magistratus ac subditi philosophentur, nō fore fortunatas ciuitates. Nostrum igitur est tum uitā tum disciplinam considerandam proponere quibuslibet, ne pœnas debeamus erratorum quæ committuntur ab institutum nostrum ignorantibus: uestrum uerò, cognita causa decernere quod rationi consentaneum compertum fuerit. id nī optimo iure feceritis, ipsi nullam excusationē apud Dei tribunal inuenietis. nec enim ad bonorum malorumq; discrimen sola nomina sufficiunt nī cōsiderentur quàm rebus ipsis contueniant. alioquin quod ad nostram appellacionem attinet, sumus *χρησόμενοι*, hoc est commodissimi: at tamen nō postulamus eam nobis prodesse ut absoluamur, si cuius noxæ affines conuicti fuerimus. ediuerso, si extra culpam esse nos approbamus instituto æquē ac nomine, uestrum erit dare operā, ne iniuste puniendo non conuictos, ipsi pœnam debeat is uiolata iusticiæ: si quidem nomen nec laudem ullam nec pœnam iure meretur, nisi accedant honesta uel improba facinora. nec enim accusatos pro tribunali priusquam conuincantur damnatis. in nobis uerò nomen arripitis pro crimine, quamuis quantum ad ipsum nomen attinet, debueratis potius in accusatores nostros animaduertere, nam quia Christiani sumus reos agitis, quod nomen audistis iam indignum esse odio. tum si quis accusatus talem se inficietur, absoluitur, cum nullam culpam possitis in eo coarguere: quod si fateatur, ob ipsam confessionem plectitis. atqui præstaret tum fatentis tum negātis uitam inquisitione excutere, & uniuscuiusq; factis de ipso credere. quemadmodum enim quidam iuxta præceptum Christi dum examinantur confitentur fortiter: ita fortasse non desunt qui male uiuendo præbent occasionem temerè obloquendi Christianis omnibus, tanquam ex professo sceleratis & impijs. at qui non oportet sic agere. nam & philosophiam nomine habitūq; profitentur quidam qui nihil præstant dignum hac professione: & scitis etiam illos priscos quorum diuersissima sunt placita, eodē nomine

nomine uocari philosophos, & in his sunt qui negāt ullum numē esse, sicut poetæ Iouem cum sua prole flagitiosos faciunt: tamen eorum fabulas nō eijcitis, imō præmia honoresq; proponitis his qui eis luculentè conuicia faciunt. cur igitur nostra conditio deterior est, qui professione ipsa detestamur opiniones iniustas & impias: non examinatis causas, sed affectu temerario flagelloq; furiarū periti occiditis indemnatos absq; ullo respectu iusticiæ. Vera dicam siquidem & olim genij mali per spectra illuserunt sceminis ac pueris, terrueruntq; prodigijs homines, ut à stupidis metu exprimerent quod ratione non poterant: qui nescij malorum demonū esse has præstigijs, in uniuersum deos nominarūt distinctos proprijs uocabulis, quæ cuiq; placebant maxime. cumq; Socrates ueris rationibus hæc discutere conaret, & à superstitione reuocare homines, illijpsi dæmones per malos uiros effecerūt ut is tolleretur tanquam deorum hostis & impius, obijcens quod introduceret noua dæmonia, sicut & nos infestant hodie. nō enim apud solos Græcos Socrates ratione fretus hæc coarguit, sed & apud Barbaros hæc ipsa ratio formata in hominem qui Iesus Christus dicitur: à quo persuasi nos asseueramus genios errorum talium autores nō solum prauos esse, uerum etiam scelestos atque impios, ne uiris quidem bonis æquiparandos: & ideo hostes deorum iudicamur. fatemur quidem nos hostes deorum istorum ficticiorum, at non illius uerissimi Dei, patris iusticiæ prudentiæ que & cæterarum uirtutum, cunctorum expertis uiciorum: sed & eum & ab ipso missum filium magistrum nostrum, reliquumq; similem huius bonorum angelorum ipsius ductum sequentem exercitū, nec non spiritum propheticum ueneramur adoramusq; ueris rationibus honorādo, & cuius disciplinam eandē requirēti cōmunicādo absq; inuidiā. Dicit aliquis deprehensos aliquot in maleficijs, quasi uerò soleatis in delatos inquirere, ac non plerosq; inauditos ob iam dictam causam damnaueritis. illud certe in uniuersum fatemur, quemadmodum apud Græcos hi qui sua placita prodiderunt, censentur omnes uno philosophorum nomine, quamuis pugnent sententijs: ita & apud Barbaros quotquot uidentur excellere sapientia, commune nomen habere. nam Christiani omnes appellantur. ideo postulamus ut quorum nomina ad uos deferuntur, eorum facta iudicetis, ut qui criminis conuictus fuerit, pro scelesto puniatur non pro Christiano: sin autem insons inuenitur, absoluatur ut Christianus innoxius. nec enim petimus ut accusatores puniantur. sufficit illis sua malicia & honestatis ignorantia.

putate

putate autem hæc propter uestram utilitatē dici, quandoquidem nobis in promptu est negare dum examinamur: sed nolumus tueri uitam mendacio. cum enim æternæ puræq; uitæ desiderio teneamur, damus operam ut cum Deo cunctorum patre ac opifice degamus, & confitemur libenter, certò persuasi fore uoti compotes qui factis declararint se Dei sequaces, & cupere cum eo degere illic, ubi nulla peccati sentitur rebellio. Indicaui cōpendio quid speremus, & quam doctrinam à Christo acceptam tradamus. nec multum ab eo Plato euariat, scribēs fontes damnari apud tribunal Minois Radamantiq;. at nos Christum aimus fore iudicem sistendarum ei animarum cum suis corporibus, pœna æterna puniendarū, non solum per Mannorum circulos, ut ille putabat, quòd si quis respondebit, uideri hoc incredibile aut impossibile, fallant se iniuriam ut libet, modò in nobis nulla culpa inueniatur. ceterum quod uictimis & coronis simulacra in templis consecrata non honoramus, in causa est quia scimus ea carere sensu atq; anima, ac ne formam quidem habere Deo similē. negamus enim hanc esse Dei formam, quam quidam aiunt se expressisse, sed istæ sunt effigies & nomina demonum, quos malos esse ostendimus. nam quod ad materiam attinet, non ignoratis dedolata cōflataue ab opificibus, & interdum recusa è uilibus uasculis, formis tantummodo per artē nouatis, & impositis deorum nominibus. quod non solum ab omni ratione alienum, uerum etiam cum iniuria Dei coniunctum existimamus, illam ineffabilem maiestatem formam tribuere istis corruptilibus & humana ope indigentibus. & scitis impuros horū opifices, omnibus uicijs, ne singula perenseam, obditos: qui etiam suarum officinarum ministris ancillulis stuprū offerunt. o uos stupidos qui ab hominibus obscœnis deos quos adoratis fingi fingiq; creditis, & his similes sacerdotes ædituosq; constituitis, nec aduertitis quàm nefariū dictu cogitatuq; sit, deos custodiri à mortalibus. nos uerò persuasum habemus Deum non egere oblationibus rerum corporearum, cū uideamus eum largiri omnia: sed credimus eum solos diligere qui uirtutes ipsius imitantur, moderatiōnem, charitatem, iusticiam, & cæteras familiares illi, qui nullum nomen habet inditum. is pro sua bonitate in ipso rerum exordio condidit homines ex informi materia, sicut à maioribus accepimus: ut si uitam suam ipsius uoluntati attemperauerint, cum illo degant regnentq; immortales ac impassibiles. quemadmodum enim ab initio cum in rebus non essent eos condidit, sic quotquot obedienter uoluntatem eius exsequuntur, immortalitate perpetuaq; secū consuetudine

suetudine dignaturum credimus. nam ut esse inciperemus penes
 nos non erat: ut autem ei grata sequamur ductu rationis quam lar
 gitus est, inuitat nos ipse addens fiduciam, id que censemus con
 ferre utilitati omnium mortalium, ne quis ab hac disciplina arceas
 tur, sed huc incitetur potius, quod enim leges humanæ non ualue
 runt efficere, id sermo ille ut diuinus effecisset, ni mali genij multa
 falsa & impia crimina sparsissent aduersus eum, ascitis in sociera
 tem priuatis cuiuscq; cupiditatibus, ad res uarias suapte natura pro
 nis, à quibus nos immunes sumus. uos uero dum auditis nos re
 gnum expectare, temerè de humano suspicamini, cum nos de re
 gno dei loquamur: sicut liquet ex his in quos an Christiani sint
 inquiritis, qui fatentur se Christianos, quamuis sciant mortem
 huic confessioni propositam, nam si humanum regnum expecta
 remus, negaremus ut euaderemus, & conaremur fallere, ut expe
 ctato potiremur. sed quoniam spes nostræ præsentia non affe
 ctant, non timemus eos qui occidunt, quando mors debetur om
 nibus. ceterum quod ad pacem attinet, fouemus eam magis quam
 ulli uestri socij, dum prædicamus deum non posse falli à quoquam
 malefico aut fraudatore aut doloso ac detestabili: & cuiq; pro me
 ritis aut poenam repositam aut salutem, sempiternam utramque.
 hæc si nota essent omnibus, nemo uicij ad breue tempus se dede
 ret: quæ sciret punienda æternis ignibus, sed ab omnibus uicij ab
 stinendo cohonestaret se uirtutum ornamentis, ut à Deo felicitas
 tem consequeretur, & euaderet supplicia. nostras enim leges & a
 nimaduersiones improbi conantur fallere: & quia sciunt nos pos
 se falli cum simus homines, non cessant malefacere: qui si scirent
 Deum nihil latere uel factum uel cogitatum, saltem futurorum
 metu honestius uiuerent, quod ipsi non negabitis. uide mini uere
 ri ne omnes colant iusticiam, atque ita desint in quos animaduers
 tatis. Verum hæc cura carnificum fuerit magis quam bonorum
 principum. sed compertum est nobis, hæc fieri (ut diximus) in
 stinctu malorum geniorum, qui à stultis uictimas & diuinum cul
 tum sibi postulant: uos uero nihil indignum uestra philosophia pie
 tateq; admittere credimus. sin autem uos quoq; non secus quam insen
 satum uulgus ueritati præfertis consuetudinē, q̄ potestis facite, porro
 principes opinionē ueritati anteponeſtes nihilo plus possunt q̄ la
 trones in solitudine. non litari autem uestris uictimis declarat sermo il
 le siue λόγος quo nullum regaliorem iustiorēq; principem post ipsius ge
 nitorē nouimus, quē admodum em infirmitatis, paupertatis, ignomi
 nię paternę nemo non recusat heres fieri, sic quicquid rationi non est
 consensu

consentaneum detrectabat quiuis sapiens. prædixit, inquam, hæc omnia noster præceptor, patris domini deiq; filius & apostolus Iesus Christus, à quo Christiani denominati sumus, & cuius doctrina confirmamur, quippe qui uidemus euenire quicquid ille prædixit, id quod Dei opus est. Dixit antequam fieret, & ut prædictum ita factum est. poteram hic desistere in causa tam bona iustaq;, sed quia scio animam oppressam ignorantia nō facile mutari, libet addere pauca in gratiam studiosorum ueritatis, ut hac adhibita proficient ignorantiam. Ergo non esse nos impios, qui omnium rerū opificem colimus, non uictimis & libaminibus ingratis illi ut nouimus, sed precibus, laudibus, gratiarum actionibus pro acceptis beneficijs, hunc solum honorem ipso dignum ducētes, si quicquid in alimentum nostrum largitur, non igne absumamus, sed in nostrum & egenorum usum uertamus: gratitudinem uerò illi approbemus uerbis hymnisq;, quod nati simus, quod ualitudini consultum sit, quod species rerum conseruentur, quod uices annuæ bene succedant, quod immortalitatē sperare ac impetrare liceat: quis sanus non fatebitur? tum cum qui nos hæc docuit, & in hoc natus est, Iesum Christum, crucifixum sub Pontio Pilato in Iudæa procuratore Tiberij Cæsaris, agnoscimus uerū dei filium, & loco secundo colimus, tertiumq; ordine spiritum propheticum: & hunc cultum recta ratione niti demonstrabimus. hac enim parte ut insani reprehendimur, quod post immutabilem illum sempiternum que deum & genitorem cunctorum, secundum locum homini crucifixo tribuamus: sed reprehendimur ab ignorantibus latens mysterium, quod explicantes nos ut attente audiat hortamur. præmonemus enim caueatis ne dæmones à nobis accusati uos decipiant, & mentes uestras auertāt ab intelligendis his quæ dicimus. cōtendunt enim uos seruos suos facere occupareq; exhibendis sibi ministerijs, nunc in somnis obuersando, nunc uersutijs magicis captando eos qui salutem utcunq; desiderant. cuius cupidine nos quoq; rationem secuti, ab illis quidem desciuimus, solum autem deum illum ingenitum sectamur per eius filium, qui pridem scortationibus delectabamur nunc amplexi solam temperantiam: qui magicis artibus utebamur, bono & ingenito deo dicati: qui lucra è pecunijs & prædijs anteferebamus rebus omnibus, nunc priuatas facultates in cōmunem usum proferentes & omnibus egenis impartientes: qui odio prosequeremur nos inuicem, non abstinentes à cædibus, & propter morositatem non epulabamur nisi cum tribulibus, nunc post aduentum Christi mensæ eiusdem participes, etiā pro

pro inimicis precantes, & immerito infensis persuadere conantes, ut iuxta Christi honesta præcepta uiuēdo spem præmiorum accipiendorum ab uniuersorum domino deo æquè ac nos cōcipiant. uerūm ne circumuenire uos uelle uideamur, aliquot ipsius Christi præcepta memoranda sunt antè quàm argumentis agamus: uerūm erit examinare pro potestate regia, num uera didicerimus doceamusq̃. sunt autem sermones eius breues & cōpendiarij. erat enim non sophista, sed mens et uirtus dei. de temperantia sic loquitur: Quicumq̃ aspexerit mulierem ad concupiscendum eā, iam ad alterium commisit corde coram Deo. & Si oculus tuus dexter offendat te, erue eum. præstat enim ut luscus admittaris in regnum cœlorum, quàm saluis ambobus oculis mittaris in ignem æternum. & Qui ducit dimissam ab alio marito, adulteriū cōmittit. & Sunt quidam qui castrati sunt ab hominibus: sunt item qui eunuchi nati sunt: sunt etiam qui seipso castrarunt propter regnū cœlorum. uerūm hoc nō cuius datū est. Siquidē & qui iure humano duas uxores ducunt, peccatores sunt iudice præceptore nostro, & qui spectant mulieres ut alant concupiscentiam. nam non solus factus adulter ab illo reijcitur, sed & qui affectat adulterium, quando quidē cogitationes uel absq̃ effectu deo sunt cognitæ: & multi in utroq̃ sexu reperiuntur egressi annum sexagesimum ac septuagesimum, qui à teneris disciplina Christiana imbuti, perpetuam castitatem conseruauerunt. atq̃ utinam possem tales ostendere in omni genere hominum. quid enim attinet dicere de innumera multitudi-
 tudine reuocatorum per hanc disciplinam à libidinibus? nam nec iustos nec temperantes Christus uocauit ad pœnitentiam, sed iniustos, impudicos, & impios. uerba eius sunt: Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. mauult enim pater ille cœlestis pœnitentiam peccatoris quàm pœnam. De caritate autem eroga omnes docuit hæc: Si diligitis diligentes uos, quid nouum facitis? idem & fornicarij faciūt. at ego uobis dico: Orate pro inimicis uestris, diligite infensos uobis, fausta precamini execrantibus uos. De subleuandis autem egenis & non captanda gloria, sic ait: Omni petenti date, & mutuari uolentem auersari nolite. nam si mutuū datis his à quibus speratis recipere, quid nouū facitis? idem & publicani faciunt. uos autem cauetis condatis uobis thesauros in terra, ubi tineis corrumpantur & rubigine: sed in cœlis condite, ubi nec rubigo uiciet eos nec tinea. quid enim proderit homini si totum mundum lucratus, animam perdiderit? aut quid rependet pro ea? reponite igitur thesauros in cœlis, ubi nec tinea nec rubi-

go uiciat. & Sitis autem boni ac misericordes, sicut & pater uester
 bonus est ac misericors, qui solem suum iubet oriri super pecca-
 tores, & malos æquè ac bonos. nolite igitur solliciti esse quid eda-
 tis aut quid induamini. nōne meliores estis feris & uolucris?
 & tamen Deus alit eas. ne curetis igitur quid edatis, aut quid in-
 duamini. nouit enim pater uester cœlestis quàm opus habeatis
 his rebus. quærite regnum cœlorum, & adiicientur uobis hæc
 omnia, ubi enim thesaurus est, ibi & mens hominis. & Nolite face-
 re hæc ut spectent uos homines, alioqui mercedem non habebitis
 à patre uestro qui in cœlis est. De tolerantia uerò & bene merendi
 studio & cohibenda ira hæc præcipit: Percutienti maxillam, præ-
 be & alteram: & tollenti tuam tunicam aut pallium ne relucteris,
 quisquis autem irascitur reus est ignis gehennæ. angariantem te ad-
 mille passus, sequere ad MM. Luceant uestra bona opera corâ ho-
 minibus, ut ea uidentes mirêtur patrem uestrū cœlestē. Non uult
 enim nos esse contentiosos nec æmulatores malorū, sed ut per to-
 lerantiam & mansuetudinē abducamus reliquos à probris & pra-
 uis cupiditatibus. extant enim apud nos multa exempla proteruo-
 rum & tyrannicorū hominum in melius mutatorum, animaduersa
 uicini patientia, uel comitis à se circumuenti socij uel fraudati mira
 tolerantia. præterea de omni iuramento uitando & ueritate sem-
 per proferenda, sic mādāt. Ne iuretis omnino. Sit autem uestrum
 etiam etiam, & uestrum non sit non. quod autem ultra hæc adiun-
 gitur, ex malo proficiscitur. Quòd uerò Deus solus adorandus sit,
 sic docuit: Maximum mandatum est, Dominum deum tuū adora-
 bis, & illū solum coles ex toto corde tuo, & totis uiribus tuis, Do-
 minum deum qui te creauit. cumq; accedens eum quidā dixisset,
 Magister bone, respōdit, Nemo bonus nisi solus Deus, qui creauit
 omnia. Quicunq; autem secus uiuunt quàm ille docuit, sciant se nō
 esse Christianos, etiam si Christi præcepta in ore habeant. nō enim
 eos qui dicunt tantū, sed eos qui etiam opera faciunt, seruandos
 pronūciat. sic enim ait: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domi-
 ne, intrabit in regnū cœlorū, sed qui facit uoluntatē patris mei cœ-
 lestis. quisquis em̄ audit me, & facit quæ dico, audit eum qui misit
 me. multi aut̄ dicent mihi, Domine Domine, nōne in nomine tuo
 comedimus & bibimus & uirtutes fecimus? tūc dicā eis, Discedite
 à me iniquitatis operarij. ac tūc sequet̄ fletus & stridor dentiū: quā-
 do iusti fulgebūt ut sol, iniusti uerò mittent̄ in ignē æternū. multi
 em̄ ueniēt in nomine meo, externè induiti ouīū pellib. cū intus sint
 lupi rapaces, ex operib. eorū cognoscetis eos. Omnis arbor quæ nō
 facit

facit fructum bonum, exciditur & in ignem mittitur. Vt autē eos qui non uiuunt secundum præcepta illius, contenti Christianos se uocari, puniatis, rogamus etiam. cæterum uectigalia tributa que à uobis instituta ubique ante omnes conamur pendere, sicut nos ipse docuit. Nam in illo tempore accesserunt quidā scitatū ex eo, nū oporteat tributa dari Cæsari. qui respondit: dicite mihi, cuius hic numus habet imaginem? aiūt, Cæsaris. tum ille: reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Sic fit ut Deum solum adoremus, in cæteris rebus libenter uobis subseruiamus, quos agnoscimus reges atq; principes hominum, precemurq; ut cum regia potestate prudentia par coniuncta in uobis appareat, quod si nostras preces absq; omni simulatione dissimulationeq; oblatas contempseritis, nos nullum damnum accipiemus, quippe qui credimus, imò compertum habemus, pro meritis quemque daturum pœnas addictum æternis ignibus, & pro portione uirtutum quas accepit à Deo, rationem redditurum, ut Christus indicauit dicens: Cui plus dedit Deus, plus etiam repetetur ab eo. Considerate finem cuiusq; regum qui decesserunt, mortuorum morte communari poterat. uerum quoniam sensus omnibus natis permanet, & impendent æterna supplicia, nolite fidem abrogare his quæ dicimus, credite uel necromantijs uestris, & puerorum nondum uenerem expertorū uisionibus, euocationibusq; manū, & his quos magi spiritus familiares uocāt immissoresq; somniorum peritisq; talium artium animas humanas etiam post mortem sensu esse præditas: credite idem confirmatibus qui agitantur à defunctorū spiritibus, quos arrepticios & furiosos uulgus uocat: præterea uestris manteis, ut Amphilochio, Dodoneo, Pythioq; & id genus alijs: item scriptoribus, Empedocli, Pythagoræ, Platoni, Socrati, & forsæ Homericæ Vlixisq; descēdēti ad uisendos inferos, & cæteris qui talia prodiderunt: quorum autoritati saltem æquandī sumus, qui non minus, imò magis quàm illi, Deo credimus, & speramus mortua quoq; ac humata corpora nos recepturos, certi Deo nihil esse impossibile. quod nescio cur debeat incredibilius uideri, q̄ si quis nondum inditis corpori nobis polliceretur fore ut è parua seminis humani gutta formentur ossa, carnes, neruiq; quales ex ortos inde uidemus. Fingamus enim aliquem nobis nondum in rerum natura productis quales nunc sumus, ostendere hominis genituram, si mulq; pictam effigiem humanam, & asseuerare illam esse huius originem, num alij crederetis prius quàm uestris oculis? nemo ausit

contradicere, eodem igitur modo quia nondum uidistis quemquā
 rediuitum, grauamini credere. atqui sicut nunquam credidissetis
 posse è tantilla guttula tales ac tantos fieri, & tamen factos uidetis:
 sic cogitate quod dissoluta more feminum & redacta in terrā cor-
 pora hominum, deus resurgere iubebit suo tempore, & immor-
 talitatem induere, nec id illi esse impossibile scilicet ut dignum est
 de potentia dei sentiunt, qui aiunt quemque redire illuc unde or-
 rus est: & ne Deum quidem posse contrā facere. his quid respon-
 debimus, nisi quod liquet eos non fuisse credituros, posse proue-
 nire tales homines quales ipsi sunt: sicut nec totum mundum posse
 se creari qualem nunc uident, præsertim ex his originibus: atqui
 præstiterit credere quæ uel nostræ naturæ uel ceterorum hominū
 sunt impossibilia, quàm similiter non habere fidem reliquis: quan-
 do quidem & nostrum præceptorem Iesum Christū scimus dixisse.
 Quæ hominibus impossibilia uidentur, Deo sunt possibilia. &
 Nolite timere eos qui occidunt uos, nec habēt quid faciāt postea.
 time eū qui potest animā quoque interimere, corpore in gehēnam
 cōiecto. Est autē gehenna locus destinatus pœnis eorū qui malè ui-
 xerunt, nō credentes uera quæ Deus per Christū prædixit. quam-
 uis & Sibylla & Hyfaspis prædixerant res corruptibiles absumē-
 das incendio: Stoici uerò ipsum quoque Deum in ignem dissoluen-
 dum opinantur, atque ita instaurationem mundi futuram. nos crea-
 torem Deum censemus meliorem quàm istas res corruptibiles. Er-
 go cum cōsentiamus præceptis poetis ac philosophis, quædā etiā
 diuina docebamus, nō absque demonstrationibus, cur præ omnibus
 iniuste inuisi sumus? quod enim asserimus Deū cōdidisse ac dispo-
 suisse omnia, Platonis placitū uidemur adducere: Stoicorum uerò
 de exustione. itē quod de animarū post mortem pœnis præmissis
 uel malarū uel bonarū docemus, poetas philosophosque sequi uide-
 mur. de non adorandis artificū operibus Menāder comicus & simi-
 les idem quod nos admonent, cum liqueat opere suo potiorē esse
 opificem. quod uerò tradimus primogenitum illū Dei filiū sermo-
 neque sine coitu natū, & hūc post crucē mortemque in coelū sublatū,
 nihil diuersum est ab his quæ feruntur apud uos de Iouis filiis. scia-
 tis quæ multos liberos ei scriptores celebres attribuāt: Mercurium
 interpretem facultate quiduis docēdi præditum, Æsculapium cur-
 ratorem ualitudinis prius de coelo tactum quàm raptum in coelū,
 Bacchum uerò discerptum, Herculem tedio laborum à seipso pro-
 iectum in rogam, è Leda susceptos gemellos Castores, & è Dana-
 e Perseum, uectatum que per aera Pegaso equo Bellerophon-
 tem.

tem. quid memorem uel Ariadnen uel similes relatos inter sidera: imperatores uestros nonne post mortem consecratis, & produci- tis aliquem qui iureiurando affirmet se uidisse è rogo in cœlum a- scendentem exustum Cæsarem? nec opus est apud gnaros recense- re gesta singulorum Iouis filiorum, conscripta ut exemplo profint instituendis alijs. honestum enim existimatur ad imitationem deo- rum se componere. absit autem ab anima sobria talis de dijs cogi- tatio, ut & ipsum rectorem sicut putant genitoremq; omnium Iou- uem, patricidam & è tali patre progenitum fuisse, impotentisq; libi- dine in stuprum Ganymedis & multarum foeminarum adulteria prouectum, quemadmodum & ipsius filios, credatur. sed ut antea dixi, mali dæmones ista fecerunt. nos autem didicimus immortalitatem eorum tantum esse qui honeste sancteq; coram Deo uix- erunt, malis contra pœnas æternas deberi, ni maturè mentè melio- rem assumant. cæterum Dei filius Iesus, etiam si tantum uulgaris ho- mo esset, propter sapientiam filius dei iuste diceretur. nam patrem hominumq; deumq; omnes scriptores Deum appellant. cum ue- ro peculiariter, non more cœmuni progenitum ex Deo dicimus Dei sermonem, ut supra audistis, agnoscitis simile quiddam in uestro Mercurio, quem sermonem internuncium dei dicitis. quod si cru- cifixus displicet, hoc quoq; cœmune habet cum cladibus supradic- torum Iouis filiorum, si uera narrant uestri autores. nam & illorū varias mortes legimus, ut nec quatum ad passionem attinet huius nostri conditio sit deterior, imò potior etiam, sicut procedente ser- mone demonstratos nos polliciti sumus. ex actis enim iudicium fit de præstantia. porro quod è Virgine natum credimus, idè apud uos fertur de Perseo. itè quod dicimus eum claudos, paralyticos, à natiuitate cæcos persanasse, mortuos ad uitam reuocasse, hæc si- milia uidentur illis quæ iactantur de Æsculapio. ut autem iam de- claremus uobis, quod quæcunq; loquimur instituti à Christo & prophetis qui eum antecesserunt, sola uera sint & antiquiora scri- ptoribus omnibus: & quod nostra placita, non ut uestris consona sed ut uera admitti postulemus, nempe à Iesu Christo accepta, qui proprie filius dei primogenitus, mens, uirtusq; ipsius, ex uolunta- te patris homo factus hæc nos docuit, ad liberandum & in uiam re- ducendum genus humanum: & quod priusquam ille inter homi- nes uersaretur, quidam instincti à prædictis dæmonibus & abusi- uo poetarum opera, sparserunt pro rebus gestis fabulas à se cœfictas, quemadmodum hodieq; conantur nos reddere infames opprobran- do impia facinora, quorum nec testis extat nec probatio: his argu-

mentis utemur. Primū quod quamuis cū Græcis cōsentiamus, soli sumus exosi propter Christi nomen, & innocentes tanquam scelerati è medio tollimur, cū nō desint qui colant arbores, fluuios, mures, feles, crocodilos, & bruta plurima, nō eadem ubiq; sed alibi alia, ut ipsi seinuicem reos impietatis agāt propter diuersas religiones, quod solum crimen nobis obijcitis, non eadem uobiscum numina uenerantibus, & quod defunctorum manibus nidores ac libamina, eorumq; monumentis coronas & inferias nō offeramus. nostis enim easdem animantes alibi pro dijs, alibi pro bestijs haberi, alibi pro uictimis legitimis. Alterum argumentum est, quod soli mortaliū ne mortis quidem formidine adigi potuimus ut coleremus Liberum Semeles, & Apollinem Latonæ filios probrosos puerorum amoribus, aut Proserpinam Veneremq; insano amore Adonidis ceu cestro percitas, quarū celebratis mysteria, aut Esculapium alium ue deū ficticiū: sed fauente Iesu Christo hos contempsumus, dicantes nos Deo ingenito & intacto passionibus: quē scimus non ardere Ganymedem aut Antiopem similesq; scēminas, nec ad Thetidis preces uinculis solui succurrente illo centimano, nec in eiusdem nymphæ gratiam soliciū ne Achilles iratus ob creptam concubinam Briseida multis Græcorū sit exitio: & ideo miseret nos talia credentium, quippe qui nō ignoramus huius credulitatis autores dæmonas. Ad do tertiū, quod post Christi ascensionem in cœlū hīdem genij subornarunt quosdā homines qui se pro dijs gererent: qui honores etiam apud uos consecuti sunt, tantum abest ut pulsī fuerint: sicut Simonem quēdam Samaritam ortum è Gitta oppido, qui sub Claudio Cæsare subnixus ope dæmonū, & fretus magicis artibus, in hac urbe regia deus est habitus, & quasi deus honoratus statua posita in Tiberi inter duos pontes cū hoc Latino titulo, SIMONI DEO SANCTO, quem fermè omnes Samaritæ, & aliquot etiam in alijs nationibus, tanquam primarium Deum adorant atq; celebrant, unā cum Helena quadam quam tunc circumducebat, antea publicè prostitutam, quam ipsi appellant primam intelligentiam. Menandrum etiam æquē Samaritam, huius Simonis discipulum, instructum uiribus dæmoniacis & profectū Antiochiam multos arte magica decepisse nouimus: quibus etiam persuasit, nunquam morituros suos discipulos sectatores que: & reperiuntur nunc quoque quibus hoc persuasum sit. Marcio uerò quidam Ponticus hodiē que suos docet alium quendam maiorem creatore Deum credere, impostor & ope dæmonum seducens homines, qui multis blasphemandi autor fuit & negandi rerum conditorem

ditorem Deum, & maiora quædam iactandi de illo quem maiore
 finxerunt. horum omnium sectatores, ut dixi, Christiani uocantur,
 quemadmodum & diuersorum dogmatum doctores communi
 censentur philosophorum nomine. an autem in eos illa nefaria
 competant quæ sparguntur uulgi fabulis, de lucernæ subuersio-
 ne & promiscuo concubitu, de que uorandis humanis carnibus,
 compertum non habemus. hoc scimus, à uobis eos nec prehendi
 nec interfici, ne propter dogmata quidē. ipse scriptū habeo quod-
 dam opusculum aduersus omnes quæ hactenus extiterunt hæ-
 reses, quod exhibebo si uobis placet cognoscere: nostra uerò do-
 ctrina non sinit quemquam esse molestum aut iniurium, ac ne in-
 fantes quidam fas putat exponere. primū quia uidemus exposi-
 tios ferè omnes prostitui, non solum puellas sed & masculos: &
 sicut prisca pascebant greges caprarum, ouium, bouum, equarumq̃:
 ita nunc & pueros ali tantum in turpem usum, similiter que puel-
 las, prostare que oppidatim effeminatos atque propudiosos: ex
 quorum mercedibus colligitis uectigalia, cum deberetis excinde-
 re hoc genus ex orbe habitabili: quando qui à talibus nō abstinēt,
 præterquā quod polluuntur nefarijs cōplexibus, in natos suos aut
 cognatos aut germanos incidunt. nec desunt qui filiarum lenones
 sunt & coniugū, aut castrantur ut profiteantur impudiciā, & ma-
 tris deūm sacris se iniiciant: omnibusq̃ uestris dijs serpentes appin-
 gitis, ceu magni mysterij symbolū: & quæ propalā patris atq̃ a-
 deo colitis, ceu extincto diuino lumine, nobis adscribitis: quod nō
 nos ledit alienos ab hac culpa, sed eos potius qui ipsi patrātes talia
 nos insuper falsis premūt testimonijs. apud nos em̄ princeps malo-
 rum dæmonū serpens uocat & satanas & diabolus, sicut licet ex no-
 stris cōmentarijs cognoscere: quē in ignem mittendū cū exercitu
 suo seductisq̃ hominibus, & per infinita secula puniendū, Christus
 prædixit. quod autē Deus differt suū iudiciū, id facit in gratiā huma-
 ni generis. præuidet em̄ quosdā seruandos per pœnitentiā, & in his
 fortasse nondū natos nōnullos. qui principio præditū intellectu, et
 scientē eligere uera felicitatēq̃ sectari cōdidit hominē, nequis apud
 Deum excusationē habeat. mētis em̄ & contemplationis facti sunt
 cōpotes. quod si quis Deū ista curare nō putat, aut nullū esse dicat,
 aut delectari uicijs, aut torpere lapidi similē: uirtutē porro ac uiciū
 esse inania nomina, boni uerò mali ue nihil nisi dūtaxat opiniōe ho-
 minū: qua impietate iniquitateq̃ nulla est grauior. Rursum ne quis
 expositus & à nemine collectus enecet, & hiamus homicide, aut nu-
 ptijs ppter educandos liberos tantū utimur, aut omnino abstinētes

à complexibus in perpetua cōtinentia degimus, & extitit inter nos
 stros qui ut uobis persuaderet falsum esse quod fertur de promi-
 sca uenere in nostris mysterijs, per libellum oblatum Felici Alexā-
 driæ præsidī, postulauit execari sibi chirurgi opera testiculos, ne-
 gabant enim eius urbis medici licere hoc sine permissu præsidis.
 cumq; Felix nolisset subscribere, iuuenis integritati suæ relictus
 contentus fuit sua suorumq; conscientia. Non alienum autē à pro-
 posito fuerit etiam Antinoi recens consecrati mentionem facere,
 quem pro deo fermè omnes uenerantur metu coacti, quāuis sciant
 quis & unde oriundus fuerit. Sed nequis obijciat, fieri posse ut &
 noster Christus homo natus ex hominibus, ostentatis magicæ ar-
 tis prodigijs, ideo filius Dei sit habitus, probationes iā afferemus,
 fidem adstruendo non ex sermonibus, sed ex priscorum propheta-
 rum oraculis, quibus propter euetus manifestos necessum est cre-
 dere, quod quidem maximum argumentum est & certissimum, ue-
 stro quoq; nī fallor iudicio. Fuerunt quondā apud Iudeos uiri pro-
 phetæ, per quos spiritus fatidicus futura prænucciavit ante multa
 secula: eorum prophetias Iudæi reges ætate quisq; sua, diligenter
 per ipsos uates mādatis Hebraicis literis, coemerūt adseruādāsq;
 curauerunt. ubi uerò Ptolemæus Ægypti rex bibliothecam cœpit
 instruere, conatus quicquid usquam gentium scriptum esset conge-
 rere, admonitus & de his prophetijs, per literas petijt ab Herode
 rege Iudæorum, ut eorum librorum copiam sibi faceret. is Hebrai-
 cè scriptos transmisiit: & quoniam non intelligebantur Ægyptijs,
 rursus Ptolemæus interpretes petijt qui Græce uerterent. quo im-
 petrato factum est ut ad nostram ætatem usq; maneat hi libri apud
 Ægyptios, quales ubiq; apud Iudæos inueniuntur. qui tamē quæ
 legunt nō intelligūt, sed inimicos nos hostesq; suos existimant: nō
 minus quā uos sæui & infensi, ita ut excruciatos interimant quo-
 ties datur occasio, sicut percontando potestis discere. namq; proxi-
 mo bello Iudaico Barchochebas, defectionis eius autor, solos Chri-
 stianos grauissimis tormentis subiiciebat, & nisi Iesum Christū ne-
 garent blasphemarentq;, afficiebat supplicijs. In eorum propheta-
 rum libris inuenimus prædictum, uenturum qui natus ē Virgine,
 & ad uirilem ætatem prouectus, omnes morbos languoresq; sarta-
 ret, resuscitaretq; mortuos, ignotus, & inuisus usq; ad crucis suppli-
 cium, uidelicet Iesum nostrum Christum: eundemq; rediuuium as-
 scensurum in cœlum, appellatum id quod est Dei filium: tum uerò
 mittendos ab eo in omnes gentes harum rerum præcones, quibus
 ethnici homines magis quā cæteri credituri sint. prædixerūt au-
 tem

tem hæc uates qui antecesserunt eum quidam quinque annorum mi-
 libus, alij tribus duobus uel milibus, aut decc. annis qui minimum.
 nam secundum ætatum successiones alij alio floruerunt tempore.
 Moses certe prophetarum antiquissimus sic ad uerbum loquitur:
 Non deficiet princeps è Iuda, neque ductor ex femoribus eius, do-
 nec ueniat cui repositum est. is erit expectatio gentium: ligans ad
 uitem pullum suum, lauans in sanguine uuae stolam suam. uestrum
 igitur est accuratè quærere ac cognoscere, quousque res Iudæo-
 rum administratæ sint per proprios reges atque principes: uide-
 licet usque aduentum Iesu Christi nostri præceptoris, & obscura-
 rum prophetiarum interpretis, sicut prædictum fuerat per diuinum
 spiritum sanctum & propheticum, Mose pollicente non defectu-
 rum principem ex Iudæis, donec ueniat is cui regnum est repositum.
 Iudas enim gentis Iudæorū est conditor, à quo & denominatur:
 uos post Christi aduentum terram Iudæam gentisque regnum feci-
 stis imperij prouinciam. cæterum hæc uerba, Ipse erit expectatio
 gentium, significant futuros in omnibus gentibus qui expectent se-
 cundum eius aduentum, id quod uestris oculis potestis credere.
 apud omnes enim nationes expectatur is qui in Iudæa crucifixus
 est, post cuius mortem terra Iudæorum in uestram potestatem
 & ditionem armis redacta fuit. Illud uero, Ligans ad uitem pul-
 lum suum, & lauans stolam in uuae sanguine: præsignabat quæ-
 dam euentura Christo & ab ipso gerenda: pullus enim asinæ sta-
 bat in aditu cuiusdam uici ad uitem alligatus, quem per suos fami-
 liares adduci sibi iussit: & eo uectus Hierosolyma, ubi erat maxi-
 mum illud templum Iudæorū, quod uos diruistis postea, mox cru-
 cifixus est ut prophetiæ reliquum ratum fieret. nam hæc, Lauans
 stolam suam in uuae sanguine: prænunciabant genus futuri obitus
 quomodo per sanguinem expiaturus erat credentes sibi. nam sto-
 la quam diuinus spiritus per prophetam nominat, sunt homines qui
 credunt ei in quibus habitat à deo demissum semen, sermo uideli-
 cet. nam qui dicitur uuae sanguis, significat uenturum qui habeat
 quidem sanguinem, sed ex diuina potentia, non ex humano semi-
 ne. prima autem uirtus seu potentia post patrem omnium & domi-
 num Deum, est ille sermo filius, qui quodammodo caro factus ho-
 mo natus est, ut dicemus postea. quemadmodum enim uuae sangui-
 nem non homo fecit sed deus, ita etiã hic præsignabatur, ex dei po-
 tentia non ex humano semine nasciturum sanguinem de quo lo-
 quimur. item alius propheta Esaias rem eandem aliter canit uer-
 bis his: Orietur stella ex Iacob, & flos ascendet è radice Iessæ, &
 in bra-

in brāchium eius gentes sperabunt. Hæc lucida stella, & flos è radi-
 ce Iessæ ortus, est Christus noster. editus est enim ex Virgine ori-
 unda à semine Iacob principis inter Iudæorum progenitores, gra-
 uida facta per dei potentiã, atq; ita Iessæum inter priscos proauos
 iuxta oraculum habuit; Iacobi uerò Iudæq; filius fuit propter seriẽ
 stemmatis. audite ipsa uerba Esaiæ de futuro partu Virginis, ait e-
 nim: Ecce uirgo concipiet & pariet filium: & dicent in eius nomi-
 ne, Nobiscum deus, quæ enim uidebantur apud homines nec possi-
 bilia nec credibilia, hæc Deus futura præmonstrauit per prophe-
 ticum spiritum, ut postquam euenissent, fidem inuenirent, & uel
 propter prædictiones crederentur. uerum ne à quibusdã prophe-
 tas non intelligētibus idem nobis obijciatur quod ipsi obieciunt
 poetis narrantibus descensus Iouis ad mulieres complexuum gra-
 tia, apertius differere conabimur. Verba illa, Ecce uirgo cōcipiet,
 significant non ex coitu concepturam uirginem: alioqui non esset
 uirgo amplius, sed uirtutem Dei superuenientẽ uirgini obumbra-
 turam eam, ut salua uirginitate fiat grauida: sicut missus tunc ad ip-
 sam angelus attulit ei lætum nuncium dicens: Ecce concipies è spi-
 ritu sancto, & paries filium, qui altissimi filius uocabitur: & impos-
 nes ei nomen Iesum: is enim saluum faciet populum suum à peccatis
 eorum: ut proditum est in commentarijs de rebus seruatoris no-
 stri Iesu Christi conscriptis, quibus credimus: quandoquidem per
 eundem Esaiam spiritus propheticus id tanto antè prædixit, ut su-
 præ indicauimus. eum spiritum eamq; uirtutem nefas est intelligi
 aliud esse, quàm uerbum illud Dei primogenitum, sicut supradic-
 ctus propheta Moses docuit. hoc superueniẽs obumbransq; Vir-
 ginem, non per coitum, sed per uirtutem, eam prægnantem reddi-
 dit. cæterum Iesus Hebræis idem quod Græcis Soter, id est, seruato-
 tor sonat. quapropter angelus dixit Virgini: Et impones ei nomẽ
 Iesum: is enim saluum faciet populum suum à peccatis eorũ. quod
 autem propheta non alio numine rapiantur quàm sermone diuini
 nõ, ne uos quidem opinor negabitis. Natale autem eius solum quo
 modo à propheta Michæa prædictum sit audite. Et tu Bethleẽ ter-
 ra Iudæ, haudquaquam minima es in principibus Iudæ, ex te enim
 proditurus est dux, qui rectorus est populum meum. id castellum
 est Iudææ, stadia xxxv. disitũ à Hierosolymis, in quo Iesus Chri-
 stus natus est, sicut cognoscere potestis ex censu factõ sub Quiri-
 nio, qui primus in Iudæam procurator missus est. Quòd autẽ Chri-
 stus in obscuro futurus esset à natiuitate usq; uirilem etatem, ita ut
 euenit prædictum audite, carmen sic habet: Puer natus est nobis,
 & ados

& adolescens datus est nobis, cuius principatus est in humeris. id significabat uirtutē crucis, cui suspēsus adhæsit humeris, sicut procedente sermone declarabimus. Rursum idē propheta Esaiās afflatus spiritu fatidico sic canit: Expandi manus meas ad populū incredulū & obloquutorē, ad ambulātes in uia nō bona, postulant nūc à me ius, & audent adire Deū. Rursum alibi per aliū prophetā sic loquitur: Perfoderunt mihi manus pedesq̄, & super uestimenta mea miserunt sortem. certe David rex & propheta, qui hæc dixit, nihil tale passus est. Christus autem manus expandendas in cruce ludæis præbuit, obloquentibus & Christum eum esse negātibus, nam iuxta prædictionem prophetæ per ludibrium collocarunt eū in tribunali acclamantes: Redde nobis ius. Illud autem, Perfoderunt mihi manus pedesq̄, intelligitur de clauis quibus eius manus pedesq̄ cruci affixi fuerunt, & post sublatum in crucem missis super eius uestimenta sortibus, diuiserunt ea sibi ceu operę præmiū. id ita factum potestis cognoscere ex actis Pontij Pilati. Præterea quomodo asinæ pullo inuectus sit in urbem Hierosolyma, prædixit alius propheta uerbis his: Lætare ualde filia Sion, clama filia Hierusalem: ecce rex tuus uenit ad te mitis, sedens super asinam, & pullum iumento genitum. Quoties autem uerba prophetarū auditis ex persona ipsorum, nolite putare ab ipsis dici afflatis, sed à sermone illo diuino quo agitantur. is enim aliquando futura prædicat, aliquando quasi ex persona domini omnium patrisq̄ Dei loquitur, aliquando tanquam ex persona Christi, aliquando tanquā ex persona populorum respondentium Domino, aut patri eius, quale quiddam licet etiam apud uestros scriptores uidere, cum unus sit autor operis, uarias tamen personas loquentes induci, id quod non intelligentes ludæi penes quos sunt prophetarum uolumina, adeo non credunt Christi aduentum, ut nos quia uenisse illum contendimus, & ita ut prædictū fuerat crucifixū fuisse, proferantur odio. quod ut clarius percipiatis, per supradictum Esaiā prophetā ex persona patris hæc uerba proferuntur: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israel autē me nō cognouit, & populus meus nō intellexit. Væ uobis gēs peccatrix, popule plene peccatis, semē nequā, filij iniqui dereliquistis Dominū. Rursum alibi ppheta idē æquē ex persona patris dicit: Qualē domū mihi ædificabitis, ait Dominus? Cælū mihi soliū, terra scabellum pedū meorum. Rursum alibi: Calendas uestras & sabbata odit anima mea, & magnum diem ieiunij seriasq̄ non fero: neq̄ si ueneritis in conspectum meum exaudiam uos. plenæ sanguine manus

manus uestræ, si obtuleritis simillam thus' ue, abominatio mihi est, adipem agnorum & sanguinem taurorum nolo. quis enim requisit ista de uestris manibus? Dissolue omnem obligationem iniustam, dilacera pacta de grauantia, nudum & tecto carentem operi. Frange esurienti panem tuum. Hinc potestis intelligere qualia sint quæ Deus per prophetas præcipit. Quædo aut ex persona Christi loquitur spiritus propheticus, ita clamat, Expãdi manus meas ad populum incredulum & obloquutorẽ, ad ambulantes in uia non bona. & rursus, Dorsum meum præbui flagellis, & maxillas meas az lapis: faciem autem meam non auerti à foeditate sputorum: & Dominus adiutor mihi factus est, propterea non confundebar, sed obfirmaui uultum meum tãquam petram solidam, & cognoui quòd non pudefiam, quia prope est qui iustificat me. Rursus cum dicit: Ipsi iecerunt sortem super uestimenta mea, foderunt manus & pedes meos, ego autem obdormiui & sopitus sum, ac mox resurrexi, quoniam Dominus sustentabat me. Rursus cum dicit: Locuti sunt labijs, innuebãt capite dicẽtes, Eripiat seipsum. Quæ omnia Christum à Iudæis pertulisse potestis discere. crucifixum enim subsannabant distortis labijs, & mouẽdo capita dicebant: Qui mortuos resuscitauit, seipsum liberet. Quando autem more prophætæ uaticinatur futura diuinus spiritus, sic canit: Egredietur enim è Sion lex, & sermo Domini ex Hierusalem, & iudicabit inter gentes, & populum multum arguet. tunc recudent in aratra gladios, & in falces lanceas: & non sumet gens contra gentem gladium, neq; discẽt amplius bella gerere. Id ita euenisse percontãdo potestis cognoscere. è Hierusalem enim uiri duodecim numero in mundũ egressi sunt, & hi quidem idiotæ, ad eloquentiam parum idonei: sed adiuti diuina potentia declarauerũt uniuerso humano generi, se à Christo missos ut omnibus uerbum Dei prædicarent. ita factum est ut qui prius in nos grassabamur mutuis cædibus, nunc emori malimus propter Christi confessionem, quàm aut mentiri, aut inquisitores fallere: alioquin in promptu erat usurpare illud uulgatum: Iurata lingua est, animus iniuratus est.

Ridiculum sanè fuerit, milites in delectibus oblitos patriæ, domesticorum, parentum, salutisq; propriæ, uobis sacramentum dicere, qui nihil eis præstare potestis durable: nos uerò immortalitati deuotos non omnia perferre ut cõcupitã accipiamus ab illo qui eam largiri potest. Audite quid & de præconibus eius doctrinæ nuncijsq; aduentus, idem regius propheta prædixerit afflatus fatidico spiritu: Dies diei eructat uerbum, & nox nocti annũciat scientiam.

tiam. Non sunt loquelæ nec sermones quorū nō audiantur uoces eorū. In omnē terrā exiuit sonus eorū, & in fines orbis terræ uerba eorū. In sole posuit tabernaculū suū, & ipse tanquam sponsus egrediens est thalamo suo, exultabit ut gigas ad currendū per uia suam. Nec alienū ab instituto nostro fuerit alias etiā prophetias Dauidis hic subiūgere, ex quib. licet discere quomodo uiuere homines doceat spiritus ppheticus: & quomodo prænūciet Herodis regis ipsorūq; Iudæorū conspirationē cū Pilato uestro pcuratore huiusq; militibus contra Christū nostrū dominū, deniq; credituros ei homines nationū omniū: tum quod Deus eū appellet filiū, promittēs se subditurū ei omnes aduersarios: & quo pacto demones quantū in ipsis est, patris omniū dominiq; Dei, Christi q; ipsius potestātē conētur effugere: & quomodo ad pœnitentiā Deus omnes reuocet, prius q̄ ueniat illa dies iudicij. uerba sunt hæc: Beatus uir qui nō abiit in consilio impiorū, & in uia peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiae nō sedit. Sed in lege Domini uolūtas eius: & in lege eius meditabit̄ die ac nocte. Et erit tanquā lignū quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructū suum dabit in tempore suo. Et folium eius nō defluet, & omnia quæcunq; faciet prosperabuntur. Non sic impij non sic, sed tanquam puluis quem proijcit uentus à facie terræ. Ideo non resurgent impij in iudicio, neq; peccatores in consilio iustorum. Quoniam nouit dominus uia iustorum. & iter impiorū peribit. Quare fremuerūt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterūt reges terræ, & principes cōueniunt in unū aduersus dominū & aduersus Christū eius. Disrumpamus uincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum. Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus sublannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctū eius, prædicās præceptū eius. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatē tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in uirga ferrea, & tanquam uasa figuli confringes eos. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de uia iusta: Cū exarserit celeriter furor eius, beati omnes qui cōfidunt in eo. Rursus aliud uaticinium de Christo post crucem regnatura spiritus propheticus per eundem Dauidem edidit ad hunc modum. Cantate Domino omnis terra, annunciate de die in diem salutare eius. Quoniam magnus Dominus &

laudabilis ualde, terribilis super omnes deos. Quoniam omnes di-
gentium simulacra sunt dæmonum, Deus autem coelos fecit. Con-
fessio & pulchritudo in conspectu eius, fortitudo & magnificētia
in loco sanctificationis eius. Date gloriā Domino patri seculorum
assumite gratiā & introite ante faciē eius, & adorare in atrio sancto
eius. Timeat à faciē eius uniuersa terra, & corrigatur & nō cōmo-
ueatur. Lætentur gentes, quia de ligno regnauit Dominus. Intera-
dum autem spiritus propheticus futura quasi iam facta narrat, ut è
superius recitatis æstimare licet, quæ res ne lectori facessat negotiū
explicabitur. Quæ omnino decreta sunt, prædicuntur quasi iam fa-
cta, id quo magis intelligatis, animū aduertite. David qui M. D. an-
nis Christum natum passumq; antecessit, modo citata cecinit: ante
huius ætatem nemo crucifixus læticiā gentibus attulit, imò ne po-
stea quidem, solus noster Iesus Christus crucifixus ac mortuus res-
surrexit, & in coelum sublimis euectus regnauit, prædicatusq; a-
pud omnes gētes per læta nūciantes Apostolos, expectatione pro-
missæ immortalitatis eas exhilarauit. Cæterum ne quis nostra di-
cta sic accipiat, quasi fati necessitatē asseramus, & quæ fiūt ideo fie-
ri quia prædicta sunt, explicabimus hoc quoq;. Pœnas ac præmia
pro dignitate operū cuiq; reddi uerum est, & compertum ex pro-
phetarum oraculis, alioquin si fato regerentur omnia, nihil omni-
no relictum esset in nostra potestate, nam si fatali lege alius bonus
esset alius malus, nec laudem ille, nec hic mereretur uituperium. &
nisi homines arbitratui suo possunt turpia fugere, honesta sectari,
extra culpam erunt quicquid agant, cæterum quòd libera uolun-
tate uel peccent uel officium faciant, sic demonstrabimus. Eundē
hominem uidemus occupatum cōtrarijs studijs, quòd si fatale es-
set hunc aut malum aut probum esse, non esset capax contrariorū,
nec mutaretur sæpius, imò nec perpetuo malos aut perpetuo pro-
bos ad fatū referimus, ceu causam probitatis aut maliciæ, alioquin
uera esset opinio cuius suprā mentionem fecimus, nihil esse uirtu-
tem & uicium, sed existimatione sola pro bono malo ue haberi:
quæ opinio plena impietatis & iniquitatis conuincitur ueris ratio-
nibus, nos immutabilem fati legem hanc censemus, malos pœnas,
bonos præmia, pro meritis recipere. Hominem enim longè alia
quàm arbores aut quadrupedes, discernendi eligendiq; facultate
carentes, conditione creauit Deus, alioqui nullam laudem mereri
potuisset, si non sponte uirtutem prætulisset uicio, sed ut uirtu-
ti natus, neq; si malus fuisset pœnam merebatur, cum non suapte
natura talis esset, qua inuita nequit esse alius, Didicimus autē hæc à
sancto

sancto prophetico spiritu, quo afflatus Moses narrat Deū sic locu-
 tum recēs à se ficto homini: Ecce ante faciē tuā bonū & malū, tu bo-
 nū eligito. Itē Esaias alius ppheta ex persona patris dominicę om-
 nium Dei sic loquitur: Lauamini, mūdi estē, auferite malicias à uestris
 animabus, discite bonū facere, pupillis uiduisq; suū ius reddite: &
 tū agite disceptemus, dicit Dñs. Si fuerint peccata uestra ut cocci-
 nū, tanquā lanā reddā ea candida: sin fuerint ut pānus puniceus, ni-
 ue candidiora faciā. Si uolueritis, & meā uocē audieritis, bona terre
 comedetis: quod si nō exaudieritis deuorabit uos gladius. nam os
 Dñi hæc loquitur est. Quod aut dicit, Deuorabit uos gladius: non
 eadē minā contumacibus: sed Dei gladius est ignis, cuius pabulū
 sunt patratores malorū operū. Ideo dicit, Gladius uos deuorabit:
 nā os Dñi hæc loquitur est, qui si de secante ac mox desinēte gladio
 loqueret, non diceret Deuorabit. Itaq; Plato cum ait: Culpā penes
 eligentē est, Deus uerō extra culpā: à Mose ppheta mutuatus est
 hanc sententiā. Moses em̄ antiquior est omnibus Græcorū scripto-
 ribus: & quicquid de immortalitate animorū, de pœnis inferorū et
 rebus cœlestibus aut id genus alijs philosophi uel poetæ prodide-
 runt, à prophetis occasione acceperūt tam sentiēdi q̄ eloquēdi tā-
 lia. Sic fit ut his omnib. inesse uideant quædā ueritatis semina: sed
 quādo scribūt inter se pugnātia nō satis se intellexisse indicāt. Itaq;
 dū pphetas futura prædixisse dicimus, nō fati necessitatē asserimus,
 sed dei præscientiā, qua notū est illi quicquid homines faciūt. cūq;
 his persuasum sit quēq; recepturū quod meruit, Deo pensante ma-
 lam bonā ue operā, per spiritū prophetiū præmonet, quo magis at-
 tentos reddat ac memores, cordi sibi res eorū esse ostendēs quibus
 ita prospiciat: sed instinctu malorū dæmonum capitalis pœna de-
 creta est, Sibyllinorū carminū & Hystaspis prophetarūq; lectori-
 bus, ut periculo deterrerētur à cognitione rerū bonarū, & in serui-
 tute retinerent: quod tamē illi nō potuerūt efficere. nā intrepidē nō
 solū uersamus ea uolumina, sed & uobis ut uideatis cōsiderāda præ-
 bemus, nō dubitātes placitura omnibus. imō si uel paucis persuade-
 rimus, pro ingēti lucro reputabimus, recepturi mercedē ab hero, si
 cut boni agricolæ. Quod autē Christū ex mortuis excitatū subdu-
 cturus fuerit in cœlū Deus pater omniū, ibiq; detenturus donec fe-
 riat omnes dæmonas eius inimicos, cōpleaturq; numerus honorū
 iam olim electorum, propter quos nondum quicquam decretum
 est, audite canentem prophetam Dauidem: Dixit Dominus Do-
 mino meo, sede à dextris meis, Donec ponā inimicos tuos scabel-
 lum pedum tuorum. Virgā uirtutis emittet tibi Dominus ex Hie-

iusalē, dominare in medio inimicorū tuorū. Tecū principiū in die
 uirtutis tuæ in splendoribus sanctorū tuorū: ex utero ante luciferū
 genui te. Itaq; illud, Virgā uirtutis emittet tibi ex Hierusalē. præ
 nūciabat sermonē ualidū, qui per apostolos Hierosolymis profere
 ritos in omnes terras prædicatus est, & quāuis capitale sit uel docere
 re hāc doctrinā uel Christi nomē profiteri, nos tamē id ubiq; com
 plectimur pertinaciter & docere nō desinimus. Quod si uos quoq;
 infensis animis hāc defensionē legeritis, nihil amplius potestis (ut
 prædiximus) quā occidere: id nobis nihil damni dabit, uobis ue
 rō & omnibus iniustas inimicicias exercētibus, nec respiscētibus,
 per ignē æternū cruciatus afferet. Ne autē quidā insipientes refuta
 re nostram doctrinam conentur dicantq;, etiam nostra cōfessione
 Christū natum sub Quirinio, docuisse uerō aliquāto post sub Pon
 tio Pilato: atq; ita eximāt culpæ omnes natos superioribus seculis,
 occuremus huic dubio. Christū primogenitū Dei didicimus, eun
 dē mentē esse demonstrauimus, cuius totū genus humanū est para
 ticeps: & qui cum ratione uixerūt, Christiani sunt, etiā si nō nouis
 se deū existimati sint: quales apud Græcos Socrates, Heraclitus al
 liq; similes: apud barbaros Abrahā, Ananias, Azarias, Misael, E
 lias, & multi alij, quorū nomina & res breuitatis causa nūc nō per
 cenfebimus. itaq; & iā illi, qui ante Christū natū uixerūt sine ratio
 ne, & xensoi & inimici Christo erāt, homicidæ ductū rationis sequē
 tiū, at sectatores rationis: Christiani, fortes, imperterritiq; perma
 nēt. Quā autē ob causam per potentiā uerbi iuxta patris omniū do
 miniq; Dei uoluntatē ex Virgine homo natus & Iesus nominatus
 sit: cur in cruce mortuus resurrexerit & in coelū ascēderit, ex antedi
 ctis prudēs quiuis poterit deprehēdere. nōs quia hæc ad præfens in
 stitutū pprie nō pertinent, ad necessarias eorū quæ diximus pro
 bationes accedemus. audite igit̃ spiritū propheticū quid de Iudæo
 rū terrę uastitate prædixerit. accipiēda sunt autē eius uerba ex perso
 na populorū factū id demirantiū. Facta est desertū Sion, tanq; soli
 tudo facta est Hierusalē, in exemplū execrationis uersa est domus
 sanctuarij nostri, & maiestas eius cui fausta precati sunt patres nos
 stri cōflagrauit incēdio, & omnis claritas eius corruit: & hæc tole
 rasti silentio, afflixisti q; nos uehementer. Deuastatā autē esse Hie
 rusalem iuxta hoc uaticinium ipsi scitis, quin & Esaias eandē uasti
 tatem prædixit, & quod non permittetur eō redire habitatoribus
 pristinis, uerba eius sunt hæc: Terra eorum deserta, in conspectu
 eorum, hostes fructus eius deuorabunt, nec supererit qui habitat
 in ea. Quod autem custodes adhibueritis, & omnem Iudæum,
 in ca

in ea repertum capite plecti iusseritis, nō ignoratis. item quod omnes morbos sanaturus, mortuos quoque ad uitam reducturus esset Christus noster, audite uatum præconia. Sunt autem hæc: In aduentu eius saliet claudus ut ceruus, & lingua mutorum diserta fiet, cæci uisum recipient, leprosi mundabuntur, mortui resurgent & obambulabunt. Hæc ita gesta esse, ex monumentis temporum Pontificij Pilati licet uobis cognoscere. nunc audite quid prænunciet idem spiritus propheticus de eius nece ac cæterorum in illum sperantiū. uerba uatis Esaiæ sunt hæc: Ecce quomodo perijt iustus, & nemi cordi est: uiri iusti tolluntur, & nemo considerat, à facie iniusticie sublatus est iustus, & erit in pace sepultura eius, sublatus est de medio. Rursum idem Esaias canit quomodo qui non expectauerunt eum populi gentium, adorabunt eum: qui uerò semper expectant Iudæi non agnoscent aduentum eius. loquitur autem ex persona ipsius Christi sic: Conspectus sum non scitantibus de me, inuentus sum non quærentibus me. Dixi: Ecce adsum, gentibus quæ non inuocarunt nomen meum. expandi manus meas ad populum incredulum & oblocutorem, ad ambulantes non in uia bona, sed post peccata ipsorum: populum qui uultum meum exasperat. nam Iudæi cum prophetias habeant, & semper aduentū Christi expectent, non solum non agnouerunt eum, sed & male tractauerunt. at conuersi ex gentibus quæ nunquam quicquam de Christo audierant, nisi postquam apostoli Hierosolymis digressi res eius prædicauerunt, & prophetias ipsis communicarunt, repleti fide ac læticia uale dixerunt idolis, & ingenito Deo per Christum sese dedicauerunt. Quod autem præsciuerit non defuturos qui magno suo malo male loquantur Christum confitentibus, contendentes immanendum consuetudinibus ueteribus, audite pauca hæc ex ipso Esaiâ: Væ his qui dicunt dulce amarum & amarum dulce. Præterea quod propter nostram salutem natus, & mortem ignominiosam perpessus, iterum uenturus sit cum maiestate, audite præfagia prophetarum eò spectantia. Sunt autem hæc: Quia tradiderunt in mortem animam eius, & cum iniquis reputatus est. ipse peccata multorum in se recepit, & iniquis fiet propitius. Ecce enim intelliget puer meus, extolletur & clarescet ualde. Sicut obtupescent super te multi, sic inglorius erit inter homines aspectus tuus, & forma tua inter filios hominum. Mirabuntur gentes multæ, & reges ora sua cohibebunt: quia quibus non est narratum de eo, & qui non audierunt, intelligent. Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est: annūciauimus

ante faciem eius sicut seruuulus, sicut radix in terra sitienti, non est species ei neque maiestas, uidimus eum experte decoris & pulchritudinis, spretum & cæteris deteriolem habitum, uirum afflictum & affuetum ferendis languoribus, quia uultus eius auersus erat & despectus nulliusque reputationis. hic peccata nostra fert, & pro nobis dolet: & nos reputauimus eum quasi morbidum & humiliatum percussumque. Ipse autem uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter nostra scelera: disciplina pacis nostre super eum, liuore eius sanati sumus. Omnes quasi oues errauimus, unusquisque in uiam suam deflexit, & tradidit eum Dominus pro peccatis nostris. In afflictione non aperuit os suum, tanquam ouis ad mactationem ductus est, & tanquam agnus coram tondente se obmutuit, in humilitate eius de eo iudicatum est. Itaque post crucem eius, etiam familiares omnes derelictum abnegauerunt, deinde postquam rediuiuum conspexerunt, & prophetias scrutari in quibus hæc omnia prædicuntur admoniti sunt, ipsumque in cælum ascendentem uiderunt, iamque credentes acceperunt demissam illinc ab eo potentiam, ad omnes gentes profecti hæc docuerunt, & appellati sunt Apostoli. Ut autem nobis indicaret spiritus propheticus, quod is qui hæc pertulit ineffabile genus habeat, & regnu super inimicos suos exerceat, sic ait: Generationem eius quis enarrabit? quia tollitur de terra uita eius, propter peccata eorum uadit in mortem, Dabo malos pro sepultura eius, & diuites pro morte eius: quoniam iniquitatem non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, & Dominus uult mundare eum a plaga, Si detur pro peccato anima uestra, uidebit semen longæuum: & uult Dominus eximere e dolore animam eius, ut ostendat ei lumen, & instruat eum intellectu, ut iustificet iustum bene seruientem multis: & peccata nostra ipse in se recipiet, propterea ipse hæreditate possidebit multos, & diuidet spolia fortium, quia tradita est in mortem anima eius, & inter iniquos reputatus est, & ipse fert peccata multorum, propter quorum iniquitates traditus est, iam quomodo in cælum ascensurum uates prædixerint, audite uerba hæc: Tollite portas cælorum, aperite, ut introgrediatur rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Item quomodo e cælis aduenturus sit cum maiestate, audite oraculum per Ieremiam prophetam super ea reproditum, uidelicet hoc: Ecce tanquam filius hominis uenit uectus cæli nubibus, & angeli eius cum eo, Quoniam igitur quæcunque hæcenus facta sunt, multo antè per prophetas prædicta ostendimus, necessum est ut quæ supersunt etiamnum, credamus nihil
hæsitans

hæsitantes euentura pariter. quemadmodum enim iam facta eue-
 nerunt, multis prædicta ignorantibus: sic euenient & reliqua e-
 tiam si non credant. Duos enim eius aduentus prænunciarunt pro-
 phetæ, alterum iam præteritum in specie hominis passibilis & con-
 temptibilis: alterum quando cum maiestate angelorumq; legionis
 de coelo uenturus prædicatur, excitaturus è mortuis corpora
 omnium qui unquam nati sunt hominum: & dignos quidem in-
 duturus immortalitate, iniquos uerò unà cum malis genijs missu-
 rus in nunquam finiendum incendium. hæc ita prædicta nunc re-
 citabimus. Ezechiel propheta sic loquitur: Os olsi & iunctura
 iuncturæ coaptabitur, & carnes renascentur, & omne genu flecte-
 tur Domino, & omnis lingua confitebitur ei. Quibus autem pœ-
 nis & cruciatibus destinati sint iniusti, audite hoc quoque prædi-
 ctum similiter his uerbis: Vermis eorum non cessabit, & ignis eo-
 rum non extinguetur: & tunc demum tangentur inutili pœniten-
 tia. Tum uerò quid Iudæi dicturi facturiq; sint ubi uiderint aduen-
 tus eius gloriam, Zachariás propheta canit ad hunc modum: Man-
 dabo quatuor uentos ut colligant dispersos filios: mandabo a qui-
 lioni ut afferat, & austro ut inoffense properet. Tunc erit in Hieru-
 salem planctus ingens, non planctus oris aut faciei, sed planctus
 cordis: & non scindent uestimenta sua, sed mentes suas. plangent
 se tributim, & tum demum uidebunt quem pupugerint: dicentq;
 Domine cur seduxisti nos à uia tua? Gloria qua se iactauerunt pa-
 tres nostri, uersa est nobis in opprobrium. Possemus & alias pro-
 phetias congerere, desinemus tamen, rati uel has sufficere ad per-
 suadendum quibuslibet, duntaxat habentibus aures dociles, &
 mentem his rebus percipiendis idoneam: quia scripturæ nostræ
 non sunt similes fabulis quæ feruntur de Iouis filijs, sed certis ar-
 gumentis nituntur. Cur enim crederemus crucifixo homini, esse
 ipsum ingeniti Dei primogenitum, futurum olim totius humani
 generis iudicem, ni haberemus uatum testimonia de natiuitate il-
 lius & aduentu ad homines, quibus euentus respondere comperie-
 mus: uidelicet Iudææ terræ desolationem, & omnium nationum
 homines Apostolorum doctrinæ credulos, & relicto errore pri-
 stino uersos in melius, ex quo uident nos Christianos & nume-
 ro & ueritatis cognitione crescere præ Iudæis Samaritis: que nam
 reliquæ nationes communi uocabulo Gentes nominantur à spi-
 ritu prophetico: Iudaicæ uerò Samariticæ que tribus, appellantur
 domus Iacob & Israel. Et hoc quoq; per prophetas prædictum es-
 se, plures è Gentibus credituros, q̄ è Iudæis Samaritis ue, apparet

ex hoc præfagio: Lætare sterilis quæ non parit, erumpe & clama
 quæ non parturis, quia plures sunt filij desertæ, quàm eius quæ ma-
 ritum habet. Omnes enim gentes desertæ à uero Deo fuerant, ser-
 uientes operibus manuû. Iudæi uerò & Samaritæ quamuis Dei uer-
 ba per prophetas tradita sibi acceperant, & continuè Christû ex-
 pectauerant tamen præsentem non agnouerunt, exceptis paucis
 aliquot, quorum salutem spiritus propheticus per Esaiam prædixe-
 rat. dixit enim ex persona ipsorum: Nisi Dominus reliquisset nos,
 bis semen, sicut Sodoma & Gomorra periissemus. Quas urbes ab
 impijs ciuibus habitatas Moses scripto prodidit, & deletas à Deo
 sulfur ignemq; pluente, nec seruatam quenquam præter quædam
 inquilinum Chaldæum natione, Lotum nomine, huiusq; filias. ac
 grum autem earum urbium, post deflagrationem uastû nunc usq;
 ac sterilem, cuiuis licet uisere. Quomodo autem conuertendorû ex
 gentibus maior fides maiusq; ueritatis studium prænunciatû sit,
 audiamus Esaiam prophetam sic loquentem: Israel habet cor incir-
 cumcisum, gentes uerò præputium. Hæc igitur tam multa cum es-
 uenisse uideamus, possunt ueritati fidem adstruere, modò ne quis
 rationem posthabeat ambitioni cæterisq; affectibus. cæterum qui
 iuuentuti tradunt poetarum fabulas, nullis argumentis nituntur
 probabilibus: quando quidem hæ (ut docuimus) à malis genijs in-
 uectæ sunt ad decipiendos seducendosq; homines. Docti enim pro-
 phetarum oraculis de Christo uenturo, deq; igne cruciaturo sceler-
 atos & impios, curarût spargi quædam de pluribus Iouis filijs, spe-
 rantes fore ut qui hæc nugarum portenta audiant, de Christo quo
 que non plus credent quàm figmentis poeticis. atqui auditus est
 & Græcis & ceteris gentibus, quo magis obsecuti sunt prophetis
 ob fiduciam suam erga Christum olim ab eis prænunciatâ. Quod
 autem dæmones non ignari prædictionum prophetarû, eas pa-
 rum intellectas per errorem conati sint à nostro Christo ad sua fi-
 gmenta detorquere, iam declarabimus. Diximus Mosem prophe-
 tam antecessisse omnes scriptores, is ad hunc modum cecinit: Nô
 deficiet princeps ex Iuda, & dux è femoribus eius, donec ueniat cui
 repositum est: & ipse erit expectatio gentium, ligans ad uitam pul-
 lum suum, lauans stolam suam in uuæ sanguine. His prophetijs au-
 ditis finxerunt Bacchum ex Ioue natum uitam inuenisse, uinû at-
 tribuendo eius mysterijs: ipsum uerò postquam concepitus est a-
 scendisse in cælum prodiderunt. Et quia Mosi prophetia non ex-
 pressit disertè, esset ne Dei filius is qui uenturus erat, & num in ter-
 ra pullo uectaretur an in cælum ascenderet, ipsumq; nomen pulli
 uel alii

uel a sinu uel equinum significare poterat: incerti uter futurus
 esset signum aduentus, & Dei ne an hominis filium annunciarer
 oraculum, etiam Bellerophontem equo Pegaso impositum, homi
 nem natum ex homine, dixerunt ascendisse in cœlum. Itē quia pro
 phetam alium Esaiam audierant promittentem partum Virginis,
 & sic editum ascensurum esse per seipsum in cœlum, traxerūt hoc
 ad suum Persea. Sic illud in eisdem prophetis prædictum, Robu
 stus ut gigas ad currendum in uia, de Hercule acceperunt, qui præ
 ualidus totam terram perambulauerit, item quia didicerant ex pro
 phetis illum opem allaturum morbis omnibus, Æsculapium pro
 tulerunt in medium. Crucem tamen in nullo Iouis filio retulerunt.
 non enim intelligebant mysterium scripturarum figuratè omnia
 tradentium, nec quod crux sit præcipuum insigne principatus ac
 roboris, ut oculis cernitur, considerate totum mundum an in eo
 quicquam geratur sine hac figura, aut constet ulla societas. Mare
 non sulcatur, nisi hoc tropæum quod uocatur uelum in nauis ma
 neat incolume, fossores non operantur, sicut nec opifices, nisi in
 strumentis hanc formam habentibus. hominis figura non aliter à
 brutis differt quàm quod erecta est & manus expandit, & in facie
 à fronte protensum nasum præfert, per quem fit respiratio, ut pla
 ne forma crucis uideatur, quod & propheta sic indicat: Spiritus
 ante faciem nostram Christus Dominus. uestra quoque signa de
 clarant huius figuræ potentiam, ut tropæa & quædam quæ præ
 lata uobis turbam submouent, magistratus & potestatis insignia,
 quamuis id non aduertatis agentes aliud. defunctorum quoque
 imperatorum uestrorum imagines cōsecratis hoc schemate, quos
 Diuos cognominatis in titulis. cū igitur & bonis rationibus
 & ex ipsa figura desumptis pro uirili portione agamus uobiscum,
 extra culpam erimus in posterum, etiam si non persuaserimus ob
 stinatè in incredulitate perdurantibus: quandoquidem quan
 tum in nobis situm erat præstitimus. Nec satis fuit malis dæmo
 nibus ante aduentum Christi fabulari de filiis quos Ioui affingunt
 sed postquam apparuit inter homines natus, & celebratus est iux
 ta prophetarum uaticinia, uidentes eum expectatum & per fi
 dem agnitum in omnibus gentibus, rursus quod supradiximus,
 commentum sunt alios quos uulgo adorandos proponerent, ut Si
 monem & Menandrum Samaritas: qui magicis artibus multos se
 duxerunt, etiam nunc huic errori obnoxios. nam ut iam diximus,
 in uestra urbe terrarum domina sub Claudio Cæsare Simon S. P.
 Q. Romanum intantum admiratione sui stupefecit ut haberetur pro
 Deo,

Deo, & receptus in deorum numerum honoraretur dicata sibi statuam. quapropter S. P. Q. Romanum testamur, nos postulare ut si quis eius doctrina captus est, ab errore ad ueritatem se recipiat: atque etiam statuam, si placet, deſcite. nunquam enim dæmones mali persuadere poterunt, ignem æternum non manere impios: sicut nec illud ualuerunt efficere, ut Christi aduentus lateret: sed hoc tantummodo, ut homines bruti, malis moribus affectibusque innutriti, præsertim amori gloriæ, odij & cædibus in nos sæuiant, quos tamen miserando conamur ad meliorem mentem traducere, tantum abest ut prosequamur odio mutuo: nimirum contemnentes mortem nemini non debitam, præsertim cū hæc uita nihil nouans semper eadem iteret: quorum uel intra spatium annum saturos, perurbationumque ac inopiæ pertesos, oportet nostris placitis animam aduertere. quod si credunt nihil superesse post mortem, & uita defunctos priuari etiã sensibus, certe ab affectionibus & necessitatibus præsentibus liberando nos beneficio magno afficiunt, interim prodentes suam inhumanitatē atque ambitionē. non enim ut è calamitatibus eripiant, sed ut uita uoluptatibusque mulctent, nos interimunt. huiusmodi genij Marcionem quoque Ponticum (ut dixi) subornarunt, qui suos docet negare Deum conditorem terrenarum rerum atque cælestium, & prænunciatum per prophetas Christum eius filium: pro quibus annunciat mundi opificem alium, filium item alium: quam doctrinam ut solam ueracem secuti multi nostram derident, cū nequeant suam ullis argumentis confirmare, tanquam oues à lupo correpti, per impietatem præda futuri dæmonibus, nihil aliud satagentibus quam quomodo ducant homines à Deo conditore suo, & Christo eius primogenito. idcirco abiectos quosque nunquam se humo tollentes rebus terrenis & manufactis solent affigere: eos uero qui se rerum diuinarum contemplationi dederunt, supplantant, & nisi sobriam castamque uitam instituerint, in impietatem præcipitant. Vt autem sciatis & Platonem è nostris doctoribus, prophetarum inquam oraculis, hausisse quod ait Deum creasse mundum ex informi materia, audite ipsa uerba Moſis uatum antiquissimi, superioris omnibus Græcorum scriptoribus, per quem spiritus sanctus enarrat ex quibus principijs & quomodo mundum creauit Deus opifex. sic enim loquitur: In principio fecit Deus cælum & terram. terra autem erat inuisibilis & incomposita, & super abyssum tenebræ: & spiritus Dei ferebatur super aquas. Et dixit Deus: Fiat lux, & factum est ita. Liqueat igitur quod Dei uerbo factum mundum didicerunt ex Moſe, tam Plato quam cæteri qui hoc ipsum

ipsum sentiunt, sicut nos quoque, quod & uos potestis perspicere. Erebus etiam quem poëta sic uocant, reperitur apud Platonē nominatus antea. Iam illud in Timæo ad naturā filij Dei pertinēs, quod ait, Decussauit eum in uniuerso: similiter à Mosè desumptum est. nam ille scribit, quemadmodum post exitum Israelitarum ex Ægypto, cum per deserta iter facerent, inciderunt in uenenosas bestias, uiperas & aspides serpentesque omnis generis, qui enecabant populum. Tum Mosem Deo monente fecisse formam crucis ex ære. statuisseque prope tabernaculum, & sic allocutum esse populares: Si aspexeritis hanc figuram & credideritis in ea, salui eritis. quo factō serpentes interisse, populum effugisse perniciem. His lectis, nec satis intellectis, cum non crucem, sed formatum characterem Plato cogitaret, dixit primum illum Deum potētiam suam decussasse in uniuerso. Sic dixit eum tertium, quia legerat in eisdem literis quod supra recitauimus, Et spiritus Dei ferebatur super aquis. Secundum enim iocum uerbo quod apud Deum est tribuit, quod ait formatum & dispersum in uniuerso: tertium uero spiritui qui super aquis ferebatur, assignans tertio quiddam tertium. Exustionem quoque uniuersalem spiritu diuino per Mosem prædictam audivit. ait enim: Descendet sempiternus ignis, & deuorabit usque ad ultimum infinitum. Ergo non sequimur alienas opiniones, sed alij nostras emulantur. apud nos igitur hæc discenda sunt, qui ne elementorum quidē figuras nouimus, idiotæ sermone ac barbari, sed mente sapientes fidelesque, orbatī oculis ut intelligamus hæc facta non humana sapientia sed diuina potentia. cæterum quomodo nos Deo dicauerimus, renouati per Christū, iam exponemus, nequid maliciose dissimulare uideamur. Quotquot persuasi credunt hæc que docemus uera esse, & ad eum modū uiuere pollicentur: ante omnia desunt precibus & ieiunijs petere à Deo præteritorū peccatorū ueniā, nobis unā preces ieiuniaque iungētib. deinde ad aquā à nobis ducuntur, & renascuntur modo renascēdi quo & nos renati sumus. nam in nomine patris omnium dominique Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi, & spiritus sancti, in aqua tunc lauātur. dixit enim Christus ipse: Nisi renati fueritis, non intrabitis in regnū cælorū. quod autē sit impossibile semel natos introire in uentres matrū suarū, liquet omnibus. Per Esaiam quoque prophetam indicatum esse diximus, quomodo peccatores debeant effugere peccata agendo penitentiā. Sic autē loquitur: Lauamini, purificamini, auferte malicias ex animabus uestris: discite bonum facere, reddite ius pupillis uiduis que, & agite disceptemus, dicit Dominus. Si fuerint peccata uestra

uestra ut pannus puniceus, tanquam lanam alba faciam: si fuerint
 ut coccinum, reddā niue candidiora. quod si non exaudieritis me,
 gladius uos deuorabit: quia os Domini hæc loquutum est. Ratio-
 nem eius rei hæc accepimus ab Apostolis. Quoniam prima natiui-
 tas nec scientibus nec uolentibus nobis obuenit ex complexu pa-
 rentum humoreq; genitili, & accesserunt mali mores ex educatio-
 ne. ideo ne permaneamus uel necessitatis, uel ignorantia filij, sed
 fiamus potius uoluntatis & scientia, adipiscamurq; remissionem
 peccatorum præteritorum per hoc lauacrum, inuocatur super cus-
 pientes renasci, & à peccatis resipiscentes, nomen Dei patris om-
 nium & domini, præterea nullam eius appellationem adhibendo
 inter abluendum. quis enim potest dicere quodnam sit Dei nomē
 ineffabile? quod nemo nisi deploratè insanus proferre tentaret.
 uocatur autem hoc lauacrum illustratio, quod indat lumen hæc di-
 scentibus. inuocatur interim etiam Iesu Christi sub Pontio Pilato
 crucifixi nomē, & spiritus sancti qui prophetarū præconijs de Iesu
 prædixit omnia: atq; ita hoc lauacromersati lustrantur. id lauacrū
 quia dæmones ex prophetis didicerant, effecerunt ut qui adeunt
 templa seipso aspergant, prius quàm offerant illis gratos nidores
 atq; libamina aut etiam totos se abluant antequam subeant delu-
 bra eorum. nam & calceis exutos introire sacrorum causa iubent
 sacrifici, dum ijdem genij æmulantur quiddā quod Mosi prophe-
 tæ accidisse sciunt. Cum enim in Ægyptum mittendus esset ut edu-
 ceret illinc populum Israeliticum pascenti pecudes sui affinis in A-
 rabilia uidentum alloquendumq; se in rubo ardēte hic noster Chri-
 stus præbuit, dixitq;: Solue calceamenta tua, & ad esdum ausculta-
 turus. qui mox calceos exutus accessit, audiuitq; mādata de adeun-
 da Ægypto, educendisq; Israelitis pro potestate accepta à Christo
 secū in ignis specie collocuto, & profectus eduxit eos magnis pro-
 digijs editis: ea si cupitis cognoscere, inuenietis diligenter prodita
 in ipsius historijs: & hodieq; omnes Iudæi tradunt illum inno-
 natum Deum cum Mose collocutū. Quapropter spiritus prophe-
 ticus, per memoratum Esaiam uatem eos redarguens, sic (ut iam di-
 xi) loquitur: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe
 domini sui: Israel uerò me non cognouit, & populus hic me non in-
 tellexit. Huic attestatur Iesus Christus, negans scire Iudæos quid sit
 pater, quid ue filius, similiter eos reprehendens & dicens: Nemo
 nouit patrem nisi filius, neq; filium nisi pater, & quibus reuelauer-
 rit filius. Est autem sermo Dei filius ipsius, sicut iam diximus, idem
 & angelus uocatur & apostolus. is enim nunciat que sciri oportet, &

& mittitur ut afferat nuncium, sicut ipse Dominus noster ait: Qui me audit, audit eum qui misit me, quin & è literis Mosaicis id satis apparet, ubi sic legitur: Et loquutus est Mosi angelus Dei è rubo ardente dicens, Ego sum qui sum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus patrum tuorum: descende in Ægyptum, & educ populū meum. Reliqua inde petere licet uolentibus: non possunt enim hic comprehendī omnia, tantum adduximus hæc, ut declaremus Iesum Christum esse Dei filium & apostolum, qui prius uerbum erat, & aliquando in ignis specie apparuit, aliquando in imagine incorporea, nunc autem per uoluntatem dei pro salute hominum factus homo, passus est iniurias & contumelias ab insanis Iudæis furore demoniaco percitis: qui cum in libris Mosi disertè dictum inueniant, Et locutus est angelus Dei Mosi in flamma ignis in rubo, dixitq̃, Ego sum qui sum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob: uniuersorum patrem ac creatorē aiunt hæc dixisse. Et hoc est quod spiritus propheticus eis opprobrat dicens: Israel autē me non cognouit, & populus me non intellexit. Rursum Iesus, ut modo dixi, cum apud eos uersaretur ait: Nemo nouit patrem nisi filius, neq̃ filium nisi pater, & quibus filius reuelauerit. Itaq̃ Iudæi qui putant patrem omnium cum Mose collocutum, nescientes locutū ei Dei filiū, qui & angelus & apostolus uocatur, meritō reprehenduntur per spiritum propheticū, & per ipsum Christum, ut ignorant tam patrem quàm filiū: nam qui filium patrem esse contentant, prodūt se ne patrem quidem scire, aut quòd ille filium habeat, qui uerbum Dei primogenitum & Deus sit. is olim in forma ignis & imaginis incorporeæ Mosi ceterisq̃ prophetis conspectus est: nūc autē sub uestro imperio, sicut diximus, ex uirgine homo natus iuxta patris uolūtatem pro salute credentium, & contumelias & afflictiones sustinuit, ut mortuus ac resurgēs mortem uinceret. Quod autem è rubo Moses audiuit, Ego sum qui sum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus patrum tuorum: significat illos & post mortem uiuere, esseq̃ ipsius Christi homines. hi enim primi hominum quærendo Deo uacauerūt, Abraham Isaac genitor, Isaac uero Iacobi, sicut Moses scriptum reliquit. Illud quoq̃ inuentum dæmonum, quo Proserpine Ioue natæ sigilla circa fontes dedicātur, Mosaicę prophetię uidetur imitatio. sic enim ille scribit: In principio fecit Deus cælum & terram: terra autē erat inuisibilis & incōposita, & spiritus Dei ferebat̃ super aquis. Ex hac igitur spiritus Dei super aquis uectatione nacti occasionem, finxerunt Proserpinam Iouis filiam, sicut & Mineruam eadem astutia, hæc quoq̃

Ioue natā, nec tamen ex concubitu: sed quia uoluntate intellectuq̄
 Deum per uerbum creasse mundum didicerant, finxerūt hanc pri-
 mam intelligentiam: quod sanè perridiculum fuerit, imaginem in-
 telligentiae prae se ferre formam foemineam. sic & aliorū Iouis filio-
 rum signēta rebus ipsis coarguuntur. Nos uerò sic ablutum & in-
 stitutum ad fratres quos uocāt adducimus, ubi cœtus fiunt, ut tam
 pro nobis, quàm pro recens illustratō precemur, quo inueniamur
 per ueram doctrinam & bona opera digni obseruatores mandato-
 rum custodesq̄: & ut æternam salutem assequamur, post precatio-
 nem nos salutamus osculo mutuo. deinde affertur præcipuo fratri
 panis & calix aqua dilutus: quibus acceptis laudem ac gratiarum
 actionem patri omnium offert per nomen filij, sancti que spiritus.
 atq̄ ita eucharistiam aliquandiu celebrat. post preces & euchi-
 stia totus cœtus accinit Amē. Ea uox hebraica lingua significat idē
 quod Fiat. Absoluta gratiarū actione præfulis, & oratione to-
 tius plebis, diaconi quos uocamus, dāt singulis præsentibus partē
 panis & calicis diluti, super quos facta est gratiarum actio, atq̄ etiā
 deferre sinunt absentibus. hoc autē alimentum apud nos uocatur
 eucharistia: ad quod nemo admittitur, nisi qui credit uerā esse no-
 stram doctrinam, ablutus regenerationis lauacro in remissionem
 peccatorū, & sic uiuens ut Christus docuit. non enim ut uulgarem
 panem & uulgare poculum hæc sumimus: sed quemadmodū per
 uerbum Dei caro factus Iesus Christus seruator noster carnem &
 sanguinem pro salute nostra habuit, sic etiā per uerbum precatio-
 nis & gratiarum actionis, sacratam ab ipso alimoniam, que mutata
 nutrit nostras carnes & sanguinem, illius incarnati Iesu carnem &
 sanguinē esse didicimus. nam apostoli in suis scriptis, quæ uocan-
 tur euangelia, sic sibi mandasse Iesum tradiderūt: sumpto pane, a-
 ctisq̄ gratijs dixisse: Hoc facite in mei memoriā. hoc est corpus me-
 um. similiter sumpto poculo, actisq̄ gratijs, dixisse: Hic est sanguis
 meus: & solis ipsis cōmunicasse. quod in Mithræ mysterijs imi-
 tari mali demones conati sunt: panem enim & aque poculū initan-
 dis eos apponere cum quibusdam incantationibus: si nescitis, pote-
 stis discere. Nos uerò, postea semper hæc nobis reuocamus in me-
 moriam, & ditiores egenis succurrimus, uersamurq̄ unā cōtinuò:
 & pro omnibus rebus quibus fruimur, creatorem earum benedici-
 mus per filium eius Iesum Christum, & sanctum spiritum. Die solis
 urbanorum ac rusticorum cœtus fiunt, ubi apostolorū propheta-
 rumq̄ literæ, quoad fieri potest, præleguntur: deinde cessante lecto-
 re, præpositus uerba facit adhortatoria, ad imitationem tam hone-
 starum

starum rerū inuitans. post hæc confurgimus omnes, & preces offerimus, quibus finitis profertur, ut diximus, panis, uinum & aquatum præpositus quantum potest preces offert & gratiarum actiones, plebs uero Amen accinit. inde consecrata distribuuntur singulis, & absentibus mittuntur per diaconos. ditiores si libeat, pro sua quisque uoluntate conferunt. collecta deponuntur apud præpositum: is subuenit pupillis, uiduis, et propter morbum aliam ue necessitatem egētibus, uinctis quoque ac peregrinis, & in summa curator fit omnium inopum. conuētus autem hos die solis facimus, quoniam hac die primum Deus depulsis tenebris, formataque materia, mundum creauit: Iesus Christus quoque noster seruator eadem die resurrexit à mortuis, nam ea que proxima Saturni diem præcedit, crucifixus fuit, & proxime sequenti Saturni diem, solis die uidelicet, conficiendū se apostolis ac discipulis præbuit, eisque suam doctrinam impartijt, quā & uobis considerandā obtulimus. si uidetur rationi ueritati que consentanea, honorē ei habete. quòd si nugæ ista uidentur, ut nugæ contemnite, & nolite persequi hostiliter, capitalem pœnam intentando in fontibus. præmoneo enim uos, nō euasuros futurum Dei iudicium, si iniusti permanseritis, nobis acclamantibus, Fiat uolūtas Domini. Et quamuis non desit nobis rescriptum illustrissimi maximeque Cæsaris Adriani patris uestri, quo freti ius nostrū postulare possemus: tamē non tam illius præiudiciū quàm uestram cognitionem ualere cupientes, hanc appellationem & expositionem fecimus. Subiecimus etiam exemplar eius epistolæ, ne quid putetis nos fingere, idque uerbis totidem.

ADRIANI EPISTOLA IN FAVOREM
Christianorum scripta.

MInucio Fūdano. Accepi literas ad me scriptas à decessore tuo Serenio Graniano uiro clarissimo, super negotio quod non placet indiscussum relinqui, ne & innoxij perturbentur, & calumniatoribus nocendi præbeatur occasio. Itaque si euidenter prouinciales huic petitioni suæ adesse ualent aduersum Christianos, ut pro tribunali eos in aliquo arguant, hoc eos exequi non prohibeo: precibus autē in hoc solis & acclamationibus uti, eis non permitto. etenim multo equius est, si quis uolet accusare, te de obiectis cognoscere. Siquis igitur accusat & probat aduersum leges quicquā agere memoratos homines, pro merito peccatorum etiam pœnas statues. Illud mehercules magnopere curabis, ut si

quis calumniose quenquam horum reum postularit, in hunc pro malicia supplicij sœuioribus uindices.

ANTONINI EPISTOLA AD CIVITATES ASIÆ.

IMp. Cæs. T. Ælius Adrianus Antoninus Aug. Pius, Põr. max. Trib. pot. Cos. IIII. pater patriæ uniuersis Asiæ ciuitatibus, salutem. Equidem non ambigo etiam dijs ipsis curæ esse, ne quis noxius lateat, multo enim magis illis cõuenit punire eos qui ipsis immolare nolunt, quàm uobis: sed uos confirmatis eorum quos persequimini sententiam quam de uobis habent, dicentes uos impios & sine deo esse: unde & uitam malunt amittere salua religione sua, quàm uobis talibus acquiescere, & ad uestrâ desciscere. De terrę motibus porrò uel præteritis uel præsentibus, libet mœrorem uestrum admonitione iusta solari: quãdo quidem compertũ habeo, uos in huiuscemodi rebus cõmunes casus referre ad ipsorum inuidiam. quapropter illorum magis augetur erga deum fiducia, uobis interim per ignorantiam & reliquorũ numinum cultum negligētibus, & summum illum aspernantibus, cuius cultores odijs capitalibus persequimini. Super quibus & alij prouinciarum præsides diuo patri meo scripserunt: quibus rescripsit, nequid inturbaret hoc genus hominum, nisi qui conuicti essent tentasse quippiam contra rempublicam, ad me quoq; multi retulerunt super hoc negotio: quibus paternam secutus sententiam pari moderatione rescripsi. Quòd si quis persistit his absq; ullo crimine facessere negotium, ille quidem qui hoc nomine fuerit delatus, absoluator, etiamsi sit Christianus quod ei obijcitur, delator autẽ u at pœnas quas meretur.

MARCI IMPERATORIS EPISTOLA AD SENATVM,
in qua testatur Christianos fuisse causam uictoriæ.

IMp. Cæs. M. Aurelius Antoninus, Germanicus, Parthicus, Sarmaticus, populo Romano sacroq; senatui, salutẽ. Notos uobis facio conatus meos & successus belli Germanici, quãtisq; in hostico laborauerim difficultatibus, circũuentus à draconibus LXXIII intra nonum miliarium. eos in propinquo esse indicarunt exploratores, & Pompeianus magister militũ conspectos esse mihi significauit. itaq; sensi me cum legionibus prima, decima, gemina, Euphratensiq; penè oppressum ab immensa colluue,

colluue, in qua numerabantur armatorum nongenta septuaginta
 quinque milia. cumque non haberem copias conferendas numero bar-
 barorum hostium, precabundus confugi ad opem patriorum nu-
 minum: à quibus neglectus, & in arctum redactus ab hoste, acciui
 quos Christianos uocamus. li perquisiti, bene multi reperti sunt.
 infremui in eos, quod non debueram, ut postea cognoui ex mirifica
 eorum potentia. qui mox rem aggressi sunt absque telis, armis tubisque,
 nimirum abhorrentes ab istiusmodi paratu, & contenti Deo quem
 circumferunt secum in conscientia, credibile est igitur, licet impios
 existimemus, Deum pro munimento habere in pectore, prostrati
 enim humi non solum pro me deprecati sunt, sed & pro presenti
 exercitu, petentes opem contra urgentem sitim & inediam. quin-
 tus enim dies erat ex quo aqua carere coeperamus, eramus quippe
 in hostili solo, in ipso meditullio Germaniæ. Confestim autem ut
 procubuerunt in facies, et preces fuderunt ad ignotum mihi Deum,
 descenderunt de cælo, in nos quidem frigidissimus imber, in no-
 stros uero hostes grando mixta fulminibus, ut sine mora sentire-
 mus præstò esse inuictam opem Dei potentissimi. iam nunc igitur
 permittimus esse Christianos huiusmodi hominibus, ne forte con-
 tra nos tale quodpiam telum postulando impetrent: & autorem
 me interpono, ne cuiquam religio Christiana uertatur crimini.
 quòd si quis Christianum detulerit, hoc solo nomine quòd Christia-
 nus sit, uolo ut delatus Christianum se impune fateatur, modò nihil
 ei obijciatur præter religionem diuersam: delator uero eius uiuus
 comburatur. confessum autem compertumque Christianum nolo ad
 mutandam religionem induci, à prouinciæ præside suo relinquen-
 dum arbitrio, & hoc meum decretum senatus consulto ratum fieri
 uolo, iubeoque proponi publice legendum in Traiani foro, ut inde
 porrò transmittatur in prouincias, cura Verasij Pollionis Urbis
 præfecti. huius quoque edicti transcribendi utendi-
 que copiam permitto omnibus, defumenti-
 bus ex nostro exemplari pu-
 blicè in foro pro-
 posito.

DIVI IUSTINI PHI-
LOSOPHI ET MARTYRIS DE
MONARCHIA LIBER.

SIGISMUNDO GELENIO INTERPRETE.



UMANAM naturam ab initio cum salute intel-
lectum adeptam, ut disceret ueritatem, simulque
cultum unius omnium rerum domini, subrepens
inuidia transuersam ad idola fingenda rapuit,
oblitam suae magnitudinis: & is mos confirma-
tus diuturnitate temporis, apud uulgum iam
errori assuetum plus quam ueritas ipsa ualuit.
Est autem opus hominis humani, uel potius pie, eos commonefa-
cere, qui quod scire debebant, omiserunt. Erat enim ipsa ueritas per
se satis ad seipsam ostendendam, ex ijs quae sub polo ordinem osten-
dunt opificis horum. Sed obliuio, propter dei patientiam, supera-
tis hominum mentibus, maliciose egit, transferens ad mortales no-
men soli uero deo debitum: atque a paucis manauit ad multos con-
tagio mali, dum uulgari consuetudine paulatim a firma & immu-
tabili ueri cognitione deiciuntur. Illi enim principio festis sacrisque
in honorem magnorum hominum peragendis, posteris obliuio-
nem iniecerunt uniuersalis opinionis. Ego uero ut paulo ante pro-
misi, pia mente usus, humana uoce utar, ostendamque, ijs quidem qui
sunt sane mentis, debere omnes, qui uniuersi administratione frui-
tur, habere immutabilem cultum eius qui nouit omnia. Hoc autem
non ornata oratione eloquar, sed testimonijs Graecorum, & anti-
quorum poetarum, ijsque uulgo acceptis atque tritis demonstrabo.
Nam ex quibus, qui habentur in precio legem & consuetudinem
de simulachrorum cultu uulgo tradiderunt, ex iisdem conuincen-
tur esse mentis expertes, a suis ipsorum poetis & uersificatoribus.

Primus enim Aeschylus sui temporis res describens, de Deo so-
lo locutus est in hunc modum:

Separa a mortalibus deum, & noli eum
Tui similem, uidelicet carneum, censere.
Non nosti eum. is aliquando ceu ignis apparet,
Immensa uis, modo aqua, modo caligo.
Bestijs quoque redditur consimilis,
Vento & nebulae, & fulguri, tonitru, pluuiae.

Ministrans

Ministrant autem ei mare, & rupes,
 Et fontes omnes, & aquarum gurgites,
 Tremuntque montes, & tellus, & ingens
 Vnda maris, & montium magna proceritas.
 Cum ea intuetur terribili oculo domini.
 Potest enim omnia, estque gloria supremi dei.
 Nec solum is instructus fuit cognitione dei, sed & Sophocles dei
 solius uniuersitatis conditoris, & unius, ordinem tradit his uerbis:
 Vnus uere, unus deus est,
 Qui cœlum condidit, amplamque terram,
 Amœnosque fluctus maris, & uentorum impetus,
 Sed nos multi mortales, corde errantes,
 Ereximus malorum solatia,
 Deorum simulachra, ex lapidibus & lignis,
 Aut aureorum, aut eburneorum figuras,
 Hisque sacrificia & pulchros conuentus
 Peragentes, putamus nos esse pios.
 Quin & Philemon rebus antiquis eloquendis abundans, ueri
 cognitionem habet, sic enim scribit:
 Deum uero qualem, dic mihi, existimandum est:
 Qui omnia uidet, cum ipse non uideatur.
 Testabitur me uera dicere Orpheus, inducens illos trecetos se-
 xaginta deos, in libro qui inscribitur Testamenta, ubi eum prioris
 opinionis pœnitere uidetur, dum ita scribit:
 Musæ, effabor enim uera, neque te
 Quæ prius in pectore apparuerunt, chara uita priuabunt.
 Tu uero diuinum sermonem intuens, huic asside,
 Dirigens cordis mentale uas: & rite insiste
 Viam, solumque intuere mundi regem.
 Vnus est, per se genitus: ab eo uno cuncta prognata sunt,
 Et in eis ipse superat, nec eum quisquam
 Mortalium uidet: at ipse omnes uidet.
 Hic ex bono malum mortalibus dat,
 Et bellum horridum, & dolores lachrymosos.
 Neque quisquam est alius præter magnum regem.
 Eum autem ego non uideo: nam circumfusus est firma nube:
 Omnibus enim mortalibus mortales pupillæ sunt in oculis,
 Ita ut uidere nequeant Iouem omnium rectorem:
 Is enim ferreo cœlo affixus est
 In aureo solio, pedibusque terram premit,

Manumq̄ dexteram ad finem Oceani
 Vndiq̄ extendit: contremiscunt enim longi montes,
 Et flumina, gurgesc̄ caui et amœni maris.
 Atq̄ hæc sic scribit, quasi uiderit ipse dei magnitudinem.

Cum eo sentit et Pythagoras, dum scribit:
 Si quis dicet, Deus sum, præter unum, is debet
 Mundum huic parem condere, & dicere, hic meus est.
 Nec solum condere, & dicere meus est, sed habitare
 Ipse in eo quem fecerit, hic autem ab hoc factus est.

Iam uerò quòd solus possit & de actionibus uitæ, & de diuinita-
 tis ignoratione iudicium statuere, possum proprios testes cita-
 re, & in primis Sophoclem, qui de hoc sic loquitur:

Erit enim, erit illud seculorum tempus,
 Cum plenum ignis thesaurum laxabit
 Igneus æther, pastuq̄ flamma
 Omnia & terrestria & sublimia
 Comburet infaniens. Vbi deinde deserint omnia,
 Nusquam erit fluctuum omnis gurges,
 Eritq̄ terra sedibus deserta, nec amplius
 Volucrum genus portabit dum ardebit.
 Nam ad inferos duas semitas existimamus,
 Vnam iustorum, alteram iniustorum,
 Eritq̄ terminus, deinde seruabit omnia quæ perierint.

Sed & Philemon rursus:

Putasne tu mortuos, ô Nicostrate,
 Omnibus delicijs in uita potitos,
 Terra ita tectum iri, ut deinceps in omne tempus
 Effugerint numen, tanquam latuerint?
 Est æquitatis oculus, qui omnia uidet.
 Si enim iustus et impius eadem conditione futuri sunt,
 I, rape, furare, fraudâ, misce.
 Errare noli, est et apud inferos iudicium,
 Quod faciet deus omnium dominus,
 Cuius nomen formidabile ne nominare quidem ausim.

Et Euripides:

Satis longam uitam dat ad iudicium.
 Quisquis uerò mortalium putat, dum interim
 Malum ali quod facit, se latere deum,
 Is uidetur malus: et dum uidetur, capitur
 Cum ocium agit iustitia.

Hæc perpendite, quicumq; existimatis non esse deum,
 Bis peccantes non rite.
 Est enim, est, quod si quis male facit
 Et est malus, tempus sanè lucretur.
 Nam tempore postea dabit pœnas.
 Item quòd non libatione et suffitu maleficorū placetur deus, sed
 ex æquo pœnas cuiq; inferat, testabitur mihi Philemon iterum:
 Si quis sacrificium offerens, ô Pamphile,
 Taurorum multitudinem, aut hircorum, aut etiam
 Aliorum talium, aut apparatus,
 Factis aureis chlamydibus, aut purpureis,
 Aut eburneis, aut smaragdinis sigillis,
 Putat se dei beneuolentiam conciliare,
 Is errat, & uanam mentem habet.
 Oportet enim uirum esse utilem,
 Qui uirgines non corrumpat, aut adulteret,
 Aut furetur, aut interficiat pecuniæ gratia,
 Aut aliena aspiciat & concupiscat,
 Aut sceminam præstantem, aut domum,
 Aut possessionem puerum ue, ancillam ue omnino,
 Equos, boues prorsus, aut iumentorum aliquod.
 Ne acus quidem unum futuræ punctum concupiueris, Pamphile
 Deus enim præsens adest, qui te intuetur,
 Qui iustis operibus delectatur, non iniustis.
 Laborantem sine tueri suam uitam,
 Terram arantem noctes & dies,
 Deoq; sacrificia semper iustus,
 Non tam chlamydibus splendens, quam corde.
 Audito tonitru, haudquaquam procul fugeris,
 Nullius mali tibi conscius, domine,
 Adest enim præsens deus qui te uidet.
 Itē Plato in Timæo: Quòd si quis, inquit, hæc opera consideret,
 ignorabit humanæ & diuinæ naturæ differentiam, quòd Deus
 quidem omnia in unum commiscet, quippe qui id fatis & sciat
 & possit: at hominum qui alterutrum horum possit, nemo neq;
 nunc est, neque unquam erit. De ijs autem qui apud nonnullos
 uidentur participare sanctum perfectumq; nomen, quod qui-
 dem uano quodam instituto quidam obtinuerunt, tanquam
 dij, Menander in Auriga sic dicit:
 Nullus foris ambulans deus mihi placet:

Nullus

Nullus qui familiam alloquatur in tabella.

Oportet iustum deum

Domum manere, seruantem erectos.

Idem Menander in Sacrificat:

Nullus deus seruat, o mulier,

Alterum hominem per alterum; si quem enim deum trahit

Cymbalis homo quò uult,

Is qui hoc facit, maior est deo.

Sed sunt hæc audaciæ & uitæ instrumenta,

Inuenta ab hominibus impudentibus,

Excogitata ridiculè in uita.

Item in Inuiso, rursus ostēdens eorū mētes, qui in deos referuntur, uel potius eos non esse arguens, idē Menander sic loquitur:

Si enim hoc ego uiderem, & animam

Caperem, at nunc ubinam deos

Ita iustos licet inuenire?

Et in Deposito:

Est iudicium iniustum, ut uideatur, etiam in dijs.

Et Euripides tragicus in Orestes:

Phœbus me iussit patrare cædem matris,

Ignarus honesti & iusticiæ.

Seruimus dijs, quòd sunt aliquando dij.

Vides Apollinem, qui in meditullio

Habitans, mortalibus præbet os clarissimum,

Cui paremus quicquid ille dixerit.

Huic ego obtemperans, genitricem interfeci.

Illum putate impium, & interficite.

Ille peccauit, non ego, quid me facere oportet?

An non idoneus est is deus, qui me referentem

Scelus seruet?

Idem in Hippolyto:

Sed enim non rectè iudicant hæc dij.

Et in Ione:

Sed filiam Erechthei quid ego

Curo? ea nihil ad me, sed aureis

Rotis ad piaculum

Rorem cremabo, pacatus uero mihi

Phœbus quid præbet? uirgines ui in matrimonium

Prodit, natos progignens clanculum.

Morientes non curat: noli: sed polles.

Virtutes persequere, etenim quisquis hominum

Malus est, hunc ulciscuntur dñj.
 Potest' ne igitur esse iustum, ut uos qui leges mortalibus
 Scripsistis, ipsi iniusta patretis.
 Quòd si non adestis, utar ratione,
 Dabitur hominibus pœnas uiolentorum matrimoniorum,
 Tu & Neptunus, Iupiterq̃, qui cœlum tenet.
 Ita est: uos qui potentes estis, iniustitiam tollite.
 Dum enim Promethei ignis uoluptates
 Sectamini, peccatis, neq̃ iam homines malos
 Dicere æquum est, si deorum bonas res
 Imitamur: sed eos qui hæc docuerunt.

Et in Archelao:

Multum, ò nate, decipiunt homines dñj.
 Et in Bellerophonte:

Si dñj uitiosa faciunt, non sunt dñj.

Et rursus in eodem:

Ait aliquis esse sanè in cœlo deos.
 Non sunt, non sunt: si quis hominum dicit,
 Ne antiquo stultus utatur dicto.
 Hæc autem mihi perpendite, mea dicta
 Animo attendentes, dico ego tyrannidem
 Occidere plurimos, & possessionibus priuare,
 Et contra iusiurandum urbes depopulari:
 Et hæc qui faciunt, magis sunt fortunati,
 Quàm qui quietè pietatem colunt quotidie.
 Noui ego paruas urbes deum honorantes,
 Quæ maioribus parent magis impijs,
 Maiore hastarum munero subactæ.
 Puto et uos, si quis ociosus dñjs
 Supplicet, neq̃ manu quæritet uictum,
 Frustra deprecatorios à dñjs calamitates.

Et Menander in Diphilo:

Itaq̃ eum qui semper est omnium dominus,
 Et pater, eum unum perpetuò honorare decet,
 Tot bonorum inuentorem & conditorem.

Idem in Piscatoribus:

Quod enim nutrit me, id ego
 Iudico deum: quod autem nutrire solet,
 Id non eget opibus indigentis.

Idem

Idem in Fratibus,

Deus est bonis semper,
Mens nimirum, ut uideatur sapientissimis,

Et in Tibicinis:

Omnia sunt pulchra ratione
Sacrum: mens est enim loquens Deus.

In Phrixo tragicus:

Quòd si pius eadem qua impijssimi
Conditione est, possunt ne hæc rite se habere,
Si Iupiter ille optimus nihil æquum scit:

In Philoctete:

Videtur quàm sit etiam inter deos lucrari
Pulchrum. suspicatur qui plurimum in templis
Habet aurum: quid sanè uetat quominus tu quoque,
O lucrum, si ad sis, a simileris dijs:

In Hecuba:

Iupiter, quisquis es Iupiter, nec enim te noui nisi uerbo:
O Iupiter, siue tu es naturæ necessitas, siue mens mortalium,
Oro te.

Hic igitur est indicium uirtutis & mentis amantis intelligentiam, recurrere ad coniunctionis societatem, & seipsum applicare intelligere tunc ad salutem, & deligere meliorum electionem libero hominum arbitrio: nec eos qui humana patiuntur, putare esse omnium dominos, cum ne tantam quidem potestatem eos habere pateat, quantum homines. Apud Homerum enim Demodocus ait se per se didicisse, Sed deus mihi subiecit uias. Immortalis Æsculapius & Apollo, à Chirone centauro mederi discunt, id quod est absurdissimum, ut ab homine discant dii. Quid Bacchum commemorare, quem furere ait poeta: Quid Hercule, quem & ipsum dicit improbum: Quid Martem & Venerem, adulterij autores, ex quibus omnibus deteriores reddi possint auditores. Si quis enim talia deorum facta non didicerit, & tamen imitetur, is non solum homine, sed etiam homine uitioso deterior existimabitur. Sin cognouerit, habebit iustam poenarum declinationem, dum ostendet, non esse delictum, diuinorum facinorum imitationem. Quòd si quis res culpet, tollet etiam cognita ex eis nomina, nec eas disertis garrulisque uerbis proteget. Est autem amplectendum uerum & immutabile nomen, quod non solum mea uoce, sed etiam eorum, qui nos ad doctrine principium adduxerunt, predicatur: ne ociose peracto huius uitae tempore, non solum ut ignari celestis gloriae, sed etiam ut ingrati, poenas demus iudici.

D. Iustini

D. IVSTINI PHILO-
SOPHI ET MARTYRIS, EXPOSITIO
FIDEI DE RECTA CONFESSIO SIVE DE
sancta & coessentiali Trinitate.



OSTQVAM satis Iudeos ac Grecos cōuicimus, superest ut exponamus sanā rationē fidei: siquidem res ita postulat, ut inuēta ueritate sciamus quid de hac sentiendum sit. non sufficit enim ad parandam salutem glorificare patrem & filium, sed sana Trinitatis confessio præstat felicitatem p̄ijs repositā. licet enim etiā diuersum sentientes

audire laudantes patrem atq; filiū, quibus tamen non recta mente cultum exhibēt. quapropter necessaria uisa est nobis huius scripti expositio, subductura lectores ad sincerā ueritatis cognitionem.

Vnum igitur Deum colere docēt nos tam traditiones patrum quā diuinæ literæ. oportet enim unum esse summū autorem rerum omnīū, nequid externē accidēs eis noxam afferat. nam siquid principio extra Deum fuisset, id omnino fatendum erat aut Deum esse, aut potentiam quampiam alteram. cæterum si Deum quis dicat, abolet diuina uerba diserte clamantia, Ego Deus primus, & ego postea, nec est præter me Deus. quòd si non Deum, angelos aut potestates dicet uidelicet. sed & hoc modo sacras scripturas faciet irritas, ubi legitur: Laudate Deū de cœlis, laudate eum in excelsis: laudate eū omnes angeli eius, laudate eum omnes potestates eius. Et paulò pòst: Quoniam ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Ergo confessum fuerit principio nihil fuisse cum deo, quando quidē liquet ab ipso producta esse omnia. Vnus igitur est uerus uniuersorū Deus, qui in patre, filio, sanctoq; spiritu agnoscitur: quoniam ē propria essentia pater filiū genuit, et ex eadem produxit spiritū: ut cum sint unius eiusdemq; essentiæ participes, meritò unius eiusdemq; deitatis cēseantur. Dicit aliquis: Quomodo igitur non differt à genitore genitus, & procedens ab eo ex quo procedit: certe pater ingenitus est, ex quo & filius prognatus est, & spiritus processit. nō est igitur filius & spiritus sanctus idipsum quod pater. Respondeo, ingenitum, genitum, procedētem, nomina hæc nō ad essentiam attingere, sed ad modos subsistentiæ: quòd modus subsistentiæ uocibus his exprimatur. at essentia manifeste significat Dei nomine, ut pater à filio & spiritu, iuxta subsistentiæ

modum differat, salva identitate iuxta rationē essentiaē. nam si hic ingeniue habet essentiam, hic genitiue, hic processiuē, isthac ad differentie considerationem apta sunt: quòd si preter substantias ipsa essentia quæritur, hæc communi deitatis nomine significatur: quòd dico fiet clarius hoc modo. Qui substantiam Adami considerat, quomodo ut esset acceperit, inueniet eum non genitum: non enim ex alio quopiam homine, sed diuina manu formatus est: ea formatio modum substantie denotat. significat enim quomodo factus sit. & uicissim substantie modus formationem exprimit. indicat enim similiter, eum formatum extitisse. quòd si quæras ipsam essentiam qua coniunctus est suis posteris, hominē pro subiecto inuenies. sicut igitur formatio modum substantie denotat, et substantie modus formationem exprimit, ceterum essentia ratio hominem subiectum ipsum indicat: sic et Deum patremque considerabimus. nam si modum substantie quæras, uidens ex nullo alio genitum, uocabis eum ingeniue: si uerò ingeniui uocabulum consideres, substantie modum significare id inuenies. quòd si essentiam ipsam indicare uelis, qua cum filio cohæret ac spiritu, demonstrabis eam Dei nomine. itaque illud ingeniue et substantie modus, notæ sunt quibus interstinguntur: ceterum uox hæc Deus essentiam significat. sicut enim Adam, quamuis non eodem quo ipsius posteris modo genitus, tamen cōmunem cum eis habet essentiam: sic nulla ratio est cur propter ingeniui nomen diuellatur essentia cōmunis patri, filio, spirituique. itaque uoces hæc ingeniue, genitus, procedens, nō essentia, sed substantias significant: ualēt enim ad discernendas personas patris, filij, sancti spiritus, & indicandas nobis singulorum proprias substantias. sic dum geniti uocabulum quasi notam quādam audimus, mox cogitamus filiū: quemadmodum & per procedentis notā, spiritus propriā personā discimus. Hæc satis sint ad demonstrandum, quòd ingeniue, genitus, procedens, nō significant ipsam essentia, sed substantias, & essendi modos determinēt. Reliquū est ut differamus de essentia, quomodo una sit patris et filij et sancti spiritus. Videmus cōmuni more eandem essentia prognatorū & gignētium. Verūm præstat rem altius exordiri, ne sermonis seriem interrumpat questio si qua inciderit: et primum diuidamus ea quæ sunt, inueniemus omnia uel creata esse uel increata. quicquid enim in rebus est, aut increata natura est aut creata. increata quidem herilis et ab omni necessitate libera, creata uerò seruilis et obsequens legibus herilibus. altera illa præpotens, et pro potestate quicquid uult faciens, hæc uerò altera ministerio

nisterio solo, quod ab ipsa deitate accepit, perfungi ualens. Hęc cū ita diuidantur, productis in medium scripturę oraculis, considera diligenter in utra parte collocent filium & spiritum. oportet enim apud ecclesię alumnos non humanis rationibus res diuinas examinari, sed iuxta spiritualem doctrinam sermones fieri. ac primum nos Dauid doceat, is hymno in Deū composito totius creaturę nomine, enumeratisq; his quę ccelo continentur unā cum ipfis potestatibus, similiterq; rebus terrestribus, nō adhibet ad hęc laudantium chorum filium & spiritum, nimirum cum natura diuina coniunctos. nam si scisset horum creatam essentiam, non præterisset solos silentio, imò ante omnia mentionem eorum pro dignitate fecisset. Sic & beatus ille Paulus diuino ardore correptus, & feruentem suam erga Deum charitatem ac dilectionis constātiā non dissimulāter contestans, in hęc uerba prorumpit: Certus sum enim quòd nec uita, nec mundus, nec mors, nec angeli, nec potestates, nec principatus, nec presentia, nec futura, nec altitudo, nec profunditas, nec ulla creatura alia poterit nos diuellere à charitate Dei in Christo Iesu nostro domino. Similiter enim & ipse postquam recensuit mundum, uitam, mortem, angelos, archangelos, principatus, potestates, & insuper præsentia futuraq; profunditatē ac altitudinem, præterea nihil in natura creata inueniens, nec tamen cohibere ualens sermonis impetū, suppleuit eum per hyperbolē, addēs creaturam aliam. Ergo qui hyperbole opus habuit, ut declararet charitatis erga Deum suę constātiā, si sciisset creatam essentiam filij spiritusq; non & horum cum ceteris mentionem fecisset? Vnde liquet nō coniungi cum creata natura filium & spiritum: & habeo multa alia testimonia, sed quia cum ecclesię filijs agimus, & compēdia sectamur, opinor sufficere quę dicta sunt. Reliquum fuerit ostendere quòd in natura diuina censeātur filius & spiritus, & primum dicetur quod ad rem attinet maxime. Dominus noster Iesus Christus postquam resurrexit à mortuis, in ccelū ascensurus, apostolos ad erudiendas baptizandasq; gentes mittēs, sic eis mandauit: Ite, docete omnes gentes, baptizando eas in nomē patris & filij & sancti spiritus. Corinthijs quoq; scribens beatus Paulus, finem epistolę quasi obsignat doctrina hac apposita, dicens: Gratia Domini nostri Iesu Christi, & dilectio Dei, & societas spiritus sancti, cum uobis omnibus. Rursum ad Ephesios sic ait: Summo angulari lapide ipso Iesu Christo, in quo quęcūq; structura coagmentatur, ea crescit in templum sanctum in Domino, in quo & uos coedificamini in habitaculum Dei per spiritum. Videtis quo pacto

docens de structura quę fit in Christo, per quam Christi templum efficitur, iuxta illud: Inhabitabo in eis & inambulabo, & ero Deus eorum: tres personas coniunctim nobis commemorat. Summo, inquit, angulari lapide ipso Iesu Christo, ac paulo post: In quo & uos cogdificamini in habitaculum Dei per spiritum. Hinc enim discimus, Christum Deum & Spiritum, unum numen, inhabitare ac uim suam exercere in nobis. quotquot dignatur sua gratia, id satis apparet ex his quę dicit alibi: Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelis & in terra nominatur, ut det uobis iuxta diuitias glorię suę, ut fortitudine corroboremur per spiritum suum, in internum hominem, ut inhabitet Christus in uobis. Ecce rursus Paulus meminit, inhabitantis numinis, unam complectens patrem, filium, sanctumque spiritum, sicut ubique solet has tres personas in eundem referre ordinem. Nam in secunda ad Corinthios sic loquitur: Qui autem confirmat nos uobiscum in Christum, & qui unxit nos, Deus est qui etiam ob signauit nos, deditque arram spiritus in cordibus nostris. Hic quoque gentium doctor disertè coniunxit patrem Deum, & Christum filium, & sanctum spiritum, sicut in literis ad Galatas: Quoniam autem estis filij, emisit Deus spiritum filij sui in corda uestra, clamantem Abba pater. ubi rursus tradit coniunctim cogitandum patrem filium et spiritum. uide uerò quomodo apponat summę coniunctionis indicia. non enim simpliciter dixit, emisit Deus spiritum: sed nunc eum coaptauit filio. alias patri attribuit, ubi dicit: Vos autem non spiritum mundi accepistis, sed spiritum ex Deo patreque. ac rursus filius, cum ipse sit ueritas, uocat hunc ueritatis spiritum, quem & patris esse docet nos, à patre procedentem uidelicet. hanc sententiã perpetuò confirmant sacre literę, non esse cogitatione separandum patrem à filio sanctoque spiritu: imò ne in mundi quidem opificio filij spiritusque operam à patre semouent diuina oracula, id quod ex Dauide licet discere, sic canente: Tu Domine initio terram fundasti, & caeli sunt opus manuum tuarum. Compedio uoce hac Domine, significauit filium quoque ac spiritum, nihilominus propter imperitiores utitur etiam personarum distinctione: sic loquens: Verbo Domini caeli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. atque ad eone potestate quidem inferiores esse patre filium & spiritum, e sacra scriptura didicimus: audi uerba ipsa: Deus autem noster in caelo et in terra fecit omnia quaecumque uoluit. Hoc de patre dixit Dauid: filius uerò hanc potestatem in leproso illo exeruit. Volo, inquit, mundus esto, eandem beatus Paulus etiam spiritum exerunt, Volo, inquit,

quit, mundus esto. Eandem beatus Paulus etiam spiritui sancto tribuit, sic scribens: Hęc autem cuncta operatur unus & idem spiritus, diuidens cuique sicut uult. Proinde quādo & in doctrina per totum orbē publicata, & in præscripta forma baptismatis, & in creationis narratione, & in uipotestatis, coniūctim patris, filij, sanctique spiritus unum nomen accepimus, quis contendet filium & spiritum alienum ab illa diuina beataque essentia? Nec est cur mihi quis iurgium faciat, quòd aliud pollicitus, tractem aliud: quasi nō eiusdem essentia proferam argumenta, sed tantū probationes, quòd pater & filius & sanctus spiritus cēseant in eodē ordine. cur enim unā censeantur nō alia est ratio, nisi quòd patris & filij & spiritus sancti eadem sit essentia. Age, consideret diligēter iste reclamator diuisionē nostram denuò: inueniet exactam rationem essentia in ipsa coaptatione ordinum. Summam rerum diuisionem fecimus bifariam, in increatam & creatam naturam: & conuenit inter nos increatę argumēta esse hęc, quòd herilis sit & ab omni necessitate libera, efficiens pro potestate quicquid uult: ediuerso creata seruilis sit, legibus herilibus obsequens, accepto à deitate ministrandi officio. Iuxta hanc diuisionem, cum inter deitatem, hoc est rem increatam, & creaturam, nihil esse medium cōstet: quicquid à creatura diuersum est, nimirum à natura diuina diuersum non erit. ergo quando quidem prolixè declarauimus diuersum esse à creatura filium & spiritum, qui rebus creatis non connumerentur, sed ubique cū patre coniungatur, annon extremę demētia fuerit, censere hos extra increatam essentiam: necesse est enim frustrari alterutrum: aut demonstrantur creati, & ab increatis separabuntur: aut si euincatur esse increatos, è creaturis eximentur. atqui apparuit & à creata natura seiuictos esse, & cum increata coniunctos: præterea nihil medium, unde sequitur habere hęc communem essentiam, quæ ubique coniuncta sunt. Si enim, ut dictum est (liceat mihi eadē repetere, quòd res fiat euidētiōr) & in doctrina per totum orbem publicata, & in diuinis scripturis à sancto spiritu proditis, & in mundi creatione, & in potestatis autoritate, accepimus eadem de patre & filio & sancto spiritu, quis est tam rudis ut dubitet de communi eorum essentia? Decet igitur ut unum Deum confiteamur in patre, filio, spiritu que sancto agnitum, quatenus pater & filius & spiritus sanctus unius deitatis dignoscendo substantias: quatenus autē Deus, essentiam communem substantiarū intelligendo. unitas enim in trinitate intelligitur, et trinitas in unitate nolcitur. id quomodo fiat, nec alios scrutari uelim, nec ipse mihi possum satis facere, cū

arcanos sermones lutea carneaque ac sordete lingua contrectare mihi sit religio. quamuis enim mens pura nobis sit insita, per quam sepe celsiora nobis ratiocinando apprehendimus, tamen compare carne grauata hebescit ad euidentem perceptionem rerum maiorum: quandoquidem terreum hoc tabernaculum mentem multam cogitatem degrauat. Nullo igitur modo, cum simus homines, possumus penetrare ad illam primam ac beatam essentiam. Quid dico diuini nam essentiam? imò ne ad mysteria quidem eius. Nihil enim diuinum manifestum est hominibus, ut ait quidam Græcorum sapiens: & quidem uere, quantum ego iudico. Dum enim audio Paulum instrumentum illud lectissimum, qui ad tertium cœlum euasit, et arcana audiuit non eloquenda linguis humanis, profitentem se intus habere largitorem eloquentiæ, et tamen cognitionem duntaxat ex parte sibi unedicentem: Nunc, inquit, nosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut sum cognitus. ac rursus, Ex parte cognoscamus, et ex parte prophetamus: quomodo possum credere, perfectam rerum diuinarum noticiam contingere mortalibus? nam si his qui ad Pauli modulum pertigerunt, obscura quedam et succisua contigit: hoc enim subindicat uisio quasi per speculum et in ænigmate: quis est tam insolenter audax, ut perfectam rerum diuinarum cognitionem profiteatur? proinde nos quoque non ignari quam sint hæc arcana inexplicabilia, cum Dauide ad Deum exclamabimus: Mirabilis facta est notitia tui ex me: confortata est, et non potero ad eam. Sic enim et loqui et sapere æquum ac pium est. nam prudentem piumque uirum decet numini cedere. res igitur diuinas quatenus tutum est scrutemur, pietate uero ita ut religiosi dignum est colamus. quamuis enim natura diuina sit incomprehensibilis, non debemus tamen in totum ab ea quærenda desistere, et per ignauiam uitam consumere: sed pro sua quisque portione acceptæ à Domino scientiæ, strenue rem examinet, certus non quidem exacte se percepturum, profecturum tamen aliquantum per huiusmodi contemplationem, accedendo ad illum propius. Sic igitur intelligimus filium à patre progenitum, sicut lumen à lumine promicans. nam hac imagine refertur & coæternitas, & essentiæ identitas, & passionis expers natiuitas. quatenus enim eluxit, cum eo unde eluxit, sine tempore fuit. quod enim tempus medium potest inter lumen et splendorem eius intercedere? quatenus autem lumen à lumine, rationem luminis præ se fert ex quo enatum est. rursus quatenus lumen est id quod progignitur, passione caret natiuitas. non enim decisione aut defluxu aut diuisione elucescit, sed ex ipsa essentia sine ulla passione procedit.

procedit. Eandem scientiam tenemus & de sancto spiritu, sicut
 filium sic spiritum à patre oriundum, nisi quòd differunt modo
 substantiæ. alter enim lumen è lumine profulxit genitiue: al-
 ter & ipse lumen è lumine, non tamè genitiue, sed processiuè pro-
 uenit. atque ita coæternum patri coessentialèq; & sine passio-
 ne ab illo progressum intelligimus, ut sit in trinitate unitas, & in
 unitate trinitas. His perceptis, & contenti hac mensura scientiæ
 accepta à Domino, exponimus filijs ecclesiæ quod comprehen-
 dimus, hortantes eos ut sic sapiant, donec eis perfectior affulxerit
 noticia, quando quidem intenti huic nostre expositioni proficient
 in cognitione sobria. nec enim fucatam aut turgidam aut iactabun-
 dam doctrinam ostētauimus: quippe qui maluimus pro uirili pijs
 & deo dignas ratiocinationes colligere, & unius deitatis in tribus
 perfectis substantijs notitiam exponere. Hanc de beata illa diui-
 naq; trinitate sententiam professi, accedamus ad differendum de
 gratia uerbi dei dispensationeq; quamuis & ipsa dispensatio arca-
 nam rationē habeat: nos pro uirili hæc quoq; modo eodem ser-
 uabimur. Quando enim Verbum illud animaduertit creaturam
 suam opus habere instauratione, & luendas esse pœnas, quas Adā
 per trāsgressionem incurrerat, tunc de coelo ad nos descendit, non
 corporali descensu, sed diuinæ uoluntatis efficacia. ad eam dispen-
 sationem usum est sequestra uirgine stirpis Dauidicę, sicut illi regi
 promissum fuerat: & ingressum in eius uterum, quasi semē quod-
 dam diuinum, fingit sibi templum perfectum hominem, sumpta
 parte quadam illius nature, quę fieret formandi eius templi essen-
 tia. hoc indutus & huic unitus, filius dei prodiit nature gemine. ex
 illo enim tempore filius & deus & homo est. ita dispensationem
 erga nos suam absoluit, quando quidem Adam peccando poste-
 ros suos morti subiecit, et uniuersam eorum naturam huic debito
 reddidit obnoxiam, at filius ut deus & homo lapsum Adam in in-
 tegrum restituit: et in quantum homo, uitam agit inculpabilem,
 mortemq; spontaneam suscipit: absoluta quidem uiuendi ratione
 delictum abolens, mortem uerò debitam in debita irritam faciens.
 In quantum autem deus, quod collapsum est restituit, et mortem
 ipsam in totum destruit. idem igitur est filius, qui et cōcidit, et col-
 lapsa restituit: in quantum homo, concidit: in quantum deus, resti-
 tuit. quoties igitur audieris de uno filio uoces contrarias, collatas
 inuicem diuide iuxta utramq; naturam, magnificas diuinasq; diui-
 ne nature attribuens: quicquid autem exiguum et humanum, hu-
 manę imputans. sic enim et uocum earum discrepantiam effugies,

reddendo sua cuique naturæ, & filium unicum antiquiorem seculis omnibus, eundem recens natum iuxta sacras scripturas confiteberis. Nec est cur quisquam ex me huius unitionis modum scitetur. non pudebit enim fateri ignorantiâ: imò gloriabor potius quòd credam arcana quibus initiatus sum, quæ nec ratio nec mens ualet percipere: quare caue nequid manifestum de his uel ex me uel ex alio discere cupias. quòd si libet ea cognoscere quæ ipsi percepimus, non celabo filios ecclesiæ, hoc tantum admonitos, quòd tractantibus hanc expositionem opus sit superno fauore ac auxilio, ut aliquatenus fiant sui uoti compotes. Sunt qui hanc unitionem, qualem animæ cum corpore intelligant, atque ita doceant: et conuenit exemplum si non omnino, saltem ex parte. quemadmodum enim homo cum sit unus, habet in se duas diuersas naturas, & alia sui parte consulit, alia consultum exequitur, animo decernens nauis structuram, manibus uero opus decretum conficiens: sic filius unus cum sit naturæ geminus, iuxta alteram patrat miracula, iuxta alteram humilia quæque in se recipit, quatenus enim ex patre et Deus, facit prodigia: quatenus est uirgine et homo, crucem, passionem, & similia ultro pertulit naturaliter. Hactenus si quis conferat, similitudo quadrat egregie, ediuerso si totum cum toto componat, tollet differentiam. nam homo quanquam duas naturas habere uideatur, non habet tamen, sed ex duabus constantem. sicut enim corpus constat ex igne, aëre, aqua, terraque, nec tamen est ignis aut elementum aliud: diuersum enim est ab his ex quibus constat, quippe cum alia ratio sit compositi, alia eorum quæ in compositionem ueniunt: sic homo quamuis ex anima constans & corpore, aliud est quam ea unde componitur. Dicam apertius. Ex diuersis materijs domum ædificamus, nemo tamen dixerit, domum idem esse quod materias ex quibus constructa est: nec enim domus est simpliciter lapides & ligna & reliqua. nam si hoc esset, ante ædificationem ipsas separatas materias domum uocare licuisset: nunc postquam sibi inuicem coaptatae sunt, domum absoluunt: atque etiam hac diruta, nihilofecius materiae permanent sui similes. cæterum domum perisse dicimus quam absoluebat huiusmodi compositio materialium: id quod & in homine accidit. nam etsi constet ex anima & corpore, non tamen idem est cum eis, sed diuersum: ut homo constet ex copula corporis cum anima, & existat tertium quiddam aliud. atque hoc liquet ex eorum seiunctione, postquam corpus sui simile permanet, quandoquidem uel mortuum tres dimensiones retinet, anima quoque æquæ rationalis post seiunctionem manet ut antea, cæterum homo perijt, qui constabat

ex

ex coniunctione utriusque, at Christus non ex deitate humanitateque
Christus factus est, cum non sit diuersus ab his duobus, sed utrumque
& homo & deus. Deum intelligimus ex miraculis, hominem ex na-
tura nostre simili. alioquin anima plerumque ante corpus occupatur
passione, & prior patitur: cum ipso uero nunquam non afficitur.
& saepe ante sectionem eius anxia, prius quam illud alteratur, atque
post sectionem nihilominus dolorem admittit: quod quidem de
deitate Christi orthodoxus nemo, modo sanæ mentis sit, ausit di-
cere aut cogitare. itaque hominis exemplum partim recipiendum,
partim fugiendum est. Equidem iam ante factus sum me huius ueri-
tatis manifestam cognitionem non posse mente comprehendere:
ac ne nunc quidem poenitet huius modestiæ, contentos dato nobis
modulo: proinde rationes ad pietatem accommodando, exemplum
hoc adhibemus: magis tamen placet hanc unionem conferre cum
ampliore quadam imagine, magis decete magnificam ex tanto pa-
tre originem. quoniam enim uerbum illud quod in mundum ue-
nit, lumen effulxit ex ingenito lumine, malim à lumine sumere hu-
ius unionis similitudinem. Intelligamus igitur illud uerbum lu-
men esse primigenium, quod prima uoce Dei per ipsum uerbum pro-
gnatum est: corpus uero solare, corpus humanum, cui modis arca-
nis uerbum illud unitum est. Caue autem putes solem aliud lumē
quàm id quod primū factum est, nec enim quasi parum sufficiente
ad illustrandum mundum illo primo, sol factus est, ut defectum eius
suppleret. nō est enim talis hic opifex, ut nec perfectum opus pro-
spexerit, nec splendorem quātum usus postulat, creauerit. Vnum
est igitur lumen illud primigenium, sol autē corpus ei paratus est,
in quo collectum lumen hoc diffundat se inde per omnia. hoc ho-
rarum diei cursum per corpus absoluit nobis ex officio. nisi enim
adstrictum esset corpore, sed totum in toto aëre, neque dies dimeti-
retur, neque motu ordinato autorem suum nobis ostēderet. Quod
si mihi objicias, etiam ante solem conditum diem noctemque fuisse,
primum assentes lucis naturam illustrādo uniuerso suffecisse: de-
inde quæres causam cur sol factus sit, nec aliā inuenies quàm à no-
bis iam redditam. nam antea totum lumen diffusum per totum aë-
rem neque motu ferebatur æquabili, neque diei mensuras dister-
minabat, sed contrahendo se nocti decedebat, ut modis omnibus
uerum approbetur, aliud quiddam esse lumen, aliud solare corpus,
huius conceptaculum. Cum ita se habeat lumen ad solare corpus,
considerate iam diligenter hanc rationem, sicut enim post unio-
nē primigenij luminis cum solari corpore, nemo hæc potest abin-
uicem

uicem diuellere, neque alterum solem seorsim uocabit, alterum uero lumen, sed unus sol hoc lumen dicitur: sic de illa uera luce & sanctissimo corpore, post unitionem nullus dixerit, alterum seorsim filium uerbum Dei, alterum uero filium, hominem: sed utraque unum & eundem intelliget, sicut unum lumen & unum solem, tum comprehensum lumen, tum corpus quod id continet. Rursus sicut unum lumen & unus sol, naturae uero duae, altera luminis, altera corporis solaris: sic & hic, unus filius & dominus et Christus & unigenitus: naturae uero duae, altera nostra, altera nobis superior. Rursum sicut huic lumini lumen inest actu, quod nemo separare possit à corpore conceptaculo suo, ratione tamen quiuis discernat naturam, cuius est haec uis propria: sic in uno filio Dei, uniuersam uim nemo separauerit ab unica filietate, naturae tamen eius proprietatem ratione quiuis discreuerit. Hoc exemplo diuinæ unitionis adducto, nos ad magis piam cogitationem confugimus, si non omnino ipsam ueritatem assequuti, certe quandam eius similitudinem, quae pie scrutantibus sufficiat. Siquid horum uidetur prope ad ueritatem accedere, lauda largitorem mensurae huius scientiae: quod si quid magis pium ab alio didiceris, rursus lauda illius prouidentiam. nam ipse antiquissimus per alium uim suam exercet. Quonia igitur quoad potuimus satis confessionem rectam exposuimus, gaudium filijs ecclesiae precati, & gratias ei qui hanc differendi facultatem dedit, agentes, posthac quieti uitam degemus per silentium. Sed animaduerto quosdam instaurantes sermonem, & prouocantes in alterius quaestionis stadium, currendi auidos, & fortassis experiendi num prior cursus aliquid lassitudinis attulerit. at qui reperiunt quiddam fonti simile, qui quo magis frequentatur ab haurientibus, eo limpidiores profundit latices. itaque cursus hic adlubescit sermoni iam pulsanti carceres, & signum certaminis expectanti auide. proinde signum det ei rogator, parato ad erumpendum & incredulitatem prosternendam, compescendasque linguas impias, tum uero ad distinguendum quid oporteat de rebus diuinis quaerere, quid credere, ut iure certaminis uictor pronuncietur. Quaeritur: quomodo uerbum illud ubique sit iuxta essentiam, & quomodo in templo proprio, si enim sic & ibi ut in uniuerso, templum nihil habebit praeteris. & quid faciemus illi scripturae: In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. quod si quis concedet in templo esse plus, ergo non adest rebus omnibus iuxta essentiam, quod est Dei proprium. Manifesto indicio se prodit incredulitas, quando de Deo quaerit hac uoce Quomodo, alioqui quomodo caelum, quomodo

quomodo terram, quomodo mare, aërem, stirpes, animalia cuncta, teq̄ ipsum ista curiose de Deo scrutantē condidit? Vtiq̄ respondebis eum absoluta potentia produxisse omnia, num igitur Dei potentia creaturis per accidens adfuit, an iuxta essentiam? si per accidens, certe ut existentibus antequam crearentur: quoniā accidens suapte natura non per se est, sed in subiecto aliquo, id si risum meretur, reliquū est ut iuxta essentiā adsit omnibus. Ergo quia iuxta essentiā uis illa creaturis aderat, nihilne plus habebat ipse dominus qui templum est? nec hæc ratio nec illa inuenit exitum, utraq̄ fides explicat, uidēn' quāto impetu prostrata sit incredulitas: uide ut cohibeantur linguæ impiæ. Dicite nobis uos qui ad Christianismum aspirare fingitis, qui ut tollatis duas naturas, quæstiones tales proponitis, qui mixturam, cōfusionem, & mutationem in deitatem ex corpore, ut hæc confundatis comminiscimini, qui nunc in carnem uerbum uersum asseritis, nunc carnem in uerbi essentiā, et hac mentis deprauatione nihil uos sapere ostenditis: dicite inquam nobis, quomodo uerbum caro factum cælos non reliquit, utiq̄ dicetis, ideo quia caro factū Deus permansit. Respōdete rursus, quomodo permansit, factum caro: si mansit quod erat, quomodo factum est quod non erat? quòd si factum est quod non erat, quomodo mansit quod erat? Nō explicas solutionē: nec unitionis huius modum explicabis, sed credis quòd manendo factum sit? crede etiam idem Verbum ubiq̄ adesse iuxta essentiam, eximie uerò in templo proprio. Rursus rogemus quomodo corpus hoc post unitionē, naturam diuinam assumpserit, ut cum uerbo unitum fieret immortale ac incorruptibile, id si sic se habet, corpus quidem manet corpus, quia non corpus est Deus, factum tamē diuinæ maiestatis particeps, non nature, quia ipsi uerbo ita uisum est. Quòd si uerbū per hanc unitionem in suam naturam corpus mutauit, rursus querendum, quomodo corpus in essentiam uerbi mutatū sit, num isthac mutatione in essentiam uerbi, additum sit quicquam ipsi essentiæ, ergo imperfecta erat antea, si quidem augmentum recipit. Sed nihil ei accessit, ergo sequitur, ut quod mutatum est, nihil sit, & quomodo nihil in diuinam transijt essentiam? Dicent: non in propriam essentiam sermo ille corpus suum resoluit, sed in diuinam refinxit. Respōdeant igitur denuò, sic ne in diuinā, ut diuersa sit à sua, an in eandem cum sua. Si in eandem cum sua, duas diuinas essentias uerbi prædicabimus: unam quam ex patre natum habebat, alteram in quam corpus suum mutauit, quòd si in diuersam à sua, nec in diuinam, creatam dicent utiq̄, nam inter deitatem et creaturam nihil potest

potest esse medium. præterea quid opus erat hac mutatione corpori, si rursus mutabatur in creatam essentiam? Caligare uideris oborta uertigine, hæsitareque metuendo nequid modo dicta pungent cum ratione nostræ fidei, at ego dum querens ambigo, tum maxime miratus Christiana mysteria cogor exclamare, nostras res esse sublimiores quàm ut ulla mente, ulla ratione, ulla creata natura percipi queant, quoties autem te quoque similia scrutantem subibit dubitatio, oppone questionibus paratam solutionem, fidem uidelicet, cogitans quòd præsentem fauentemque Deo, etiamsi ignoretur aliquid eorum quæ dicta sunt, uel propter excellentiam naturæ, uel propter dispensationis modum, nullum inde damnum accidet ignorantibus. annon pudet audacię dum in res diuinas inquiritis, nisi non audistis oraculum, quod uestri similibus conatus cohibens, luti et figuli proponit similitudinem, docens nos abstinere à curiositate, & à scrutandis arcanis diuinis: cedendum potius uoluntati Dei, sicut lutum obsequitur suo figulo. Subeat igitur uos uel tandem religio, & æquo animo cogitationes uestras suppressite, nec aliud quàm sola fides uestras hæsitaciones dissoluat: timete diuina eloquia, sicut scriptura monet: ut requie diuina digni habitii, uerba illa beata audiatis à Deo rerum domino dicente: In quem aspiciam, nisi in modestum & quietum, tremementemque sermones meos? Sic retusis linguis impijs, iam ad distinguendum festinat oratio. uos ecclesiæ filij, qui pie quæstionem mouetis, percontando non tentandi, sed pro uiribus discendi gratia, promptum mihi animum aduertite. Doctrina diuina cum sit multifaria, cõpendio duobus continetur capitibus, disciplina mandatorum obseruandorum, & cognitione cultuque Dei. proinde pietatis amatores dabunt operam, ne ignorent mandata, & ut ea custodiant, sed prius ut Deum colant, certe huius notitiam uestigabunt summo studio. ubi uerò deficiuntur uiribus, adorabunt ut incomprehensibilem, ne nostra fides frustretur, iuxta hoc prescriptum, cum sciamus quænam quærenda credendaue sint, curabimus ut sermo noster uincat in hoc stadio. Exequatur igitur strenue reliquum certaminis. Fatemur nos ignorare manifestam ueritatis sciētiam, quoniam in hac confessio-
ne sita est bona pars uictoriæ. quatenus autem fas est humanam naturam peruenire, eatenus scrutatus pietate salua quæstionem hanc uobis explicabo. Quæritur quomodo uerbum illud & in proprio templo sit iuxta essentiã, & in rebus omnibus similiter, & quid habebit hoc templum præ cæteris rebus. audiamus scripturam dicentem: Qui est in sinu patris iuxta essentiã, uniuersis ex æquo adest.
nec

nec dicimus eum sic in patre esse, ut in rebus cæteris, nō quòd eius essentia contractior fiat in alijs, sed quia mēsurā harum ad captum diuinitatis non sufficit. Sic à proprio templo inseparabilem fatentes, in quo plenitudo deitatis inhabitet, nihilominus rebus omnibus eum adesse iuxta essentiam dicimus, etsi nō similiter, nec enim capit deitatis splēdorem corpus sordidum. id licet exemplo discere, nec enim celabo huius quæstionis pondus filios ecclesiæ, piē cū eis differens. Cōmunis hic sol nobis quotidie se præbet omnibus, nec magis minúsue irradiat alium q̄ alium, sed in omnes ex æquo exercet uim suā. attamē si quis acutiore uisu polleat, plus eius splendoris recipit: nō quòd sol magis in eum agat quàm in cæteros, sed propter uim oculorū eximiam, at quisquis infirmos habet oculos, ne obtueri quidem tantam lucem poterit, propter eorum hebetudinem. idem cogita de sole iustitiæ, cum sit Deus ex æquo, illū adesse omnibus iuxta suam essentiā: nos autem quotquot sumus, ut hebetes & oculis squalentes præ peccatorum sordibus, ad percipiendum lumen non esse idoneos, templum uero illud proprium oculo purissimo splēdorem totius luminis capere, utpote formatum sancti spiritus opera, & à peccato prorsus alienissimum. nam sicut sol quamuis sua ui attingat pariter omnia, tamen non ab omnibus similiter capitur: sic uerbum illud iuxta essentiā præfens omnibus, non similiter adest cæteris ut templo proprio. uide quomodo in hoc curriculo sermo noster uictor euasit, superest ut laureatus transfuehatur & triumphet de aduersarijs: nos uero Christiani prosequamur eum carminibus, faustisq; acclamationibus, concelebantes uictoriam, accinentesq; Cursum absoluiisti, fidem seruasti, reposita est tibi corona iustitiæ. Sed præstat hymnis decantare auctorem huius uictoriæ, uerbum illud diuinissimum, lumen uerum, illustrans omnem hominem uenientē in mundum hūc, cuius ope uiuimus & mouemur & sumus. per quod omnia facta sunt, per quod nos extricamus ex istis uerborū uersutijs, agnoscentes illum curatorem, largitorem, benefactoremq; cui sacrificamus actionum suauolentiā, ipsum tractantes, ipsum spirantes, ipsum cogitantes, ipsi adhærentes, ipsum laudantes perpetuò, spem beatam regni cœlestis quod ab ipso accepturi sumus.

LIBRI DE PHILOSOPHIA
DIVI IVSTINI PHI-
LOSOPHI ET MARTYRIS CON-
 FVTATIO DOGMATVM ALIQVOT
 Aristotelicorum.

SIGISMVNDO GELENIO INTERPRETE.



INTER omnes honestos conatus, quibus homines Deū demereri student, nullus est ei gratior, quàm cum dant operam ut seipsis meliores euadant, curatq; ut & alij proficiat. Huic uestro tam feruenti desiderio, presbyter honorande Paule, libenter parui, seligere iussus aliquot dogmata Græcorum de Deo, deq; rerum creatione: non ut ueri quippiam ex his discas: quī possis enim, cum à maioribus doctrinam prophetarū de his rebus acceperis: sed ut cognoscas Græcos professores de Deo, deq; creatione, nō iuxta demonstratiuam scientiam uerba facere, quippe coniecturis definiētes quicquid ipsi uidentur. Qui de Deo creationeq; differuerunt homines, partim ab ipso creatore deo de utroq; didicerunt, in hoc prophetis illi subseruientibus, post autoritatem eorum fidemq; miraculis confirmatam diuinitus, ut eo facilius persuaderent doctrinam obscuram antea: partim contemptis prophetarū eloquijs, ut fide carentibus, proprijs rationationibus cōmiserunt uestigationē Dei notitiæ. Iuxta illos diuinitus edoctos de creatione, unus est Deus, utroque ingenituræ modo ingenitus, qui deū deos uel nec ante se, nec post se habuit, nec subiectum coeternum habens, nec obiectum, incorruptibilem habens essentiam, & nullis obstaculis cohibendam efficaciam, opifex mundi totius, orti ex ipsius uolūtate, à qua ut sit accepit, à qua pendet etiam eius durabilitas. nam partes mūdi aut incorruptibiles permanent, ut cœlum atq; cœlestia, potestatesq; inuisibiles: aut uicissim gignuntur, ut terrestres animantes plantæq;. Et sicut quicquid factum est, non fuisset factum nisi illo iubente, Fiat: sic nec permaneret, nisi mandatum addidisset ille, incorruptilibus quidem ut persistāt in seculum seculi: generationem autem corruptionemq; alterantibus illud, Crescite & multiplicamini, & replete terram. ut autem appareat diuina eius potentia, quòd nō legibus naturæ seruiat, sed suo arbitratu operetur, iniitia quidē naturæ generabilium ac corruptibilium ē terra & aquis produxit

produxit iussu hoc: Proferat terra animam uiuentem in genere suo, & herbam habentem in se semen, & ligna fructifera. Rursum: Producant aquæ animam uiuentem in genere suo. Cæterum quæcunq; prognata sunt è primis originibus, gigni è seminis iactu instituit, id quod omnes prophetæ cœlestis numinis apud humanum genus interpretes, constanter senserunt, nulla inter ipsos dissonantia, qui autem diffidunt prophetarum sermonibus, & malunt coniecturis de Deo creaturisq; quod sibi placet definire, ualde tum ab inuicem, tum à seipsis discrepant de rebus, earumq; principijs, iuxta essentiam, numerum, motum, finem deniq;: sicut liquebit è primo libro Naturalis auscultationis Aristotelis, nihil ueri dicentis de rebus de quibus definire proposuit.

EX PRIMO LIBRO NATURALIS

auscultationis Aristotelis.

Semper enim est aliquid quod subiicitur, ex quo generatur id quod fit: ut plantæ & animalia ex semine. fiunt autem omnino quæ fiunt, quædam transfiguratione, ut statua ahenea: quædã additione, ut ea quæ incrementum capiunt: quædam ablatione, ut marmorea statua: quædam compositione, ut domus: quædã alteratione, ut ea quæ uertunt suam materiam. omnia autem quæ sic fiunt, manifestum est quod ex subiectis fiât, idq; dupliciter. est enim aut subiectum, aut oppositum. oppositum uoco immusicum, subiectum autem hominem.

Si prius est semen quod seminat, posterius id quod ex eo gignit, & utrumq; genitum, generationi quidem rei è semine genitæ subiicitur semen: generationi uero seminis seminantis subiici semen non est possibile. ergo non semper animalia plantæq; gignunt è semine.

Amplius, si est animal genitum utrumque, tum quod seminat, tum quod è semine gignitur, nec est ex eodem semine utrumq;, sed alterum è semine, alterum non è semine: annon falsum est semper animalia gigni è semine: eadem et de plantis ratio.

Amplius, si principium è semine geniti est seminans, id quod indefinitum reliquit in tractatu de Auscultatione naturali Aristoteles, quã obrem scripsit hunc tractatum, ignorato principio primi animalis plantæq; genitæ. ignotum principium sequitur ignoratio eorum quæ inde oriuntur.

Si animal quod è semine gignit, fit secundum naturam, liquet quod animal genitum quidem, sed non è semine, non fit secundum naturam. dicant igitur Aristotelici, secundum quid fiat animal quod non secundum naturam gignitur.

Amplius, si in hoc sita est differentia generationis animalium, quod aut è semine genita sint & secundum naturam, aut non è semine,

nec secundum naturam, necessarijs finibus circumscribitur generatio. quomodo igitur Græci aiunt animalia plantasq; principio carere æque ac Deum, cum sint secundum naturam genita, & ne primo quidem animali possint esse contemporanea.

Amplius si omne genitum semper compositum est, quanam ratione modum per compositionem generandi peculiari differentia ab alijs generationis modis distinxisti? nam si omne genitum est compositum, secundam compositionem fit necessario. quòd si modus generationis secundum compositionē generationi omni conuenit, superflue alijs generationis modi distinguntur suis differentijs.

Amplius si subiecta dictis generationib. essentij sunt, & in eis considerat subiecti duplicitas, id est subiectū & oppositū: materia autē essentia nō est: quī cōuenit modus generationis generatorū ex essentijs, modo generationis nō ex essentia generatorum? necessum est igitur aut essentiā esse materiā, aut generari alio præter iā dictos modo quæ gignuntur ē materia. ceterum quoniā in tractatu de Auscultatione naturali, definitū est materiā nō esse essentiā, & modus generationis ex ea generatorum non traditur, an non superuacua uidetur hæc tractatio, in qua manifeste perplexitas deprehēditur?

Amplius si quemadmodum naturam & artem oportet nō ē fortuitis facere fortuita, sed ē certis certa, sic & Deum necesse est ē certis certa facere, quis præscripsit Deo hunc terminum? nam naturæ artiç; à Deo præscriptum esse terminum nouimus. quòd si Deus præscriptioni non subest, sed ē quolibet facit quidlibet, nullo termino impediēte quominus faciat quæ uult, an non exemptus est à necessitate ē subiectis creandi?

EIVSDEM ARISTOTELIS EX EODEM LIBRO.

Est autem subiectum, numero quidem unum, specie uerò duo. homo enim & aurū & omnino materia, numerabilis. est enim hoc aliquid magis, & non per accidens fit quod ex ipso gignitur. Priuatio autem & contrarietas, accidens. Vnum autem species: ut ordo, aut musica, aut eorū aliquid quæ simili modo dicuntur. quæ propter ipsa principia tum duo, tum tria dicēda sunt. præterea tum cōtraria: ut si quis dicat musicum & immusicum, aut calidum & frigidum, aut constructum & inconstructum: tum non contraria. à se inuicem enim contraria pati impossibile. soluitur autem & hoc, quia aliud est ipsum subiectum. hoc enim non est contrarium. itaq; neq; plura contrarijs principia quodammodo sunt, sed duo (ut ita dicam) numero: neq; rursus penitus duo, quia ipsorum ratio est diuersa, sed tria. Si est subiectum numero quidem unum, specie uerò

uerò duo, cum unum uni subiacere debeat, quò fit ut subiectum istud sibi ipsi non subiaceat: id si est impossibile, annon falsum est, subiectum hoc esse duo specie?

Amplius si oportet semper aliquod subiectum esse eorum quæ generantur, nempe materiam, quò fit ut materia non sit semper generabilis. semper enim alterutri contrariorum subiacet: aut enim priuationi subiacet, aut contrariæ speciei: & specie quidè sit formosa, priuatione uerò deformis. quò fit igitur ut materia non sit essentia generabilis, cum semper gigni apta sit?

Amplius si priuatio nihil est aliud quàm totius entis interitus, & hanc materia recipit, quò fit ut materia nò perdat suam essentiam?

Amplius si absente specie materia nec est essentia, nec aliquid, nec ens, ergo absente specie nusquam est materia.

Amplius si numerabilis est materia, cõtraria uerò huic accidētia innumera, quomodo sunt tria principia, materia & huic accidētia?

Si nihil in rerum natura spectatur ex materia, non qualitas, non quantitas, quomodo quæ gignuntur ex ea, gignuntur per se ipsa?

Si non est possibile esse quod non sit certum aliquid, quomodo materia cum non sit certum quid, est tamen?

Si priuatio & species accidunt materiæ, materia tamen nò est essentia, quomodo huic accidunt cõtraria: etiã essentiæ accidunt accidētia.

Si sicut ordo inest ordinatis, sic etiã species materiæ, quomodo inordinata sunt aliquid ante acceptum ordinem: nã si materia prius quæ speciem habeat non est aliquid, perit ordinis ad speciem analogia.

Si in compositione eorum quæ generantur, duo tantum considerantur principia, materia & species, extra cõpositionem uerò tria sunt principia, materia, priuatio, species: liquet quòd si non essent quæ gignerentur, essent tria principia. cum autem sint quæ gignuntur, non tria sunt, sed duo. annon igitur quod generatur, tenet ad perniciem unius principij, si nisi hoc periret, illud non gigneretur?

Si quemadmodum afficitur homo à musico & immusico, corpus à calido & frigido, uox à concinno et incõcinno, sic afficitur materia à specie priuatione quæ sit materia essentia ut homo et corpus, aut accidens ut uox, salua analogiæ consequentia. quòd si nec essentia est materia nec accidens, ergo non afficitur à contrarijs.

EIVSDEM EX EODEM LIBRO.

Quot igitur principia sint naturalium rerum quibus generatio competit, & quomodo sint tot, dictum est. & manifestum est oportere subijci quidpiam ipsis cõtrarijs, & contraria duo esse. modo autem quodam alio non esse necesse, sufficiet enim contrariorum

alterum ad faciendā præsentia sui uel absentia mutationem. natura autem ea quæ subijcitur, sub scientiam cadit secundum analogiam. sicut enim se habet ad statuas, aut ad lectum lignum, aut ad aliquid formatum informis materia: sic ipsa se habet ad essentiam, & ad certum aliquid, & ad id quod est. unum igitur hæc principium est, nō sic unum existens ut certum aliquid, sed unum ut ratio. huic cōtrarium, priuatio. Sed utrū est essentia, species an subiectum?

Si species præsentia sua specificat materiam, & absentia sua facit informē: sunt quæ principia duo, species & informitas: & ijdem effectus sunt priuationis uel præsentis uel absentis: ergo principia generabuntur corrumpentur quæ à se inuicem, nec erunt æterna. quod enim æternum est, non opus habet cuiusquam præsentia uel absentia ut sit incolume. Si per contrariorum præsentiam & absentiam fit principiorū mutatio, manifestū est id quoque mutari quod sunt principia. quomodo igitur possunt permanere, quæ desierunt esse principia? Si principium quod habet principium non est principium, quomodo materia quæ essendi principium habet speciem, non essendi uerò priuationē, potest esse principium? Naturam nominare subiectum priuationis, cum nec essentia sit, nec certū aliquid, nec ens, quomodo non est superfluum? Si principia nec aliunde orta sunt, nec ex se inuicē: priuatio autem est ex absentia speciei, & ex priuationis absentia species: quomodo non sunt ex se inuicem principia, species & priuatio? nam per mutuā absentiam aptæ sunt facere se inuicē. Si quomodo se habet quæ ad fundendā ex eo statuā, sic se habet materia ad essentiam & hoc aliquid & ens: quæ sit ut æs nisi sit essentia & hoc aliquid & ens, rationē habere ad statuā nō possit? Licet materia cum nec sit essentia, nec hoc aliquid, nec ens, ad æs habere possit analogiam. Si omnia quæ in constitutionibus rerum naturalium cōsiderantur, sensu possunt cognosci, quomodo materia ex qua fiunt sensibilia, per analogiam cognosci potest, non sensu? aut quomodo ex insensibili possunt fieri sensibilia?

Si hoc quid esse est esse unum principium, quomodo materie cum ea sit unum principium, non inest tamē ut sit hoc quid? item si esse hoc quid, & hoc quid non esse essentia est, quomodo materie hoc quid nō esse inest, essentia tamen non est? quomodo autem potest quis efficere ne materia sit unum, cum diuidat eam in duas species, subiectum generati & oppositum?

Si nōdum liquet ex antedictis essentia sit ne species an subiectum, quomodo materiam asseruit non esse essentiam, nec hoc quid, nec ens? dixit enim subiectum esse materiā, & aliquādo negat eā essentiam & hoc

& hoc quid & ens, aliquādo incertū relinquit an sit essentia, quod
annon ignorantis est?

EX EODEM LIBRO.

PRimi namque philosophi, ueritatem atque naturam eorum quae sunt
quaerentes, exorbitarunt quasi ad aliam uiam quandam rudi-
tate depulsi: dicuntque neque fieri quicquam eorum quae sunt, neque cor-
rumpi: quia necesse est omne quod fit aut ex ente aut e non ente fi-
eri generarique. neutrum autem esse potest: neque enim fit quod est, iam
enim est, & ex non ente nihil fieri potest. aliquid enim subiiciatur
oportet, atque hoc pacto quod deinceps accidit augentes, neque esse
multa dicunt, sed solum ipsum quod est. Vel haec satis attestan-
tur nostrae de Graecorum philosophis sententiae, nihil eos iuxta de-
monstratiuam scientiam docere, quippe coniecturis definiens
quicquid ipsis uidetur.

EX EODEM LIBRO.

Nos autem uno quidem modo, nihil inter haec dicimus interesse: ex
ente inquam aut ex non ente fieri, & id quod est aut quod non
est agere quippiam aut pati, aut quod uis hoc fieri: et medicum agere
quippiam aut pati, aut e medico aliquid esse aut oriri. Quare cum
id dicatur dupliciter: patet ex ente fieri, aut id quod est, agere aut
pati, duobus modis dici. Aedificat igitur medicus: non ut est medi-
cus, sed ut aedificator. & albus fit: non hoc sane quo medicus est, sed
quo niger. medetur autem et non medicus fit, quo medicus est. Atque
cum maxime ipsum medicum agere quippiam aut pati dicamus, aut
fieri ex medico, si illud agat patiaturue ut medicus: patet & hoc, e
non ente inquam fieri, id significare ut non ens est. Quod quidem
cum non distinxissent illi, longe a ueritate aberrarunt: & ob igno-
rationem hanc crescente ignorantia, nihil ceterorum fieri aut esse
opinati sunt, tollentes uniuersam generationem. Nos autem & ipsi dici-
mus, nihil quidem fieri simpliciter ex non ente, tamen ex non ente per
accidens fieri, ex priuatione enim quae est per se non ens, et quae non in-
est: fieri dicimus. Mirabile id est, & impossibile uidetur, ex non ente fi-
eri. Similiter neque ex eo quod est, neque id quod est, fieri: nisi per ac-
cidens. Sic autem & hoc fieri dicimus eodem modo, ceu si animal ex ani-
mali fieret, et aliquid animal ex quopiam animali: ut si canis ex equo
fieret. etenim canis, non solum ex animali quodam, sed ex animali
etiam fiet, at non in quantum est animal. iam enim id ipsum est, si ue-
ro quidpiam exoriturum est animal, non per accidens, non erit ex
animali, & si aliquid sit, non ex eo quod est, nec ex eo quod non est.
dictum est enim quid significant haec uerba, in quantum non est.

præterea totum hoc esse aut non esse, non tollimus.

Si nec è simpliciter ente, nec è simpliciter non ente possibile est fieri quidpiam, is error communis cum generationem tollētibus per imperitiam & ignorātiā: quem cum iste corrigat, an non hic corrector æque tollit generationem atq; illi qui falluntur?

Si impossibile est fieri quid per accidens ex ente, & ex non ente, nisi prius cogitetur generatio per se geniti: ut impossibile medicū fieri album, nisi nigrum album fiat, & impossibile medicum ædificare, nisi ædificator ædificet: si medicus sit niger & ædificator, quomodo fit quid per accidens ex ente & non ente, cum nullum præcesserit per se genitum?

Si primum quidem animal, posterius uerò animal ex animali, & quoddam animal ex quodam animali: & generationi quidem animalis ex animali subijcitur semen, quod est animal potentia, actu uerò non animal: generationi uerò simpliciter animalis subiectum non erat semen: quomodo nō est præter naturam gigni ex animali hoc animal?

Si prius quàm fieret quod fit, materia quidem erat, quod uerò ex ea fit, non erat: quid erat materia? ut si materia equi erat ante, quàm equus fieret?

Si quicquid in equi essentia consideratur est genitum, quomodo erat ingenua ex qua equus factus est?

Si per se nec priuatio ens est, nec materia, accidens autem cuiuspiam per se enti accidit, quā possibile est per accidens fieri quid è priuatione, cum ea nec per se sit, nec per accidens?

Ex quibus disiunctis impossibile est fieri quid ex ullo eorum, ex his ne complexis quidem possibile est quid fieri: ut ex simpliciter ente non potest quicquam fieri: sic è simpliciter nō ente (ut uerbis utamur Aristotelis,) quomodo igitur utrunq; factum est possibile, & ex ente fieri, & ex non ente?

Si subiectum, ex quo generatur quod generatur, necessario subijcitur contrarijs, ergo non generatur quicquā è priuatione per accidens, contrarijs non subiecta.

Qui nec esse totum tollit, nec non esse, sed sinit totum esse, & nō esse, quomodo potest uere dicere, materiam nec essentiam esse, nec hoc quid, nec ens?

Si fit quod fit, non tamen è simpliciter ente, nec è simpliciter non ente, sed ex utrisque: fit igitur & è materia tanquam ex ente, & non ente, & tanquam ex hoc quid ente, et hoc quid non ente. id si ita se habet, ergo falso de materia dicitur, eam nec essentiam esse, nec hoc quid,

quid, nec ens. Sicut materia caret forma, sic species caret materia. quòd si materia & informitas eius sunt duo principia, ergo etiam species & eius materiae priuatio duo erunt principia. quomodo igitur cum quatuor sint principia, tria sola sunt posita:

EX EODEM LIBRO.

Nos enim materiam & priuationem diuersa esse dicimus, & ex his materiã quidẽ nõ ens esse per accidens: priuationem uerò per se, censemus: et illã quidẽ propemodũ essentiã, hæc autẽ haudquaquã. At illi quòd non est magnũ paruũq; similiter aiunt esse: aut utrũq; simul, aut utrũq; seorsũ, quare modò hic trinitatis omnino diuersus ab illo est.

Si per accidens nõ ens inest materie, manifeste per accidens materia nec materia est nec principium. entis enim est esse materiam & esse principium. quòd si per accidens non ens inest materiae propter priuationem, uidelicet hæc ipsa per accidens est ens propter speciem. erit igitur materia per se quidem nunquam ens: accidet autem ei semper ut aliquando nõ ens sit, aliquando ens. an non igitur absurdum est dicere, nõ multũ abesse ab essentiã quod nõquã per se est?

Si aliud materiam esse, aliud cuiusdam materiam esse: et non datur materiae ut sit cuiusdã materia, ut autem sit ipsa materia: datur: ergo materia erit ens, & non ens: ens quidem, quia sit ipsa materia: non ens uerò, quia nõ sit cuiusdam materia. cæterum si nullius materia est materia, est igitur informitatis materia. quòd si informitatis est materia, ergo nunquam erat materia in quantum materia, sed semper cuiusdam materia, nunc formæ, nunc informitatis. esse autem quid informitatem apparet, cum ponatur rerum principium, quæ si ita se habent, nunquam igitur non ens est materia: sed si ens est, nunc informis, nunc formata, & ideo sempiterna.

Si potest materia coæternam sibi informitatem abijcere, potest etiam coæternam suam sempiternitatem abijcere. quòd si hoc potest non potest, ne illud quidẽ prius. quomodo igitur à materia sit quicquid sit, cum materia coæternã suã informitatem nõ abijciat?

Si ut modus Aristotelicę trinitatis differt à trinitate Platonica, sic altera trinitas differt ab altera, quã sit ut nõ senio sit rerũ principium, sed trinitas: quòd si nõ est altera trinitas, quò pacto modus eius alter esse?

EX EODEM LIBRO.

ET enim materia permanens, cũ forma causa est eorũ quę fiunt, sicut mater. altera uerò pars cõtrarietatis ne esse quidẽ uidebitur interdũ ei qui mente maleficiũ ipsius intuetur. nã cum sit quiddã diuinũ et expetendũ, alia ipsi cõtraria esse dicimur: alia suapte natura affectare ipsum appetereq;. quibusdã autẽ euenit ut cõtrariũ appetant, suãmet corruptionem, fieri tamẽ neq; ut aut forma seipsam appetat (quippe cum

cum non indigeat sui) aut contrarium, cum contraria mutuò seipsa corrumpant, sed materia perinde est ac scemina marem appetens, sicut si turpe appetat pulcrum aliquid, non est tamen per se turpe, sed per accidens: nec per se scemina, sed per accidens. At uerò tum corrumpitur & gignitur, tum neq; gignitur neq; corrumpitur, nam ut est quidem id in quo, per se corrumpitur, id enim quod corrumpitur in hoc est, ipsa inquam priuatio. at suapte potentia, nō per se, sed nec occidat nec oriatur, necesse est, nam si gignitur, subiiciatur aliquid primū oportet, ex quo hoc pacto nascetur, ut insit in ipsa, hoc autem, est ipsius natura. quare sit, ut sit ante q̄ sit orta. etenim materiam id dico quod sit primum cuiusq; subiectum, ē quo quipiam eo sit pacto, ut non per accidens insit. Si corrumpitur, ad hoc ultimum sane proficiscetur, quare erit corrupta antequam sit corrupta.

Si eorū quæ generant principium est priuatio, equè ac materia speciesq;: quō materia formæ est causandi socia, priuatio uero non?

Si ideo principium species, q̄ ab ea accipiat ut sit quicquid generat: apparet quod et priuatio ideo principium, quia per eam u fit nō sit quod generat, quō igit priuatio dicit rerū generatarū principium?

Si dum adest species, priuatio nō permanet, apparet quod dum non adest species, permanet priuatio. annon igitur absurde dicitur non esse quod permanet?

Si alterum ē contrarijs est priuatio, & huic male facit species: annon species bonum simul ac malum est? bonum quidem materia, cui dat ut sit essentia: malum uerò priuationi, quam tollit ē rebus.

Siquid est diuinum & bonum & expetendum, et habet contrarium quod nec bonum est, nec expetendum: erit igitur hoc diuinum & bonum & non bonum, expetendum non expetendumq; ac proinde diuinum et non diuinum, id si absurdum est, ergo diuinum illud bonum expetendum, non habet quicquā contrarium, simpliciter enim bonum omnibus est bonum, non quibusdam tantummodo.

Si contrarium bono non appetit bonum: corruptionē enim sue nature appetit, si bonum appetit, species quoq; seipsam non appetit, nō enim indiget sui: est autem diuinum illud expetendum et desiderabile, cui nam expetendum nisi materia: animata est igitur materia, nam animati est expetere desiderareq;. quod si animata est materia, annon falsum materiam nō ens esse per accidens: nam anima ens est, & animatum ens est.

Si ut scemina marem appetit, & turpe pulcrum, sic materia bonum appetit, et materia nō est per se scemina turpeue, sed per accidens: manifestum

festū est eā nō p se appetere bonū, sed per accidēs. erit igit̄ numē nō per se bonū expetendūq̄, sed per accidens, qđ absurdū est dicere.

Si est materia generabilis propter speciē, corruptibilis propter priuationē, propter seipsam uerò ingenerabilis & incorruptibilis: erit igit̄ materia semper quidē corruptibilis aut generabilis, incorruptibilis uerò & ingenerabilis nūquā. semper enim aut priuationi subiecta est, quę in ipsa corrūpitur: aut speciē, quę in ipsa gignitur. Ingenitū in generabilibus quidē priuationē significat, in quæ cadit generatio. in æternis autē generationē omnino negat, præteritā æque ac futurā. sicut æs cōflandū in statuā, priusq̄ fiat statua, infectū dicitur secūdu priuationē, eo quòd possit ex eo fieri statua. de deo autē cum dicitur ingenitus, negatur secūdu essentiā generatio tam in futurū q̄ in præteritū. ex his duobus modis utrum intelligemus de materia: si secūdu priuationē, ergo materia est infecta sicut æs, si secundum negationē, nihil igitur fit materia, nec potest sic se habere ad essentiā, sicut æs ad statuam, quod dixit Aristoteles.

Si materia sic est ingenita ut Deus, & potest Deus ex ingenito quid facere, apparet posse deū ē simpliciter ingenito facere quid. sicut enim nō est idoneū nō ens ut ex eo fiat quid secūdu naturam uel secūdu artē: sic sempiternæ ingenitū nō est idoneum, ut ex eo secūdu naturā artē ue fiat quid. quomodo igitur ē sempiternæ ingenito deus potuit quid facere, ē simpliciter nō ente nō potuit? Nimirum quia non credebant posse deum ex nō ente quid facere, præsci philosophi eò prolapsi sunt, ut negarent uniuersam rerū generationem ē materia. Aristoteles uerò uolens hunc errorem corrigere, generationem materiæ sustulit.

Si est quod fit, & est quippiā hoc quod fit, sicut suprā dixit: nihil igitur ex his est materia, si ingenerabilis est & incorruptibilis.

Si ingenerabilis est materia & incorruptibilis, necessariò secūdu utrūq̄ ingeniture modū est ingenerabilis: ergo nec fit ex ea quicq̄, nec corrūpit̄ in ea, quō igit̄ priuatio corrūpitur in incorruptibili.

Si una est materia, multa autē & diuersa quæ ex ea fiūt: quomodo necesse est materiā manere infectā, cum eius semper diuisibile non possit manere indiuisum?

Si numero una est materia, speciē uerò duæ, estq̄ ingenerabilis & incorruptibilis: aut igitur tota est ingenerabilis & incorruptibilis, aut dimidiū eius. si tota est ingenerabilis et incorruptibilis, certe & dimidiū eius tale est. quòd si dimidium eius est ingenerabile & incorruptibile, & dimidium eius non tale, ergo erit contrarietas uera de eodem subiecto, quod est impossibile.

Si id quod accipit speciē, aut illa fit, aut ex illa: quomodo ingenerabilis

nerabilis est materia cum speciem accipiat?

Si entium est ingenerabile esse & incorruptibile, quomodo materia & ens non est, & ingenerabilis incorruptibilisque est?

Si id, quod ingenerabiliter est in ingenerabili, ipsum quoque est ingenerabile, quomodo priuatio cum ingenerabilis sit in materia, gignitur & corrumpitur?

Si, ut dictum est, sufficit alterum contrariorum ad faciendam mutationem sua presentia uel absentia, quid mutatur in materia cum ea sit ingenerabilis & incorruptibilis?

Si ingenerabilitas & incorruptibilitas consideratur circa essentiam cuiuspiam ingenerabilis & incorruptibilis, ubi est ingenerabilitas & incorruptibilitas materię, cum materia non sit essentia: Nisi es generatum fuisset generatione pristina, nec statua fieret. quomodo igitur sit materia, aut ex materia quippiam, cum non precesserit generatio materię?

Si non corrumpereť æs, nec gramentum corrumperetur: quomodo igitur corrumpitur materiale, cum materia sit incorruptibilis?

Si ex incorporeis corpus non absoluitur, quomodo factum est corpus e materia & specie per se incorporeis?

Si naturali necessitate ingenerabilitatem & incorruptibilitatem consequitur indiuisibilitas & immutabilitas, quomodo in speciebus diuisis per genera est ingenerabilis & incorruptibilis materia: & quomodo per alterationem fiunt quę mutantur secundum materiam, sicut in expositione modorum generationis definiuit superius.

E II. LIB. ARIST. DE NATURALI AVSCULTATIONE.

VNo igitur modo natura sic dicitur, prima cuiusque subiecta materia eorum, que motus in se mutationisque principium habent. Alio uero modo, ipsa forma & species, que secundum rationem est. nam ut ars dicitur quod secundum artem factum est atque artificiosum, sic & natura dicitur quod secundum naturam & naturale.

Quid igitur dicemus materiale & secundum materiam nisi materiam: dic quid aliud: quod si materiam, dicemus hoc, tunc materia erit materia, quando erit materiale et secundum materiam. nam & natura tunc natura, quando secundum naturam et naturale. Similiter et ars, que enim eodem modo enunciantur, eodem modo se habent ad inuicem. quod si tunc materia existit quando secundum materiam et materiale, non est ergo ingenerata materia.

EIVSDEM EX EODEM LIBRO.

Quare alio modo natura erit eorum que in seipsis motus principium habent forma et species non separabilis, nisi ratione duntaxat. id autem quod ex his est compositum, natura quidem non est, sed a natura, ut homo.

Si secundum naturam est homo, & naturale quoddam animal, quomodo non est natura homo? Definierat enim, Natura dicitur quod est secundum naturam & naturale.

EX EODEM LIBRO.

INiſi igitur quæ per artē cōficiuntur, nos operis extruendī cauſa materiam facimus: in naturalibus autem, eſt.

Quoniam eſt opus aliud quod nec ſecundum naturam eſt, nec ſecundum artem, ubi huius operis materiam ponemus: Gignitur enim animal ex animali, & niſi primum animal nec animal ex animali, et ſecundū naturam quidem gignitur ex animali animal, non ſecundum naturam autem animal ſimpliciter, quòd ſi operibus ſecundum naturam materia externe accedit, naturalibus autem ineſt: manifeſtò in operibus quæ nec ex arte nec naturaliter fiunt materia eſt aliter. Cuius definitionem niſi faciat qui tractat doctrinā naturalem, inconfiſtencia faciet etiam quæ iam definita ſunt. Si enim tum demū uidemur nobis ſcire quæcunq̃, cum primas cauſas eorū cognoscimus & prima principia, quomodo poterit quis noſſe animal ex animali, niſi prius noſſit animal nō ex animali, illud enim huius cauſa eſt ac principium.

EX EODEM LIBRO.

Quoniam caſus & fortuna cauſæ ſunt eorundem quorū mens & natura, quoties accidit ut horum alterutrum in cauſa ſit: niſi autem per accidens antiquius eſt quàm ea quæ per ſe ſunt: liquet quòd ne cauſa quidem quæ contigit per accidens, prior ſit quàm cauſa per ſe. Poſterior igitur caſus & fortuna mente naturaq̃, itaq̃ quantumuis hominis cauſa ſit caſus, tamen neceſſariò mens & natura ſunt hoc antiquiores cauſæ & huius & aliorū multorū, uniuerſorum deniq̃.

Hiſ uerbis non ſolum primarum ſecundarumq̃ cauſarū quem ipſe non ſeruat dicit ordinem, ſed & cœlū, quod ſupra in hoc ipſo libro eximit è generatione fortuita, nō ſolum fortuitæ tribuit, ſed & naturali & ei quæ à mente ſit, quod quidem manifeſte abſurdū eſt, qui eſſentialem generationem per mentem naturamq̃ primas cauſas factam ſumpſerit, eum iterum eandem à ſecundarijs cauſis ſumere.

Præterea annon eſt abſurdiſſimum, idem aliàs eximere generationi fortuitæ, aliàs ſubijcere: & modo ingenitum nominare, modo à natura genitum. apponam enim uerba ipſius, ut propius inſpectis, prodatur eorum falſitas.

EX EODEM LIBRO.

Sunt etiam qui & cœli huius & mundanorū omniū, caſum eſſe cauſam aſſerūt. nam à caſu conuerſionē motionemue aiunt fieri, quibus uniuerſum hoc diſtinguitur ordinaturq̃. Et quod mire

t ris,

ris, animalia quidem ac plantas dicunt à fortuna nec esse nec fieri: sed aut naturam aut mentem, aut aliquid aliud tale, causam ipsorū afferunt. nō enim ex cuiuslibet semine quoduis nascitur, sed ex tali quidem olea, ex tali autem homo. cœlum autem & diuinissima quæq; sensibilibus, casu orta fuisse: nullamq; ipsorū causam talem esse, qualem plantarum atq; animalium. atqui si ita se res habet, hoc ipsum consideratione dignum est, & operæpretium fuerit super hoc aliquid disserere, nam præter quàm quòd & alioquin absurdum est id quod dicitur, illud etiã absurdus est, quòd audent hæc dicere, cum uideant in cœlo quidem nihil casu fieri: in rebus autem fortuitis multa præter fortunam accidere, quamuis contrarium sit probabilius.

Casu factum cœlum, & rursus non casu, indicant textus quos recitauimus ex libri secundi Auscultationis naturalis duobus capitibus, undecimo duodecimoq;. quòd autem id & genitum à natura ipse dicat & ingenitum, uerba eius recitabo quæ hoc afferunt.

E SECVNDO DE COELO LIBRO ARISTOTELIS.

Cœlum igitur uniuersum neq; ortum esse, neq; corrumpi posse, ut quidam dicunt, sed unum esse ac sempiternum, principium quidem & finem æternitatis non habens, habens autē & continens in seipso infinitum tempus, uel ex his quæ dicta sunt sit probabile.

Hæc de ingenito cœlo Aristoteles: nunc uide quid de eius generatione dicat in primo de Cœlo libro. Et recte uidetur natura id quod futurum erat ingenitum & incorruptibile, exemisse è contrariis. in contrariis enim generatio & corruptio.

Si nihil impossibile nec est, nec esse potest, est autem impossibile id quod futurum est ingenitum carere fine ac principio, habereq; ac complecti intra se infinitū tempus: ergo qui hæc dicit, nescit possibilis & impossibilis rei differentiam.

EX PRIMO DE COELO LIBRO ARISTOTELIS,
in fine libri.

Nihil enim casu, nec incorruptibile, nec ingenitum potest esse. Quomodo igitur quis credat utrumq; afferenti de cœlo: in undecimo capite casum ait esse causam cœli: in tredecimo dicit, cœlum ingenitum & carens principio.

E SECVNDO LIBRO AUSCULTATIONIS NATVRALIS.

Sunt autem duo principia quæ mouent non naturaliter, ex his alterum non naturale, non enim habet mouendi principium in seipso. tale autem est, si quid mouet ipsum non motum, itaq; tunc omnino

omnino immotum est, & primum omnium.

Quomodo igitur mouebit naturaliter istud principiū, cum neque naturale sit, neque secundum naturam moueat? soli enim naturali principio secundum naturam mouenti cōpetit mouere naturaliter. Si principium quod non est naturale nō habet in seipso initium motionis, manifestū est quod principium naturale habet in seipso initium motionis, sed principium habens principiū, non est principium. Si inter sempiternae ingenita nullū potest esse prius posterius uē alio: quomodo principium immobile, quod cum ipsum sit immotum, mouet tamen, primum est omnium, aut omnino principium?

EX EIVSDEM TRACTATVS LIBRO TERTIO.

Quod autem infinitum sit, argumentum sumunt ē tempore: hoc enim infinitum est, præterea hac sola ratione nō deficit generatio corruptioque, si infinitum sit, unde auferatur id quod fit.

Si tempus semper hoc ipso quod fit, habet ut sit: quod autem fit prius quā fieret non erat: quomodo infinitum est tempus cuius non esse quā esse antiquius est: quod enim nondum est, uenturum expectatur, & ipsum uenturum præteriturum, & quod præterit, olim futurum erat. Si ideo ne deficiat generatio corruptioque, oportet infinitam esse generationem corruptionemque: carebūt igitur principio, sicut ingenitū & incorruptibile. quod si hoc impossibile, ergo generatio corruptioque infinitæ non sunt.

EX EODEM LIBRO.

At uerò neque numerus ita, ut separatus ac infinitus, numerabile est enim numerus. Si igitur fieri potest ut ipsum numerabile numeretur, & infinitum poterit quispiam pertransire.

Si rei numerabilis & habētis numerum, non est infinitus numerus, tempus autem præteritum est numerabile, ergo finitum est tempus præteritum.

EX EODEM LIBRO.

Quod si non sit infinitum simpliciter, multa impossibilia acciderē manifestum est. Temporis enim erit aliquod principiū & finis: & magnitudines non erūt diuisibiles in magnitudines: & numerus non erit infinitus.

Si infinitum partim actu est, partim potētia, impossibile autem iudicatur quod nunc est actu infinitum, non antè fuisse potentia: ergo impossibile est infinitum semper esse partim actu partim potentia: sed primum potentia, actu uerò postea. Si quemadmodum in futurum sine caret tempus, sic in præteritum principio, carebit

t 2 igitur

igitur tempore: cum sit ingenitum tam in futurum quàm in præteritum. Quòd si hoc est impossibile ingenitum esse tempus in futurum, quando nondum factum erat, factum est autem in præteritum: ergo tempus nõ caret principio, nam rei principio carētis nulla est generatio: tempus autem generatur. Si nihil potest actu esse infinitum, ergo iam dictæ diuisiones magnitudinum non sunt infinitæ: neq; iam dictus numerus, est numerus, ambo enim hæc actu sunt. quòd si non sunt infinita, ergo finita, si uerò finita, igitur principium quoq; habebunt, alteræ diuidendi, alter numerandi.

EX EODEM LIBRO.

ET infinitum est appositione, est etiam ablatione. magnitudo autem quòd actu quidem infinita non sit diximus, diuisione uerò sit. Restat igitur potentia esse ipsum infinitum. Non oportet autem infinitum potentia sic accipere, quemadmodum si potest hoc esse statua, erit hoc statua: sic & infinitum aliquod, quod erit actu, sed cum multipliciter dicatur quippiam esse potentia, perinde est infinitum ut dies est & certamen, quia fit aliud atq; aliud semper, sic & infinitum, nam in his est & potentia & actu esse. omnino namq; hoc modo est infinitum, ut semper aliud atq; aliud sumatur: & id quod accipitur fit quidem finitum, sed semper aliud atq; aliud.

Si actu non est quicquam infinitum, manifestò apparet quòd quicquid actu est, semper finitum est: finitum autem cum sit, necessariò principium habet, principium autem cum habeat, necessariò est genitum. genitum autem cum sit, olim in rebus non erat: id quod de omni infinito per appositionem ablationemq; & per potentiam diuisionemq; dicitur.

EX EODEM LIBRO.

NEc siquid extra est, hoc infinitum est: sed quod externe quippiam accipit, maius fit postquam externe id accipit, quod autem per appositionem externorum seipso maius fit, semper finitum est.

Si infinitum semper in appositione & ablatione, ergo infinitum semper est in appositione. quomodo igitur principio caret, cum semper fieri esse habeat: quod enim fit, principio nõ caret. Infinitæ bipertitiones magnitudinis: itaq; potentia quidē est, actu uerò non: sed semper superat quod accipitur omnē finitā multitudinē. Verum non est terminabilis hic numerus, nec manet infinitas hæc, sed fit, sicut & tempus & numerus temporis. Si non manet hæc infinitas, sed fit sicut & tempus & numerus temporis, ergo nihil infinitum est ingenitum, quòd si omne infinitum genitum, ergo genita sunt & cætera omnia quibus infinitum inesse dicitur. Si accidens infinito necessariò accidit

accidit & illis rebus in quibus est hæc infinitas: accidit autem infinito fieri & inceptum esse: ergo genitum est tempus & inceptum. Si militer autem etiam motus, cuius tempus est numerus.

EX QUARTO LIBRO EIVSDEM TRACTATVS.

Nam non ens nusquam esse.

Quid igitur materia, cum nec ens sit, nec hoc quid:

EX EODEM LIBRO.

Recte etiam Hesiodus uidebitur dicere, faciēs primum chaos. dicit enim: Ante chaos, post hoc facta est latissima tellus: quasi oporteret primum fieri receptaculum his quæ sunt: qui putabat ut uulgus, cuncta alicubi esse atq; in loco. Quod si ita est, admirabilis quædam ipsius loci uis erit, & antiquior omnibus. quod enim ita se habet, ut sine ipso quidem cetera nequeant esse, ipsum autem sine cæteris sit, id primum omnium esse necesse est.

Si igitur primus locus, & posteriora quæ in loco, natura sic postulante, ut dixit Hesiodus, & Aristoteles dictū eius approbavit, non est incredibile, cælum quod in loco est, dici ingenitum: hoc enim perinde est ac si dicas genitum antiquius esse ingenito.

EX EODEM LIBRO.

Primum igitur considerandum est, quòd non requireretur locus, nisi motus esset secundum locum. hæc est enim præcipua causa cur putemus in loco esse cælum, quia est in motu continuo.

Si impossibile est ingenitum ad hoc ut sit & moueatur egere opere alicuius mobilis, ergo impossibile est cælum esse ingenitū, opus enim habet loco, ut sit moueaturq;.

EX EODEM LIBRO.

Magnitudinem quidem habet locus, caret autem corpore. Si locus habet finita spatia magnitudinemq; est igitur genitus. quòd si infinita, ergo aut actu aut potentia. si potentia, est igitur genitus locus, sicut tempus & temporis numerus. quòd si actu, ergo mentitur illa propositio quæ negat quicquã esse posse actu in finitum. Si per cuiusquã providentiã locus est hoc quod est, & habet quod habet, genitus est igitur locus, & posterior quàm providentia. quòd si locus absq; generatione ac principio est hoc quod est, & habet quod habet, est igitur ingenitus & antiquior omnibus. quæ in loco sunt, inter quæ numerantur & cælū et eius sidera. sine quo enim aliud nihil est, illud necesse est primum esse inter cetera.

EX EODEM LIBRO.

Nam ut, si alteratur est aliquid quod nunc quidē est albū, olim autem erat nigrum: quapropter & dicimus materiã aliquid esse

esse: sic & locus per quandam talem imaginationem esse uidetur. uerum illud quidem, quia quod erat aer, hoc nunc est aqua. Locus autem, quia ubi erat aer, hic nunc est aqua.

Si quemadmodum se habet locus ad locatum, sic se habet materia ad ea quae continent iuxta similem imaginationem: incomprehensibilis autem est locus & materia: ergo materia nihil est eorum quae alterantur in ea generanturque, nec est essentia. Quomodo igitur affirmatum est materiam essentiam esse eorum quae generantur?

EX EODEM LIBRO.

OMne corpus aut impetu aut incremento mouetur alicubi. Coelum autem, ut dictum est, nec usquam est, nec ullo in loco, si quidem nullo continetur corpore.

Si quicquid impetu mouetur, per se mouetur alicubi, coelum autem mouetur suo impetu, necesse est igitur coelum esse alicubi. quod si hoc posterius falsum est, ergo & illud prius. sunt enim haec ab inuicem inseparabilia, & sublato altero consequenter & alterum tollitur. Si non est coelum in loco per se, quomodo in orbem uolutum partibus suis nunc deorsum uergit, nunc sursum attollitur: cum enim partes eius sursum deorsumque ferantur, annon mentiuntur qui negant coelum esse in loco?

EX EODEM LIBRO.

Puncti non est locus.

Ergo punctum nusquam est, sicut & non ens. Quod si hoc falsum est, ens igitur est punctum, & alicubi, quod si alicubi, & locum eius esse necesse est.

EX EODEM LIBRO.

ET est locus alicubi: non autem ut in loco, sed ut terminus in terminato, non enim omne quod est, in loco est: sed mobile corpus.

Si quicquid in loco idem alicubi est, non contra, quicquid alicubi idem in loco: plus igitur est istud alicubi quam locus. quomodo igitur unius praedicamenti esse dicuntur alicubi & in loco, cum tantopere inter se differant, ut & locus dicatur esse alicubi, non autem in loco: praeterea si terminus terminati, alterius quidem terminati est locus, alterius uero terminus, non necessario sequitur, semper locum esse locum ac terminum: quod si locus antiquior est quam ea quae in loco, iam non erit necesse ut semper locus aliae rei sit locus, alique uero terminus. praeterea si quod nusquam est, non est in loco: alioquin esset alicubi, sicut dixit: annon idem est alicubi quod in loco? Ad haec si non omne quod est in loco est, annon quaedam entia perinde erunt ac non ens, si quidem hoc commune habent quod neutra in loco

loco sint: deniq; si solum mobile corpus in loco est, qui sit ut cœlū cum sit corpus mobile, in loco non sit:

EX EODEM LIBRO DE TEMPORE.

EX his itaq; tempus nō esse penitus, aut uix esse ac exigue, quis Epiā suspicabit. nā partim fuit nō est, partim est futurū et nondū est. ex hisce aut cōstat & infinitū, & quod semper accipit tēpus. at hoc in ratione rerū esse, quod ex his quæ nō sunt cōstat, impossibile uidet. omnis em rei quæ quidē sit partibilis, necessū est tātis per aut omnes partes esse aut aliquas. at tēporis q; cōstat esse partibile alia partes trāactæ, alia futurae sunt, nulla q; penitus adest. ipsum aut Nunc, partē nō esse cōstat, pars em mensurā recipit, et oportet totū cōponi ex partib. tēpus aut non uidetur cōponi ex ipsis Nūc.

Si quicquid sit non erat antequā fieret, non est igitur tēpus semper eternum & sine principio, proinde nec motus sempiternus est & sine principio, cuius tempus est numerus. si enim futura pars temporis nondum est, erat autem & præterita pars temporis, antequā futura fieret, erat igitur quando non erat præterita pars temporis, quod si oportet infinitū carere principio, non est igitur infinitum tempus, cum mutatio futuri sit ei principiū. Tum si præterita pars temporis, actu est temporis, futura uero potentia: actus autem & potentia sunt in entibus, ergo ex non entibus nō constat tempus compositum ē futuro & præterito. Adhæc si tempus nō est essentialis particeps, cum tamē adiacere possit essentialis, hinc quoq; apparet, tempus esse ex entib. Tum si præterita pars tēporis considerat in præteritis partibus eius quod diuidit, quō nulla portio est tēporis apti nati ad hoc ut diuidat: præterea si ipsum Nūc nō est minima pars tēporis, qui fieri potest ut futurū quidē mutetur in Nūc, Nūc uero in præteritū, cū Nūc nō sit pars tēporis: hæc em oīa sunt partes tēporis, primū, futurū, posterius, nūc, deinceps, præteritū.

EX EODEM QVARTO EIVSDEM TRACTATVS LIBRO.

ITaq; nec motum, nec sine motu tempus esse apparet. Atqui & hoc manifestò apparet, tempus esse genitū non sempiternum, inceptum non carens principio, finitum nō infinitum, quod si tempus tale est, necessariò sequitur ut & motus sit talis, cuius numerus est tempus.

EX EODEM LIBRO.

Quantus enim motus, tantum etiam tempus semper uidetur fieri. Quibus adest ut sint generabilia generataq; ab his necessariò abest & sempiternitas & infinitas & carentia principij.

TVnc dicimus fuisse tempus, cū prius in motu posteriusq̄ sentimus. hoc autem ipso definimus, quòd aliud atq̄ aliud ipsa, & aliud quid inter ipsa medium esse existimamus. nam cum extrema alia à medio intelligimus esse, & animus ipsa Nunc duo dicit, alterum prius, alterum posterius: tunc & hoc ipsum tempus dicimus esse. quod enim ipso Nunc definitur, id tempus esse uidetur. est enim tempus numerus motionis secundum prius et posterius. non est igitur motus tempus, sed motus habet numerū. argumentum est quia plus & minus discernitur numero: motus autē maior minorq̄ discernitur tempore.

Qui generationem temporis motu priore posterioreq̄ definit, nec tempus nec motum sempiternū, infinitū, & sine principio asserit. si enim factum est, nec est sempiternū, nec caret principio: tum si proprijs extremitatibus finitur, infinitum non est.

EX EODEM LIBRO.

Ipsum autē Nunc mensura est temporis iuxta prius et posterius: sequiturq̄ motus quidem magnitudinem, hunc autem tempus.

Si Nunc non est pars temporis, ut dixit in xxxiiij. cap. quomodo metitur tempus: aut igitur nō metitur tempus Nunc istud, aut necessariò est pars temporis. tum si magnitudinē sequitur motus, hunc autem tempus, ergo genita est magnitudo, sicut tempus & motus qui hanc sequuntur.

EX EODEM LIBRO.

Lineæ minimus numerus, multitudine quidē est duæ aut una, magnitudine autem non est minimus, sic tempus, minimū numero est unum aut duo, magnitudine uerò non item.

Nisi minima pars lineæ sit punctum, temporis autē Nunc, quid aliud est punctum in lineæ, quàm nunc in tēpore? quòd si non est minima pars, sed terminus, quomodo igit sine terminato impossibile est esse terminum, punctum autem potest esse sine lineæ: tum si quibus non inest minimum, eisdem neq̄ maximum, sublata hac differentia partium maximæ minimæq̄, quæ nā supererit reliquæ?

EX EODEM LIBRO.

Quare manifestū est, quòd ea quæ semper sunt, quatenus semper sunt, non sunt in tempore, non enim continentur à tempore, neq̄ mensuratur esse ipsorum à tempore.

Quomodo igitur motum dixisti esse sempiternum, et tempus eius numerum? à quibus enim tempus separari non potest, ea nō possunt esse nisi in tempore.

Ex

EX EODEM LIBRO.

Quæcumq; neq; mouentur neq; quiescunt, non sunt in tempore, esse enim in tempore, est mensurari tempore. Tempus autem motus atq; quietis mensura est.

Si quicquid est in tempore, mouetur & quiescit: cœlum autem, ut ipse ait, mouetur, & quiescit terra: in tempore igitur cœlū & terra sunt, atq; horū motus ac quies. Præterea si genitū est tēpus necessariò

ex subiecto in non subiectum, ergo nusquā est materia, quam supra dixisti subiectam his quæ uel generantur uel corrumpuntur, alteris ut ex quo, alteris ut in quod.

EX EODEM LIBRO.

Nam non albū, aut non bonū, capax tamen est motus per acciderens: potest em̄ homo esse quod nō albū est, quod autē simpliciter nō est certū quid, nō itē, impossibile est em̄ moueri non ens.

Si ex eo quod non mouetur impossibile est fieri essentiā simpliciter: nō ens autē non mouetur, cū non ens moueri sit impossibilis: quō facta est essentia ē materia, simpliciter hoc quid nō existens:

EX OCTAVO EIVSDEM TRACTATVS LIBRO.

Quod si impossibile quidē est tēpus esse ac intelligi sine Nūc ipso, Nūc autē ipsum, mediū est quoddā principij simul finisq; rationē subiens, principij quidē futuri, finis uero trāfacti: tēpus sit semper profectō necessum est, ultimū nāq; tēporis eius quod extremū sumptū est, in aliquo ipso Nūc erit, nihil enim in tēpore, præter Nunc ipsum, accipi potest. Quare cū ipsum Nunc principij sit atq; finis, citra ipsum ac ultra tēpus sit semper necesse est. At si tēpus semper esse necesse est, patet & motū necessariò semper esse: quippe cum tempus affectus sit quidam ipsius motus.

Hic adstruit Aristoteles cœlū esse sempiternū, si enim est quoddam mediū & principij & finis, & utrinq; semper tēpus cohæret, hinc necessariò sequitur tēpus esse sempiternū, id uerò absurde asseri hoc pacto coarguetur, sicut enim fiet tēpus futurū, sic factū est & præteritum: sed futurū sicut habet hoc ut fiat tandem, sic habet etiam suum principij: & sicut nihil præteriti est in futuro, ita nec futuri quicquam est in præsentī, cæterum si ipsum Nunc ens est & adest, futurum uerò nondum est, nec ens, nec præsens: ergo nō est hoc præsens Nunc, principij futuri temporis: sed quod futurū est Nunc, illud est principij futuri: quod neque mediū est quod utrinque tempus habeat, sed utrolibet spectes, nec principij nec finis est: ipsum quidem Nunc, sed diuersorum temporum:

ut

ut principium quidem futuri, finis uerò præteriti: sed aliud Nunc principium, aliud finis, eiusdē licet temporis: alioquin si impossibile est Nunc, esse Nunc, nisi prius sit futurum & non ens, ergo impossibile est Nunc, sempiternum esse. si enim omne prius non ens, potest generatur & fit, tale autem etiam Nunc est, ergo ipsum Nunc est genitum. quod si ipsum Nunc, necessariò etiam tempus omne, cuius ipsum Nunc & principium & finis est. quòd si tempus, necessariò etiā motus, cuius tempus est numerus. quòd si motus, necessariò etiam corpus quod mouetur est genitum.

EX EODEM LIBRO.

OMnino autem hoc principium sufficiens esse putare, semper inquam esse sic aut fieri, non recte se habet: ad quod Democritus causas naturales reducens, Sic, inquit, etiam antea fiebat. ipsius autem Semper, non quærendum principiū censet, in quibusdam hoc recte dicens, in omnibus autem non recte. etenim triangulus habet duabus rectis semper angulos æquales, attamen sempiternitatis huius est alia causa. principiorum tamen quæ quidem sunt perpetua, non est alia causa.

Si igitur ut fit nunc, ita etiam antea fiebat, nō recte creditur hoc principium esse eorum quæ semper secundum naturam generantur: ergo necessariò recte creditur principium esse eorū quæ secundum naturam generantur, quòd nō ita facta sint ut nunc fiunt, sed aliter. ideo æquum est etiam huius sempiternitatis quærere principium. aliter fit animal ex animali, & aliter factū est animal ex non animali. Animal quidem ex non animali, neque secundum naturam fit, neque semper fit. animal autem ex animali & semper & secundum naturam fit, ex quo cœpit initiū generationis ex illo animali genito citra animalis operam. idem dicendum de omnibus quæ secundum naturam gignuntur, non solum de quibusdam. impossibile est enim oriunda è principijs genitis, eandem originem habere quam habent ipsa principia. In rebus genitis sempiternitas carens principio nō potest esse: etenim triangulus semper duabus rectis æquales habet tres angulos, principium habens genitum rectam lineam, cuius ratio est summa intensio: hæc enim est causa cur triangulus duabus rectis æquales habeat tres angulos. quæ si absit, non potest esse triangulus. triangulus autem si absit, nihilominus potest esse recta linea. Principia eorum quæ secundum naturam semper fiunt, æterna esse non possunt, nam si suam naturam impertiunt ex se genitis, eamque genitam, ergo etiam principiorum natura est genita, etsi modus generationis diuersus sit.

Ex

EX EODEM LIBRO.

Necessum est esse aliquid unum & perpetuum, quod primum mouet. demonstraui enim necessariò semper motum esse. quòd si semper, continuus sit necesse est. nam semper est continuus: quod enim deinceps sit non est continuum. continuus autem unus, unus autem uno mouente & uno moto. si enim aliud atq; aliud mouebit, non continuus motus fiet, sed deinceps.

Si illud primum mouens secundum lationem mouet, is autem motus est cœli, cœlum porrò est naturale corpus, naturale autem corpus in seipso habet motionis naturalis principiũ: ergo superuacue cœlum mouetur motu primi mouentis secundũ lationem: quandoquidẽ etiam hoc cessante, moueri à seipso poterat, cum cõstet è quinto elemento, nec grauitatem habente qua uergat deorsum, nec leuitatem qua sursum tollatur, sed aliam uim innominatã qua moueatur circa medium. Si illud primum mouens quod mouet cœlum secundum lationem, nec naturaliter ipsum mouet, id enim esset superuacuum: nec præter naturam, is enim motus deterior est altero: ergo non est quod cœlum moueat. Si omnis motus ut fit nunc, ita & antea fiebat: fit autem nunc secundũ mutationem eius quod futurum est: futurum autem non erat priusquã fuerit: cæterum quicquid primum non ens post producitur, id genitum est: genitum uerò quicquam principio carere æternumq; esse haud potest: ergo motus nec æternus est, nec caret principio.

EX EODEM LIBRO.

Manifestum est lationem primam esse. primũ enim, ut in alijs, sic & in motu multipliciter dicitur. dicitur enim prius, & id quo sublato cætera tolluntur, ipsum autem uel alijs sublati est: & quod tempore præcedit: deniq; quod præstantius est secundũ essentiam. Quare si necesse est continue motum esse, erit autem continue aut is qui continuus est, aut is qui est deinceps, magis autem erit is qui est continuus, præstatq; continuũ esse, atq; id quod præstat in natura semper esse putamus, modò possit esse: potest autem continuus esse, ut post demonstrabitur, nunc satis est si supponatur: atq; nullus alius esse potest, nisi latio tantũ: latio profecto motus sit primus necesse est. nihil enim cogit ut id quod fert crescat, alteretur, generetur, corrupatur. at harum mutationũ nulla esse potest, si continuus is motus quo mouet primum mouens, auferatur. Præterea primũ tempore esse necessum est. hic enim solus corporibus æternis accomodatur. at in uno quoq; eorum quæ generantur, lationem motuũ ultimam esse necesse est. post ortum enim altera-

alteratione primū incrementū, dein iam perfectū latione mouetur, sed aliud prius necessum est esse subiens lationem, quod & generationis his quæ fiunt causa erit, nō ipsum subiens generationem, ut id quod genuit, rem generatam præcedat. nam generatio ideo motū prima uidetur, quia factā oportet esse rem primū. At hoc quidem in unaquauis re generanda ita se habere uidetur, aliquid tamen aliud antè moueatur necesse est: quod quidem ex his est quæ oriuntur & occidunt, non subiens generationē, & hoc item aliud prius.

Si quicquid augetur est genitum, augetur autem latio quantitate motus, non est æterna latio. corpus enim quod fertur habet locos uarios, in quibus protendens migrationem suarum partium, dum fertur, augeri facit motum secundum lationem. Si latio habet in se augmentum quāitate motionis, quomodo dicitur hæc latio motum secundū augmentū præcedere? Si impossibile est id quod principio sine quæ caret augmentum per appositionem capere, ergo latio non caret principio, quæ quantitate motus semper augetur. Si latio consistit in fieri & cessare, non est æterna, cum in ea nō esse quàm esse sit antiquius, omnis enim motus secundū mutationem fit nondum entis, sed futuri. Si omnis latio præterita sui parte finita est, omne autem finitum necessariò etiam incepit, omne autem quod incepit est genitum, genita igitur est latio. quod si latio corpore quod fertur nō est antiquior, ergo & quod fertur est genitū. Si in rebus æternis aliud tantū mouet, aliud tantū mouetur æternè motu secundū lationē, annon est impossibile id quod principio caret motu inchoato moueri? Si id sine quo aliud nihil est, præcedit alia tum essentia tum tempore, quomodo non est ingenitum? concessum est enim illud primum mouens omnibus esse antiquius & ingenitum, atque etiam cœlū & quæ in eo spectantur mouenturque sidera ingenita esse omnia: quod absurdū est dicere, esse aliquod ingenitum prius aliquo æterno in æternis. Si illud primū mouens motu continuo, neque secundū naturā mouet, neque præter naturam, quod ille motus sit superuacuuus, ut dictū est, hic autem deterior altero, ergo nihil mouet motu continuo. Si eorū que semper mouentur, motus nec prior ipsis est nec posterior, est autem omnis motus mutatio nondum entis sed futuri, accipient igitur omnia quæ mouentur suam essentiam & mutationē nondum entis sed futuri. Si uniuscuiusque eorum quæ generantur latio motus est ultimus, necesse est tamen aliud motum secundū lationem esse antiquius, quod generationis causa est, cū ipsum sit ingenitū: qui fieri

fieri potest ut unum & idem causa sit generationis, tum eius quæ secundum naturam est, tum eius quæ præter naturam: nam primus ille genitor non est genitus: quamuis quod primo mouebatur, sic mouebatur ad generationem primùm geniti, sicut id postea motū fuit ad generationem ex se oriundi. Aut igitur nō est causa omnis generationis illud quod sic mouetur ingenitè: aut illud primū mouens non mouet motu continuo, cōsiderando differentiā generationis eorū quæ fiunt partim naturaliter, partim supernaturaliter. Si est ingenitū prius & posterius, erit igitur aliquādo ingenitū nō ingenitū: quod est absurdū, aliquando nō esse quod est ingenitū.

EX EODEM LIBRO.

In continuo insunt quidē infinita dimidia, non tamen actu continuo, sed potentia.

Si actu continuo, nihil est infinitum, nimirū nec motus nec tempus: cum motus tempusq; præterita sui parte finita sint, ac proinde principium quoq; habeant necessariò. hoc autem cum habeāt, necessariò sunt genita. Quòd si motus tēpusq; sunt genita, necessariò consequitur ut & corpus quod mouetur sit genitū, quod semper eo ipso quòd mouetur habet ut sit. Quòd si etiā semper quod uis assumptum tempus bipartitionem admittit sumendo de futuro & apponendo ad præteritum, ne sic quidem fieri potest ut tempus præterita sui parte unquam infinitum sit actu continuo.

EX PRIMO DE COELO LIBRO ARISTOTELIS.

Necessum est esse aliquod corpus simplex, quod quidem aptū sit circulari motu suapte natura ferri.

Quis igitur est usus illius primi mouentis ad mouendū tale corpus, quod suapte natura feratur motu circulari?

EX EODEM LIBRO.

Patet igitur esse in rerum natura quandam aliam essentiam corporis præter eos quæ hic consistunt, priorem his uniuersis atque diuiniorem.

Si corpus istud sempiternè ac sine initio circum terram hanc nostram mouetur, quomodo potest esse antiquius quàm terra ipsa, sine qua non potuisset moueri motu circulari? Quòd si æquè sempiterna, ingenita, & ad constituenda quæ hic gignuntur utilis est terra, atq; corpus istud quod tale prædicant, quānam ratione debet corpus hoc censerī terra ipsa antiquius?

EX EODEM LIBRO.

Corpus autem quod in orbē fertur, impossibile est habere grauitatem aut leuitatem.

Si id quod nec gravitatē nec leuitatem habet, nō potest esse contiguū: nam rebus habentibus gravitatem leuitatemq; inest contiguū, quomodo cum hoc habeat quod sine illis esse nō potest, illa ipsa tamen non habet: præterea quomodo uim calefactiuā aëris suo motu efficit: sicut apud nos corpora habentia gravitatē leuitatemq;, uim calefactiuam exercent suis motibus.

EX EODEM LIBRO.

Lationis uerò contrarietates, secundū locorum sunt contrarietates. Si igitur æquales essent, motus ipsarum non esset, quare si ambo essent, frustra sanē alterum esset corpus, non motum suo motu. frustra enim calceum eum dicimus esse, cuius usus non est. Deus autem & natura nihil frustra faciunt.

Si essent in latione corporū motus cōtrarij: siue æquales per mutuam resistantiam impediētes se inuicē: siue inæquales, ut præualente altero alterū corpus sisteret, nec in naturali motu pergeret, frustra facta fuissent hæc sic impedita proprijs motibus, ac p̄inde nec Dei nec naturæ essent opera. Quòd si horū frustra factorū nec natura nec Deus est conditor, ergo opera quæ absq; ullo impedimento naturales suos motus peragūt, Deus atq; natura cōdidit. Quomodo igitur nō est dictu absurdissimū, ingenita & sempiterna esse carereq; principio hæc quæ Deus atq; natura cōdidit: & cū calceos habiles dicamus opus artificis, quid uetat etiam corpora motus proprios naturaliter peragentia Dei naturæq; inuenta dicere?

EX EODEM LIBRO.

Aliam igit esse formæ rationē eā quæ sine materia est, aliā eam quæ in materia est: recte profectò dicit, atq; uerū esse ponat. nulla tamē ob id ipsum mūdus aut plures esse, aut plures esse posse necessitas est: si hīc ex uniuersa materia constat, ut reuera constat.

Si hæ rationes hoc ipso inter se differunt, quòd sine materia sint uel in materia, apparet rationē in materia posteriorem esse ratione sine materia. quomodo igitur ingenitus est mūdus, qui è ratione posteriore constitutus est? Si materia nec formam habet nec essentiam, nec est hoc quid prius quàm formam assumat fiatq; essentia & hoc quid: quomodo mundus est ingenitus qui è tali materia factus est? Si is qui unus mundi rationem percepit, percepit & plurium: & non ut ipsi uisum est condidit hunc mūdū, sed pro copia materiæ fecit unum, cum pro eius inopia non ualeret plures facere: an non uidetur frustra percepisse rationes mundorum plurium, quos non ualuit absoluere præ inopia materiæ?

Si ex ingenito ingenitū fieri est impossibile, quomodo mundus è mate-

è materia factus est, si æquè ac illa est ingenitus: Nisi Deus sic fecit materiam, sicut ea quæ fecit è materia: ergo non facit Deus quæcunq; uult, sed quæ potest facere. quòd si tantum potest quantum uult, ergo & materiam fecit æquè ac ea quæ constant è materia.

Si materia subiecta Deo ad rerū creationem, licet informis, essentia, qualitate, quantitateq; carens, nihilominus per Dei potentiam mutata est in hæc omnia, & essentia facta qualitatē ac quantitātē assumpsit: quomodo per tam efficacem ad eam mutandā Dei potentiam non creuit in tantum, ut etiam plures mundi ex ea producerētur, sed absumpta hac in unius mundi creationē, inuitus Deus à pluribus creandis destitit.

EX EODEM LIBRO.

Cœlum est quidem ex his quæ singularia sunt, & ex his quæ constant è materia: sed si ex uniuersa constat, nō ex parte, esse quidem ipsius cœli & huiusce cœli aliud est: non tamen aut erit aliud, aut fieri poterit, propterea quòd hoc uniuersam materiam est complexum.

Si cœlum est ex his quæ singularia sunt, & ex his quæ constant è materia ratione q; ut esse ipsius cœli aliud sit, aliud uerò rationis sine materia, quomodo non est genitum, cum principiū ei sit compositio è materia ratione q;, ex quibus ipsum constat: Si materia per se nec grauitatem habet nec leuitatem: sunt enim hæc corporū ex ea factorum accidentia: si ex uniuersa tali materia factum est cœlum nec grauitatem habens nec leuitatem: unde facta sunt cætera, quando uniuersa materia in cœlum creandum absumpta est: Si priusquam formaretur materia in hanc cœli formam, nec grauitatem habebat nec leuitatem, sicut ne nunc quidem habet postquā formata est: cur non mouebatur antequā formaretur, sicut nūc mouetur post formationem: Si moueri est substantiæ, & carere grauitate leuitate q;, est materiæ non substantiæ: mouetur autem cœlum circulari motu quòd grauitate leuitate q; careat, manifestū est motum inesse cœlo propter materiam non propter formam. quomodo igitur materia non poterat moueri in orbem priusquā formaretur, cum nec grauitatem haberet nec leuitatem?

EX LIBRO SECVNDO DE COELO.

Eorū quodq; quorū est opus, operis ipsius esse gratia, constat: Dei autem operatio, immortalitas est. hoc autē, est perpetua uita. quare Deo perpetuum inesse motum necesse est. cum autem cœlum sit tale (est enim corpus quoddam diuinum) ideo corpus rotundum habet, quod suapte natura semper uoluitur.

Si quicquid ingenitū æternūq; est, non habet autorē essentiæ suæ: ea uerò quorū est opus, operis ipsius sunt gratia: non sunt igitur æterna, quæ his operibus ut causis debent suam essentiā. Si inanimatorū est per præsentiam tantum suam operari naturales operationes, rationalium uero suapte uoluntate agere: quomodo cœlum est deus, quòd non uoluntate immortalitatem operatur, sed motu & migratione sui partium? Si ingenitum neq; ut sit, neq; ut aliquid faciat, eget ope cuiusquam, aut ullo externo cooperatore: quomodo cœlum, cum & ut sit mobile, terra opus habeat, & sine socijs sole luna cæterisq; sideribus nil agat, est ingenitum? Si ingeniti ratio non est in agente, quomodo cœlum si est ingenitū habet rationem sine materia in agente, & rationem materiātam in materia, ut aliud sit ipsum cœlū, aliud hocce cœlū. Si non potest cœlum facere uolūtate quæ facit motu, quō habendū est pro Deo æterno, cum æternam uitam non sponte operetur? Si cœlum in rebus æternis non operatur uitā æternā: habent enim hanc ex natura propria: generabilia uero & corruptibilia non uiuunt in æternum: ubinam est illa æterna uita quam cœlum operatur? Si non solum ad generationem eorum quæ fiunt, uerum etiam ad corruptionem utilis est cœli motus: quomodo cœlum est Deus, & operatio eius uita æterna, per quam corrumpuntur corruptibilia? Si ex materia non potest fieri quicquam coæternū ipsi materiæ, quomodo cœlum est ingenitū, cum constet ex materia? Si quicquid ex utroq; cōstat, est utroq; posterius, quomodo cœlū constans è materia formaq;, coæternū est utriq;? Si forma non à materia fit, sed ab agente, quomodo cœlum cum aliunde materiā habeat, aliunde formam, ingenitū est? Si cœlum est corpus materiale, & habet formā orbicularem, & est ingenitū, quomodo non utrunq; sumpsit à materia, ut & esset quod est, & haberet quod habet? Si materia est id quod per se subiacet ac inest omnibus quæ fiunt ex ea, quomodo cœlum cum sit ingenitum, haud secus quàm res genitæ materiā in se subiectum habet?

EX EODEM LIBRO.

Quoniam cœlum corpus quoddam diuinū est, ideo est orbiculare, suapte natura mouetur in orbem semper. Cur igitur totū corpus cœli tale non est? quia quidpiā corporis eius quod uoluit, id inquam quod est in medio, manere necesse est, huius autem nulla pars potest manere quomodocunq;, nedū in medio. Naturalis em̄ eius motus esset ad ipsum mediū, at ipsum naturaliter in orbem uoluit, alioqui motus is æternus non esset, cū nihil alienū à natura semp;

sempiternum sit. id autem quod est præter naturam, posterius est eo quod est secundum naturam. Sit igitur terra necesse est. hec enim quiescit in medio. At si terram esse necesse est, ignem etiam esse necesse est. Contrariorum enim si alterum est natura, & alterum esse natura necesse est, si sit contrariū, atque aliquam ipsius esse naturam. est enim eadem contrariorum materia, & priuatio posterior, uelut calidū prius est frigidum. Atqui si est ignis & terra, ea quoque corpora esse, quæ sunt inter ipsa, necesse est. contrarietatem enim habet quodque elementorum ad unum quodque. Hæc cum ita se habeant, liquet generationem esse necessariā, eo quod ipsorum nihil æternum esse potest. afficiunt enim se ipsa cōtraria mutuū, & à se inuicem patiuntur corrumpunturque. Præterea non est rationi cōsentaneum, mobile quippiam æternū esse, cuius motus secundū naturam æternus esse non potest. at horum est motus. ex his igitur patet necessariò generationem esse. si uerò generationem, & aliam lationem aut unā aut plures esse necesse est, nam ut se habet totius motio, sic necessum est habere se & elementa corporum ad se inuicem. Nunc hoc patet, quam ob causam plura sint corpora in orbē uolubilia, quia necesse est generationē esse, siquidem et ignem esse necesse est. ignem autem & cætera, siquidem & terram: hanc autē quia necesse est esse aliquid quod consistat maneatque semper, si moueri quippiam semper oportet.

Si eo quod grauitate leuitateque careat, cœli corpus est mobile circum sui mediū, necesse est igitur ut totum cœli corpus moueatur circum mediū. quod si cœlum habet tale corpus, motū uerò talem non habet, patet quod præter naturam moueatur. Si circum mediū mouetur corpus cœli, at non totum secundū lationē elementū ex quo constare dicitur, sed in orbem per migrationē partium oppositarum sibi inuicem, annon orbicularis motus præualet elementū motui? atqui haudquaquā elementariū corporū motus forma sequitur, sed elementa imitatur ex quibus constant ipsa corpora. quomodo igitur in cœli corpore mutata est hæc motuū necessitas? Necesse est ut corpus grauitate ac leuitate carens quiescat potius sine motu, quam moueatur sine requie. nā si neque deorsum fertur grauitate sua, neque sursum leuitate attollit, necesse est ut immobile maneat. Si formaretur lapis in globi speciē, & poneretur in aëre, ut in suum locū ferretur, non moueretur in orbem propter figuram sphericam, omissa latione deorsum, sed recta deferretur propter grauitatē: quomodo igitur quintū illud elementū quod est cœli materia, cum sit natū, moueri circum mediū eo quod grauitate

tate ac lenitate careat, secundū suam naturā non fertur totum cum suis partibus circum mediū, sed in orbem transmigratione partium oppositarū sibi inuicem, cum non sit hæc elementi naturā, sed figuræ orbicularis. Si nec præter naturam, nec superfluum, nec frustra quicquam est in rebus æternis, quō igitur cœlū præter naturā mouetur, & frustra habet elementi sui naturā secundū quā non mouetur, & superflue à primo mouente ipso immoto mouetur, cum poterit motu proprio uel absq̃ illo moueri. Nisi quod quiescit quiesceret semper in medio, quod semper mouetur nō moueretur circa medium: quomodo igitur non est falsum, cœlū moueri semper suapte naturæ? Nisi naturā situmq̃ terra haberet sic ut habet, & nisi cœlum quoq̃ naturā situmq̃ haberet sic ut habet, nec quod mouetur moueretur, nec quod quiescit quiesceret. Quō igitur hæc æterna sunt & ingenita quæ essentiam & qualitātē mutuuantur à se inuicem, cum hoc sit rerum genitarū propriū? Si in rebus æternis nec per prouidentiam est quicquam, nec casu: quæ enim per prouidentiam fiunt, posteriora sunt q̃ prouidentia, & casus præter naturā aut per accidens est in rebus uoluntarijs: porrò quod præter naturam posterius est q̃ quod secundū naturam, deflectendo enim à natura præter naturā fit, & accidens in uoluntarijs posterius est quam uoluntas ipsa: quō cōsistit in rebus æternis esse hocce, propter esse aliud hoc quid: uerbi gratia, quoniā cœlum est, necesse est esse & terrā. quōd si terra & cœlum est, idq̃ opus prouidentia, quæ hanc rerum uniuersitatē è diuersis uel usu uel essentia partibus confecit: ergo aut non sunt æterna cœlum & terra, cōprehensa q̃ his omnia, se inuicē ut sint agant patianturq̃ adiuuantia: aut si sunt æterna, nō necessum est hocce hocce esse, q̃ hocce hocce est. Aristoteles unā æternam necessitatē supponens, multas alias æternas necessitates ab hac supposita pendere fecit. necesse est, inquit, esse motū perpetuum. quōd si motū, necesse est esse tempus quoq̃ perpetuū. tempus enim est motionis numerus. quōd si motus æternus est, necesse est hūc esse continuū. quōd si cōtinuus est motus, necesse est esse corpus simplex diuersum ab his quæ hic sunt corporibus, nec grauitatem habens nec leuitatem. nam grauia leuiaq̃ corpora quoniā in directum mouentur, continuè moueri non possunt. quōd si cōtinuo mouentur, necesse est ea habere figuram sphaericam. hæc enim sola capit motum continuū. quōd si in orbem mouentur, necesse est terram esse in medio semper quietam, ut circum eam fiat motus circularis. quōd si terra est, necessariò etiam quæ terram inter & ignem sunt corpora. quōd si hæc quoq̃, necesse est esse generationem

tionē. quoniam autem hæc æterna esse non possunt, neq; generationē esse necesse est, aliāq; circularia corpora. uerū istud, Si hocce hocce est, necesse est hocce hocce esse, in ingenitis ac æternis locum non habet: ergo non sunt æterna & ingenita quæ diximus, quòd si hæc æterna sunt & ingenita, non est igitur hoc propter illud, neq; illud propter hoc. Quando quidem si terra est, necesse est & ignem esse & quæ media intercedunt corpora, quomodo cum terra æterna sit & ingenita, ignis nō est æternus, leuis licet petēs q̄ sublimia: nam si, ut ait, quorum contrariorū alterū naturaliter est, & alterum naturaliter esse necesse est: annon absurdum terram æternam & ingenitam esse, ignem autem non æternum? aut ignem æternum esse, terram non æternam? cum alterum sit propter alterum. Si propter generationem necesse est esse alia circularia corpora, quò generatio non est causa sempiternorū: æterna sunt enim corpora circularia, & secundū horū motū generatio. quòd si hoc absurdū est, non sunt igitur ingenita circularia corpora. quæ enim sunt ideo quia sunt alia, hæc genita sunt non æterna. Si admittit in æternis esse quod est ingenitis, necesse est hocce esse, quia hocce est: ergo nil differūt ab ingenitis genita, nam in æternis, inquit, nihil differt esse, & esse posse.

EX EODEM LIBRO.

Quamuis in circulo duo motus fieri possunt, tamen non sunt contrarij. Sed si nihil in æternis esse fortuito aut à casu potest, cœlum uero perpetuum est atq; ipsa conuersio, quam ob causam ad altera fertur, non ad altera: nam & hoc principium esse, aut ipsius principium esse, necesse est. Natura semper id facit quod fieri potest optimum: ut autem lationū recta, ex ea præstabilior est qua locus superus petitur (est enim diuiniore locus superus infero) sic & ea qua itur uersus anteriora, præstabilior est ea qua itur retrorsum, habet autem si dextrum, etiam sinistrum. attestatur aut dicta dubitatio, quòd habeat prius & posterius. hæc enim causa dubitationē soluit. nam si se habet ut potest optime, hæc erit profectò causa eius quod diximus. optimū enim est simpliciter ac incessabiliter motu moueri, & hoc ad id quod præstabilius est.

Si natura illa, quæ solet facere quod fieri potest optimum, efficit ut cœlum moueretur prorsum non retrorsum, quò æternū est cœlum cum suo motu à natura factum, à qua optimum mouendi se modū accepit: Si tanto præstabilior est motus qui prorsum mouetur quàm qui retrorsum, quāto is qui sursum se cōcitatur, præstat ei qui uergit deorsum: quò nō sunt contrarij motus hi q̄ tātōpere

inter se differunt: Si corporum simplicium motus simplex non solum fieri potest, sed est necessariò: quomodo duobus motib. moueri potest cœlum simplici corpore præditū, atq; etiam mouetur quantum ad potentiam attinet? Si cœlū undiquaq; æquale constat ex æqualibus partibus, & quomodocunq; moueatur, in orbē mouetur, potest igitur & à meridie moueri in septentrionem, & à septentrione in meridiem: sicut moueri potest ab oriente in occidentem, & ab occidente in orientem. Quomodo igitur natura nō frustra corpori cœli tot motuum facultatē indidit, cum possit modis quatuor moueri, non moueatur tamen nisi simpliciter?

EX EODEM LIBRO,

DE ijs autem quæ stellæ uocantur deinceps dicendum esse uideatur, ex quibus constant, quasq; figuras habeāt, & quinam sint ipsarum motus. Est autē rationi & his quæ supra differuimus consonum, unamquaq; stellam censere ex eo corpore in quo fertur, quoniam diximus aliquid esse quod ferri circulariter natū est. ut enim qui dicunt igneas esse, ideo dicunt quia superum corpus ignem esse aiunt, quippe cum consonum sit rationi ex ijs quamq; constare in quibus est quæq; sic & nos in hac sententia nostra dicimus. calor autem ab ipsis lumenq; ideo generatur, quòd aer illarum motu atteritur. nam motus aptus natus est ignire ligna, ferrū, & lapides: tanto magis id quod est igni propinquius. propior autē est aer, ut uidere licet in missilibus telis quæ per eum feruntur. hæc enim sic incandescunt ut liquecant glandes plumbeæ: quod cū eis accidat, necessum est ut etiam aer ipsas circundans idem patiatur. Hæc igitur ideo calescunt, quia feruntur per aerem, qui quidē ictus commotusq; in ignem uertitur. superiorum autē corporum unumquodq; fertur in suo circulo, ut ipsa quidem nō igniantur, sed aer cum sit sub uolente sese circulo, ob illius motum caleseat necessariò, præsertim sub eo cui sol infixus est, quapropter quando propius accedit, & oritur, & supra nos est, fit etiam calor. quòd igitur nec sint igneæ, nec in igne ferantur, hæc nobis dicta sint.

Si ex eadē materia cœlū & stellæ constant, quomodo nō est falsum illud, Ex omni materia factū est cœlū: & illud, Omnē materiā comprehendit? Si id quod motum calefacit alia, non potest hoc efficere, nisi prius seipsum motu suo calefaciat: quomodo cœlestis globus & quæ in eo sunt sidera motu suo calefaciunt aerem, cum ipsa non calescant? Si id quod suo motu uim calefaciendi exerit, necessum est aut grauitatem habeat aut leuitatē: quomodo cœlū & quæ hoc continentur sidera uim calfactoriam exerunt, cum nec
grauis

grauitatem nec leuitatem habeant? Si quaecumque habent eandem essentiam mobilem, necesse est moueri motu eodem per se non per accidens, quomodo sol non mouetur per accidens, si suae sphaerae illigatus est: idem dicendum de stellis caeteris, si non per se mouentur naturalibus motibus, sed per sphaeras quibus illigatae sunt.

Si sol constat ex eadem qua coelum materia, nec grauitatem nec leuitatem habente, & formam circularem habet qualem & coelum: cur non eodem modo mouentur ambo, aut transmigratioe partium oppositarum sibi inuicem? Si in rebus aeternis nihil est praeter naturale, quomodo non est alienum a natura, moueri quicquam motu a natura sibi dato, nec tamen per se moueri, sed per alia? mouentur enim sol & stellae non per se, sed per sphaeras quibus illigatae sunt. Si quemadmodum facta quaecumque secundum rationem sunt quicquid facta sunt, sic & ingenita secundum rationem sunt quod sunt: ergo ratione posteriora sunt ingenita, id si est impossibile, ergo non secundum rationem sunt ingenita, cum autem non sint secundum rationem, quomodo suis quaeque functionibus perfunguntur in usum communem, & habent quod habent, aguntque quod agunt: quae enim usum aliquem exhibent, rationis prouidentiaeque sunt opera. Si res genitas sequitur ut ex ratione sint & materia, ergo ingenita non sunt a ratione & materia, quomodo igitur ingenita sunt coelum & in eo contenta omnia, cum sint a ratione & materia? Si ut ait Aristoteles in aeternis nihil est frustra, nec praeter naturam, cur de motu solis sic loquitur, quasi utrunque in eum competat, & frustra & praeter naturam? si enim sol mouenti se sphaerae non illigatus, eodem naturali motu moueretur quo nunc mouetur, quomodo non frustra suae sphaerae illigatus est? quod si non hoc motu naturali moueretur, sed ab hoc qualitate quantitateue diuerso, quomodo non praeter naturam nunc mouetur?

EX EODEM LIBRO.

Circulos quidem moueri, stellas uero quiescere, & illigatas ferri suis circulis.

Si secundum naturam stellae quiescunt in suis circulis, frustra eis illigatae sunt, quod si praeter naturam quiescunt, uiolente igitur, at in aeternis nihil frustra praeter naturam est: ergo Aristoteles stellarum motus rationem non inuenit. nam aeternas dicit stellas, cum tamen in uerbis eius ubi de motu harum loquitur, & frustra & praeter naturam appareat. Si stellae sunt aeternae, atque etiam coelum cui sunt illigatae, & singulae Deus appellantur, quomodo dii non trahuntur a diis? nam
quae

quæ mouenti alligata sunt, tractim mouentur. Si alia est essentia compositio, è materia formaq; uidelicet, alia cõpositio è partibus essentiam habentibus: quomodo æterna dicuntur quæ utraq; cõpositiones habent: nam cœlum cum habeat solem stellasq; illigatas sibi partes, est ex eis compositũ, habet enim hæc cœlũ in seipso.

EX EODEM LIBRO.

Insuper nullum ipsis instrumentum ad motum tribuisse naturã, imetas egreditur rationis, nihil enim casu natura facit, nec uerò cum animalia ipsi curæ fuerint, res adeò præstantes neglexit, uideatur tamen tanquam de industria abstulisse uniuersa quibus per se possent procedere.

Si æternorum ingenitorumq; nullus est opifex, neq; curæ sunt cuiquam quid sint, aut habeant ne naturaliter quæ habent: quomodo si cœlum est ingenitum & coæterna quæ in eo spectantur sidera, naturam habent factam & curatorì obnoxiam ut pergãt in suis functionibus? Si decebat loquentem de motu æternorum dicere, naturam nihil temere facere: annon liquet cœlum & stellas esse opera naturæ quæ ipsis instrumenta motus abstulit?

EX EODEM LIBRO.

Cum igitur cœlum quidem suo motu moueri oporteat, stellas uero non progredi per se ipsas, nimirum utraq; spherica sunt rationabiliter, sic enim maxime alterũ mouebitur, quiescet alterũ.

Si quiescens illud dicitur, quod potest moueri motu illo à quo quiescit: quomodo quiescunt stellæ cũ proprio motu careant quo moueri deberent: quòd si possunt quidem moueri, sed uetantur, quippe illigatæ suo circulo, an non præter naturam habent motũ perpetuum? Si his quæ semper mouentur data est figura spherica ut conueniens: quomodo hanc figurã habentia partim mouentur motu perpetuo, partim semper quiescunt.

EX EODEM LIBRO.

Sed cum non uideatur hoc semper accidere, neq; animato neq; uiolento motu stella ulla feretur, quasi natura ipsa prouidete in futurum: quòd non ad hunc modum habente sese motu earum, nihil esset eorum quæ hoc in loco sunt, quod se haberet similiter.

Quomodo igitur æterna sunt & ingenita quæ per naturæ prouidentiam acceperunt ut essent talia mouerenturq; taliter: quæ enim secundũ prouidentiam fiunt, posteriora sunt quàm ipsa prouidentia: quicquid autem sempiternum est, nullo est posterius. Si quod futurum erat, prius quàm esset non erat, qui fieri potest ut de cœlo astrisq; & eorum motu uerum sit utrunq;, ut & futura sint

sint eadē, & sempiterna ingenitaq̄: nam futurū nondū est, æternū aut ingenitumq̄ semper est. Si ideo ut que hoc in loco sunt similiter se habeant, natura celo prospexit de motus modo iam dicto, quomodo sunt sempiterna ingenitaq̄ hæc, quæ propter genitas res sunt ut sunt, & mouentur ut mouentur.

EX EODEM LIBRO.

NAm cum demonstratū sit stellas haud aptas esse per se moueri, naturaq̄ nihil absq̄ ratione frustra q̄ faciat: patet ipsam dedisse figuram eam rebus immobilibus, quæ minime motura sit, talis autem est rotūda, propterea quòd instrumentū mouendi nullū habet. Quare patet, stellarum molem rotundam esse.

Si natura semper mobilibus dedit sphæricam figuram ut agilē, annon frustra stellæ talem figuram acceperunt illigata suis orbibus, adeò ut nequeant naturalem suum motum peragere? Si stellæ non sunt aptæ natae per se moueri, ergo non habent naturalem motum perpetuum. quomodo igitur constant ex eodē quo celū elemento, nec grauitatē habente nec leuitatē? Celū quidem quia constat ex tali elemento, & figurā habet sphæricam, aptum est ut circa mediū suo pte motu uoluatur perpetuo: stellæ uerò quamuis ex eodem elemento factæ, eademq̄ forma præditæ, non sunt aptæ per se moueri: ut natura uideatur frustra eis dedisse essentiā & figuram cōuenientē sempiterno motui, quandoquidē stationē habēt immobilem. Quòd stellæ habent essentiā figuramq̄ semper mobilē, & stationē immobilē, annon est signum irrationalis uanæq̄ creationis quæ fecerit stellas præter suam naturā quiescere? Si ingenitorum æternorumq̄ essentiæ sunt omni factura siue rationali siue irrationali superiores, quomodo celum astraq̄ cum sint ingēnita, per naturæ prouidentiam nihil irrationabiliter aut frustra facientis, sunt quod sunt, & habent quæ habēt? Si nō oportebat moueri sidera, cur mouētur utiq̄ ab alijs: quòd si oportebat ea moueri, cur non per se mouentur, sed per alia: cū natura potuerit efficere ut per se mouerentur motu quo nūc mouent per alia, quæ ea fecit in essentiā agilissīma manere immobilia, quantū ad propriū ipsorū motū attinet. Si in æternis nihil est præter naturā, præter naturā aut est habere figurā essentiāq̄ semper mobilē, stationem uero immobilē: ergo non sunt æterna in quibus reperitur aliquid præter naturā, aut falsum est in æternis nihil esse præter naturā. Si nullum ingenitum habet quod habet, aut caret quo caret, per alicuius prouidentiam, quomodo celū astraq̄ si sunt ingenita, instrumentis quidem motus carent per naturæ prouidentiam, pro instrumento autē habent

habent figuram sphaericam, aptiorem ad continuū motum quam sunt instrumenta ambulatoria:

EX EODEM LIBRO.

PRima namque una quidem est, multa autem mouet diuinorum corporum: ceterae uero multae quidem sunt, unaqueque tamen unum solum mouet. errantium enim stellarum quaeque pluribus fertur lationibus. Sic igitur exaequat natura & ordinem quandam facit, uni lationi multa corpora, & uni corpori lationes complures reddens. in multis enim sphaeris una sphaera fertur innexa, sphaera autem quaeque corpus est.

Si aeternarum & ingenitarum essentiarum nullus est opifex, quomodo aeterna ingenitaque sunt haec, quorum ordinis conditrix est natura, uni lationi corpora multa dans, & uni corpori multas lationes, multitudines lationum unius corporis exaequans multitudini corporum. Si ingenita eadem sunt quae infecta, qui fieri potest ut in ingenitis factus sit ordo naturalis? Sphaera sphaerae innexa, eandem habens substantiam quam sphaera cui est innexa, annon uideatur habere utranque absurditatem quae in aeternis non inueniuntur, ut frustra habeat substantiam mobilem qua non mouetur, & praeter naturam moueatur per accidens.

EX LIBRO TERTIO DE COELO.

Eorum quae natura dicuntur esse, alia sunt substantiae, alia harum opera affectusue. dico autem substantias, simplicia corpora: ut ignem, terram, elementaque cetera, & quaecumque ex his constant: cœlum etiam totum ipsiusque partes, & animalia plantasue & horum partes.

Qui dixerat cœlum constare e quodam simplici elemento, diuerso ab his quae hic sunt elementis: & esse impossibile fieri cœlum aliud, quod hoc uniuersam materiam complectatur: quomodo nunc ait ex ipsdem elementis constare cœlum, ex quibus & plantas & animalia: si aliud cœlum dicit ex alijs elementis factum, annon falsum est, non posse esse aliud cœlum praeter unum? Si autem de eodem cœlo dicit, nunc ex alio his diuiniore elemento id constare, nunc ex ipsdem elementis, annon alterutrum falso asserit?

EX EODEM LIBRO.

Hactenus de primo elemento, & quale sit natura, & quod incorruptibile ac ingenitum.

Si elementum est ex quo fit quod fit, insitum ipsi: qui fieri potest ut idem sit & elementum & ingenitum? Si prius elementum, posterius quod ex elemento, quomodo ingenitum est elementum ex quo cœlum, & cœlum ei coingenitum? Si elementum ob hanc causam

causam est ingenitum, quia non ex elemēto, quomodo cœlum est ingenitum, cum sit ex elemento?

EX EODEM LIBRO.

Terna igitur esse impossibile. uidemus enim & ignē & aquā dissolui, & unumquodq; simplicium corporū. itaq; necesse est generabilia & corruptibilia esse elementorum corpora.

Si elementum corporum est terra quoq;, quomodo ais terram coæternam & coingentam esse cœlo, cætera uerò elementa generabilia & corruptibilia?

EX EODEM LIBRO.

Elementorum generatio est ex se inuicem.

Quomodo elementa nondū nata primū generantur ex se inuicē generatione mutua? prima em̄ generatio necesse est præcedat hanc alterā. existētibus enim his mutantur in se inuicem, & gignuntur ex se inuicem. Natura quæ facit naturalia, nisi prius fiat à non secundum naturā faciente, nec est ipsa, nec facit quicquā. Non simpliciter quicquid est generabile corruptibileq;, in generatione habet quadripartitū tempus, principiū & incrementū, uigorem & defectum: sed quod natura aut arte fit. Si nostris nominibus uocatur Deus quicquid uocatur, non est necessum inesse Deo propter nomen quæcunq; insunt nostro nomini. uocatur autē Deus & ueritas & bonus. ueritati mendaciū est contrariū, bono malū: at Deo nihil est contrariū. id nō animaduertens Plato introduxit quiddā Deo subcontrarium, necessarium malum sempiternumq;. Non est quodquam ens quod non sit hoc quid: uerbi gratia, nō est corpus quod non sit hocce corpus. quòd si materia esse hocce non habet, ergo nec esse habet. nam esse non separatur ab hocce esse.

Natura & ars, è substantijs faciunt quicquid faciunt: ut è semine facit natura hominem, & ex homine semen. Sunt autem substantiæ semen ac homo. sic & artes faciunt ex ære statuam, & domum è lateribus. Sunt autem substantiæ æs & lateres. ergo cum materia non sit substantia, quis fecit quicquid ex ea factum est, quādoquidem natura & ars non possunt quicquam nisi è substantia facere. Si ut ait Aristoteles, est corpus nec graue nec leue, nec unum ex elementis quatuor, nec ex his quatuor compositum: liquet quòd, si hoc uerum est, erit corpus nec calidum nec frigidum, nec natura nec affectione. quicquid enim affectione aut natura est calidum frigidumue, aut unum est elementorum quatuor, aut ex his quatuor compositum. quòd si non inuenitur corpus quod natura uel affectione non sit calidum aut frigidum, ergo neq; ullum quod

x nec

nec graue nec leue sit, neq; unum ex elementis quatuor, neque ex his quatuor compositum. Quomodo igitur dicit æthera esse calidum propter motum cœlestis corporis, & cæterorum quæ in eo mouentur: nam corpora quæ suo motu calefaciunt aliquid, ipsa prius à se calefiunt, quòd si calefiunt, uidelicet per affectionem calefiunt, si autem per affectionem, nimirum per alterationem, quòd si per alterationem, certè per mutationem, si per mutationem, certè in contrarium è contrario mutantur. est autem frigidus contrarium calidum, è frigidus igitur in calidum mutantur. Sed quoniam non est corpus quod è frigidus in calidum per affectionem mutantur, quod non sit unum ex elementis quatuor, aut ex his quatuor compositum, eam ob rem non est cœleste corpus aliud elementum diuersum ab his quatuor. calefit enim per affectionem è frigidus mutatum in calidum. Si corpora quæ motu calefcunt, maiore motu magis calefcunt, quomodo si secundum Aristotelem sol est corpus calidum non suapte natura sed propter motum, maiore motu nec calefcit magis nec calfacit, sed semper in motu inæquali calore habet æqualem. Si Aristoteles substantiam definit id, quod contraria per uices recipit, quomodo idem rursus materiam negat substantiam, cum contraria per uices recipiat: recipit enim priuationem & habitum. Si qui caret esse hocce, caret etiam ipso esse: quomodo Aristoteles ait impossibile generari aliquid ex non ente, cum materia secundum ipsum utroq; careat, & esse, & hocce esse: Si ex eo quod prorsus non est non fit quicquam, apparet quòd ex eo quod est, fit aliquid. id si est materia, quomodo erit uerum Aristotelis dogma, negantis ens materiam? Si non alteratur materia, non potest fieri quicquam ex ea. At si quicquid alteratur ex hocce in hocce alteratur: materia uero non est hocce: ergo non alteratur, & ideo non fit ex ea quicquam. Non è quolibet in quouis fit mutatio, sed in contrarium in eodem genere: ut in qualitate non fit mutatio ex albo in magnum, sed in nigrum. secundum quid igitur mutabitur materia in generatione substantiarum quæ fiunt ex ea, cum non habeat quicquam quod mutari queat? Si quemadmodum in animatis est animal, & in coloratis color, sic & in materialibus materia: quomodo sublatis animatis simul animal tollitur, sublatis coloratis unà tollitur & color: sublatis uero materialibus non item materia simul tollitur?

Si expertem esse & participare est entium, apparet id quod haudquaquam est, nec expertem esse nec participare cuiusquam. quomodo igitur materia particeps est priuationis, cum non fit
in

in entium numero: Si est impossibile idem in eodē moueri am-
 bobus motibus, naturali, & eo qui præter naturam fit: quomodo
 sol naturaliter quidem mouetur ab ortu in occasum, præter natu-
 ram uerò ab occāsu in ortum per suum circulum: nō est enim pos-
 sibile, idem in eodem contrarijs naturaliter moueri motibus. Ni-
 si sol esset, superuacuuus esset oculus: & nisi oculus esset, superua-
 cuus esset sol, sed quoniam alter propter alterum est necessarius,
 genitus igitur uterq; nam ingenitum, propter nihil est ingenitum.

Si est impossibile, cum sit tempus, fieri quippiam secūdam cau-
 sam, non etiam secundum tempus: quomodo dicunt Gentiles mū-
 dum factum secundum causam, secundum tempus non item? Si
 est impossibile mundum esse sine anno, quomodo æternus & in-
 genitus est mundus, cum annus non sit æternus, sed constet è cer-
 torum dierum in orbem recurſu? Si annus est genitus, quomo-
 do æterna & ingenita sunt, quæ in anno sunt?

DIVI IUSTINI PHI-
 LOSOPHI ET MARTYRIS QUÆ-
 STIONES CHRISTIANÆ AD GENTILES.

SIGISMUNDO GELENIO INTERPRETE.

Quæstio prima.



I summo in rebus humanis bono summum ma-
 lum opponitur, summum autem in rebus huma-
 nis bonū est nosse uerū Deum, ergo summū ma-
 lum est hunc ignorare. id malū quoniā est in qui-
 busdā hominibus, quid magis decet Deū mun-
 di huius opificem, mutarene præsentem uite sta-
 tum, & homines è summo malo eripere, sicut Christiani sentiunt:
 an mundum in statu eodem, & homines summo malo semper ob-
 noxios sinere?

Responsio Gentilis.

Primò ad primum dubium respondeatur, nullum esse malū ma-
 ximum. si enim bonorum maximum Deus est, apparet si quis sup-
 ponat summū malum, exoriturū alterum principium Deo contra-
 rium, quod Manichæi malè asserunt absurdū est enim Deum non
 omnia complecti, non omnibus sua bonitate affulgere: nullum igitur
 est summū malum, nam ignorātia sæpe in ipsorum cōmodum

datur hominibus, cum uideamus plerisque interdum cognita magis quam ignorata contemnere. & alioquin etiam ignorantiam ueri Dei non aliunde quam ex propria obliuione patitur anima. innotescit autem Deus animabus hinc etiam, sicut uidemus nonnullis etiam hinc Deum esse cognitum. imò ut uerum fateamur, ne ignoratur quidem Deus. communi enim consensu omnes Deum esse confitentur. porro quod etiam hinc degentes homines possint nosse Deum, orthodoxorum quoque fides aperte predicat, dicens Deum ipsum descendisse innotuisseque hominibus. ergo si homines possunt etiam hinc nosse Deum, non accidit eis summum malum ideo quod hinc sint. nam ignorantibus, ut dictum est, ob incredulum ingenium ignorare Deum contingit. Quod si quis quamuis absurdum, concedat tamen summum malum esse res presentes, & prestare non esse quae hinc sunt quam esse: is si dicit mala fecisse hinc opificem per debilitatem uirium, delirat, negans Dei potentiam comprehendere omnia. At si cum posset bona hinc facere, permisit alios facere mala, & hoc erit Dei crimine. nam quisquis cum possit cohibere negligit, ipse uerius in culpa est facinoris. sin autem ipse Deus quae hinc sunt condidit, liquet quod cum idem Deus maneat, & in posterum & semper eadem erunt. quae enim olim poterat, nunc quoque potest. quod si nunc potest aliquanto plus quam antea, temporaria erit haec eius potentia, quod absurdum est. nam quicquid temporarium, est corruptibile. si autem cum potuerit olim prohibere istud summum malum, non prohibuit tamen, inuidus uideri poterit, quod ne cogitare quidem fas est. oportet igitur eum cum idem in ipsidem maneat, eadem facere.

Refutatio responsionis non rectae.

Haec ipsa uerba si considerentur, satis redarguunt suam inconsistentiam. eum enim principio negent esse ullum summum malum, tandem in fine dicunt impium esse & à sola imaginatione proficisci quod indigne de Deo cogitatur: id uero quid aliud est quam inducere summum malum, quod prius responder temere negauerat: quod si ad haec solius imaginationis impietatem accedat oratio, maior fit impietas. tum si quis non contentus loqui, scribat etiam, necessario malignam omnem superat haec impietas, id si sic se habet, & cunctis quae indigne de Deo dicuntur, scribuntur, cogitanturue, inest impietas ex istimatione de Deo destruens, ergo ex ignorato Deo summum malum hominibus prouenit. Sed quoniam tua pietas postulat, ut etiam scripto redarguamus huius sententiae inconsistentiam, parebo & scribam pauca compendio, nam prolixius coarguere manifestum mendacium, scribenti aequè tedium affert atque legenti. In ista responsione memorentur

morantur summi mali duæ species, tres uero ignorationis Dei, ille
 ex Manichæorū opinione, hæ uerò ex ipsius qui respondet, è dua
 bus speciebus summi mali aut secundum essentiam alterum, alterū
 secundum huius operationem, è tribus autem speciebus ignora-
 tionis Dei, aliam per obliuionem, aliam per incredulū ingenium,
 aliam datam ad ignorantis cōmodum. Sed compēdio rescindens
 & Manichæorum opinionem & suam, nunc illos impugnat di-
 cens, Nullum est malum maximum, alioquin si quis supponat sum-
 mum malum, exorietur alterū principiū Deo contrariū, quod Ma-
 nichæi male asserunt: nunc uero contra seipsum loquens, ait igno-
 rationē ueri Dei non aliunde quàm ex propria obliuione patitur
 anima: illis uerbis tollens summū malum secundū essentiā, his ue-
 ro alterū quod est secundū operationem. Sic & ignorationis spe-
 cies quas ipse posuit, tollit dicens, Imò ne ignoratur quidē Deus,
 uno enim consensu omnes Deū esse confitentur. Ergo si prorsus
 non ignoratur Deus, liquet falsò dici, ignorationē Dei continge-
 re hominibus aut per obliuionē, aut per incredulū ingeniū, aut ip-
 sorum cōmodo, quòd si unum cōsensum omniū dicit, cuiusq; dam-
 natæ sectæ speciales opiniones, ne sic quidē erit in omnib. Dei no-
 ticia, nos certe nec summū malū iuxta Manichæos, nec qualē iste
 sentit ignorationē Dei posuimus in percōtatione, sed summū ma-
 lum intelligimus mendaciū contra Deū. Dei uerò ignorationē eā
 quæ falsa loquitur, quæ quidē est tertia summi mali species, ob in-
 credulitatem durtiamq; uoluntariam cōtingens hominib. quod
 oppugnare uolens iste responsor, sustulit quidem illas duas secun-
 dum Manichæos summi mali species, hoc uerò de quo loquimur
 non sustulit. quapropter necesse est nos alterutrū sentire de hoc re-
 sponsore, eum aut non intellexisse tertiam secundū nos summi ma-
 li speciē, aut non habuisse qd iustè cōtradiceret. esse aut summū ut
 nos dicimus malum, quod ex ignoratione Dei cōtingit hominib.
 sic demonstratur. Summū illud malū quod non est secundū substan-
 tiā, homines Deū ignorantes supposuerunt in suis dogmatibus, te-
 stis est ipse responsor ubi dicit: Summū malum nullū est: alioquin
 si quis supponat summū malū, exorietur alterū principiū, Deo con-
 trarium, quod Manichæi male asserunt. absurdū est enim Deū nō
 omnia cōplecti, non omnibus sua bonitate affulgere. nullū igitur
 est summū malum. His uerbis tollitur tamē illud quod supposuimus
 in percontatione. Sed quoniā ut è rebus tolleret hoc secundū nos
 summū malum, respōsor cōtentiose dixit: Summū malū nullū est:

aut non intellexit, inquam, quid sit summū malum secundum nos,
 aut nō habuit quod iustè cōtradiceret: id si ita se habet, liquet sum-
 mum malū in hominib. esse quod nos supposuimus. Nam si sum-
 mum bonum Deus est, uerè pieq̃ summū bonum de eo prædicat̃.
 sed quia homines quidam uerū Deum ignorātes, adimunt ei suas
 appellationes honoresq̃ meritos, & ad eos qui dī non sunt trans-
 ferunt: annon uidetur huic responfori duplex impietas, qua nō est
 maior alia, quòd & uerus Deus ignoratur, et qui nullus est ornā
 illius appellationibus atq̃ honoribus: Tum si uera loquitur negās
 ullum summū malum esse in hominibus, cum summa impietas sit
 in hominibus, annō putat summā impietatē esse malum maximū.
 Si quis, inquit, supponat summū malum, exorietur alterum princi-
 pium Deo contrarium, quod Manichæi male asserunt, absurdum
 est enim Deum non omnia complecti, non omnibus sua bonitate
 affulgere, nullum igitur est summum malum. Si nullum summum
 malum est in hominibus, quomodo criminariis Manichæos ut as-
 sertores prauæ sententiæ: nam si non rectè dicunt Manichæi quæ
 dicunt, manifestè malum est quod dicunt, quisquis enim dicit ma-
 le, male malum dicit, at illud secūdum Manichæos malum tale est,
 ut non sit maius aliud, id si uerum est, uerè igitur est magnum ma-
 lum in hominibus, si non secundum substantiam, certe supposi-
 tum & in opinione. Nam ignorantia, inquit, sæpe in ipsorum cō-
 modum datur hominibus, cum uideamus plerosq̃ interdū cogni-
 ta magis quàm ignorata contemnere, & alioquin etiam ignoran-
 tiam ueri Dei nō aliunde quàm ex propria obliuione patitur ani-
 ma, innotescit autem Deus animabus hīc etiā, sicut uidemus non-
 nullis etiam hīc Deum esse cognitum. imò ut uerum fateamur, ne
 ignoratur quidem Deus, communi enim consensu omnes Deum
 esse confitentur, porrò quòd etiam hīc degentes homines possint
 nosse Deum, orthodoxorum quoq̃ fides apertè prædicat, dicens
 Deum ipsum descendisse innotuisseq̃ hominibus, Dixit in ipsorū
 commodum ignorantiam interdum dari hominibus, id si dicit de
 hac ignorantia Dei de qua nunc differimus, manifestæ absurdi-
 tatis est dicere, ignorantiam Dei dari ignorantibus in ipsorum
 commodum, nam hac ratione omnes supersticiosi cultores Deum
 nescientes, nescient eum in suum commodū: religio uerò noscens
 Deum in suū noscet incommodū. Quòd si de alia loquitur igno-
 rantia, de qua non est propositum dicere, intempestiua est ista ob-
 iectio, nō quæsitā pro quæsitā ingerens. Dixit Deum ignorari ab
 anima propter obliuionem ipsius animæ: dixit etiam hīc contin-
 gere

gere animabus Dei noticiam: dixit etiam hinc non deesse à quibus uideamus Deum cognitum, pernegat ignorari Deum, quando quidem communi cōsensu omnes eum esse cōfiteantur. ait hinc quoque posse Deum nosci ab hominibus: quod ut comprobaret adduxit fidem orthodoxorum, dicentium ipsum Deum descēdisse, innotuisseque hominibus. Sed si uerum est per propriā obliuionē anime accidere ut ignoret Deum, manifeste falsum est illud, haudquaquam ignorari Deum, quando quidem omnes cōmuni cōsensu hunc cōfiteantur. & quid opus erat hinc animabus cōtingere Dei noticiā, si ab uniuersis Deus noscit predicatque: Iam illud, Videmus hinc quoque homines quosdā noscētes Deū: de quibus dicit hominibus: si de his qui eū postquam descēdit & innotuit agnouerūt iuxta fidē orthodoxorū, uera dicit, uideamus em̄ eos. at quō iste cum per aduētum Dei conet probare, posse hinc quoque cognosci eū ab hominibus, ipse nō credit eius dictis de mūdi reparatione: nam incredula demōstratio nō astruit fidē his quæ demōstrant. Quod si alios homines præter eius qui descēdit Dei discipulos dicit habere noticiā eius: falsum est illud, Videmus hinc quoque homines quosdā noscētes Deū, nam ego hos nō uideo. Tum si prorsus nemo ignorat Deū, omnibus unanimiter eum esse cōfitentibus, quænam Dei noticia hinc cōtingit hominibus, nisi specialis: secundū quā religiones omnes quotquot in terra sunt, à uera quidē religione differūt simpliciter mendacio, inter se autē diuersis mēdaciū uarietatibus. id si sic se habet, ergo nō ut opinat̄ responsor, hinc hominibus cōtingit Dei noticia, sed potius ignoratio: quando quidē nō secundum uniuersalē Dei noticiā religiones inter se differūt, sed magis secundū eam quæ hinc ipsis cōtingit. Si est igitur possibile hinc etiā nosci Deum ab hominibus, nullum summū malū his accidit, propterea quod hinc sint: nam ab ignorantibus, ut dictum est, ob ipsorum genuinam incredulitatem Deus ignoratur. Duo, quædam quæ simul nō possunt cōsistere, iste responsor coniunctim posuit: alterum illud, Si est possibile hinc Deum nosci ab hominibus, nullum summum malum eis accidit: alterum illud, Ignorātes Deum ob genuinam incredulitatem eum nesciunt, atque ita summum malum quod priore pronunciatum procul relegauerat, reduxit posteriore: siquidem summum malum est geminata contra Deum uerum impietas, gloriam ei propriam adimere, & falsos deos honorare ipsius honoribus attributis temere, quæ quidem est extrema linea maliciæ. Quod autem ait ideo summum malum non accidere hinc hominibus, quia possunt hinc consequi Dei noticiam, non tam tollit summum malum,

quàm exaggerat: quando etiam possibilia non possunt homines propter suam uoluntariam incredulitatem, cum liceat iuxta simplicem religionem salutaremque ipsis pie uiuere: illi uerò impietatem duplicatam ei præferant, quam summum malum esse negare absurdissimum fuerit. Quòd si quis quamuis absurdum concedat tamen, summum malum esse res præsentis, & præstare non esse quæ hîc sunt quàm esse: is si dicit mala fecisse hîc opificem per debilitatem uirium, delirat negans Dei potentiam comprehendere omnia. At si cum posset bona hîc facere, permisit alios facere mala, & hoc erit Dei crimē, nam quisquis cum possit cohibere negligit, ipse uerius in culpa est facinoris. Si ut supra dictum est, ignorantia ob cuiusque incredulum ingenium contingit Deum ignorantibus, quòd summum malum esse constat, quomodo nunc hoc ut rem absurdam responso concedat, imò si uel aliud summum malum ut rem absurdam concedat, non ad nos illud pertinebit, sed ad Manicheos, secundum nos enim bona sunt hîc omnia, ut quæ summè boni sint opificiū: nec est in eis ullum summum malum secundum substantiam, neque secundum huius mali operationem, sed secundum uoluntarium propositum hominum mendacia ueritati præferentiū, iuxta prædictam impietatem geminam, cui remediū adhibens mundi opifex Deus, præfiniuit diem qua omnia mala ex incredulitate uel contumacia erga ipsum Deum orientia tollerent, sicut orthodoxi credunt qui Deum hîc agnouerunt, ut responso quoque testatur. non debuerat igitur cum de summo iuxta nostram opinionem malo differeremus, responsionem suam in summum secundum Manichæos intendere: nam inscientiam signum hoc est, & argumentorum inopia, sicut dictum est. Concedit etiam nos patrare quæ sponte proponimus mala, non per infirmitatem uirium, sed ut & nostrum arbitrium appareat & Dei longanimitas: quod alioqui hoc rerum statu nec nostra incolumitas tutaretur, nec illius bonitas conspicua. Sin autem ipse Deus quæ hîc sunt condidit, liquet quod cum idem Deus maneat, & in posterum & semper eadem erunt, quæ enim olim poterat, nunc quoque potest. quod si nunc potest aliquid quanto plus quam antea, temporaria erit hæc eius potentia, quòd absurdum est. nam quicquid temporarium, est corruptibile. De quibus dicitur condidit, de his dicitur & condet, ut nihil uetet hæc permutari ceu equipollentia. condidit autem suapte natura prius est quam condet, quæ sunt significatiua duarum extremitatum temporis. quæque autem habet has duas extremitates, id est, præteritum futurumque, necesse est habeat & harum intermedium tempus, hoc est præsens. & quoniam hæc uox condidit, habet uim significatiuam temporis, oportet Deum quæcumque hîc condidit, iuxta sententiam respon-

respondentis cōdidisse in tempore, sed Deus qui cōdidit quæcūq;
 hīc sunt, incorruptibilia corruptibiliaq; condidit. hęc sunt em̄ par
 tes rerum quæ hīc sunt, unde liquet responforē hac uoce Cōdidit,
 rationabiliter usum de Deo, nulla autē ratione corruptibilia ab in-
 corruptibilibus distinxisse tempore, cum hęc uox Cōdidit, ea nō
 distinguat, siquidem utraq; condidit. Ergo si is qui de Deo dicit
 quòd condet, dicit reparationem quæ exercetur assumpto tempo
 re: certe is quoq; qui de eo dicit quòd condidit, dicit operatum as-
 sumpto tempore, quando quidem ubiq; prius est cōdidisse quàm
 conditurum esse, quòd si is qui condidit, sine temporali facultate
 condidit, haudquaquā cum temporali facultate conditurus factu
 rus uē est in posterū. Si autem cum potuerit olim prohibere istud
 summū malū, nō prohibuit tamē, inuidus uideri poterit, quod ne
 cogitare quidem fas est, oportet igitur eum cum idem in hīsdē ma-
 nent, eadē facere. Quòd propter ignoratū Deum multis modis in
 pietatē peccent homines, illū uerū nescientes, suprā indicauimus.
 aut enim spernunt Deū, priuantes eum sua gloria, & falsos deos il
 lius nominibus rebusq; falsò honorāt: aut opificiū prouidentiaq;
 mundi tribuūt pugnantibus inter se opificibus: aut ingenti nomi
 ne, quòd solū Deū decet mūdi conditorē, partes mūdi nominant,
 & adimunt Deo fabricā mūdi, cū relinquāt nomē opificis: nequid
 dicā de alijs hominū uitjs maximis, impietate pari uel etiā maiore
 inuidū esse Deum cogitantiū. Hęc & similia mala cū sint in homi
 nibus, prædicatā autē à Christianis reparationē, qua cūcta hominū
 tam animi q̄ corporis uitia tollunt, nō credat hic respōsor: annon
 & ipse Deū inuidū existimat: qui cū summa mala phibere possit
 ab hominibus, non prohibeat tamē, sed in eodē semper statu sinat
 exercentes impietatē & in ipsum & in se inuicē: at cur non credit
 hęc mundi reparationē? ob impotentia eius qui fecit hūc, an quòd
 hoc opus eū decere non putet: si opinatur eū inualidū, ne cōditor
 quidē erit, quæ enim instaurare nō potest, ne cōdere quidē ualet.
 cōiunctim enim hęc uel negantur uel cōceduntur, sin autē infra di
 gnitatē Dei hoc uidetur, ergo non decebit eum opus longe cæte
 ris melius: id quòd dictū absurdissimū est, decere si condat corru
 ptibiles homines, non item si eosdem reddat incorruptibiles.

Quæstio Christiana ad gentiles secunda.

SI est impossibile Deū esse qui nihil fecerit, quomodo est Deus
 si mundus est ingenitus, sicut quibusdam uidetur.

Responso gentilis ad Christianos.

Quisquis possibile negat Deū esse qui nihil fecerit, absurde lo
 quitur

quitur, nam & hîc respondere licet, apud Deum nihil esse temporarium, id si uerū est, liquet ne præteritū quidem tempus apte dici de Deo, quod si non apte dicitur, ne fecisse quidem quicquā Deū cōuenienter dicetur. Ergo Deus otiosus credendus est: quod uel in cogitationem admittere uetat religio. Nequaquā, sed negamus eum uel fecisse quicquam, uel facere, uel facturum esse in tempore, non magis enim fecit, quā facit aut faciet, sed tam præteritum in præsentī apud Deum est, quā futurum in præterito: quippe cum Deus nihil fluxum habeat, sed semper eadem faciat, propter perfectissimam ipsius atq; immutabilem uel efficaciam uel potentiam, facit igitur mundum in hoc ipso quod est, dans ei motū indefinitum, ut in sempiternum uigeat, ac clareat. itaq; nec fecit quicquam nec faciet: sed cum sit semper idem, facit eadem, nullū habens creationis principium, ne finem quoq; habeat. quando quidē si principium finemq; haberent eius operationes, corruptibiles essent operationes Dei, quod est dictu absurdissimū, alioquin mutabilis erit etiam ipsius potentia, ut quæ aliās magis aliās minus sit efficax: & essentia quoq; periclitabitur mutabitq;, nunc has nunc illas uires proferens, nec in eisdem immanens. itaq; si res semper se habent ad hunc modum, uidebitur mutabilis essentia Dei simul atq; potentia efficaciq;. quod absit, idem igitur cum maneat, nihil habet temporariū, facit igitur mundum ordinans eum semper, & mundus eius præsidio semper fit, cumq; semper sit idem, est ingenitus.

Refutatio huius non rectæ responsionis.

Quisquis possibile negat Deum esse qui nihil fecerit, absurde loquitur, nam & hîc respondere licet, apud Deum nihil esse temporarium. Si quia nihil temporariū est apud Deū, absurdū est dicere eum fecisse aliquid: æquē absurdū dictu est, eū facere aliquid, quomodo igitur hic responsor ait, alterū Deo conuenire, alterum non. Tum si has uoces Condit Condidit Condet, ut æquipollentes licet permutare inuicem, cur in prima responsione de Deo loquens utitur his, Condidit & Condit, nunc autem utrunq; aufert ab eo: Ipse est, inquit, Deus qui condidit quæcunq; hîc sunt, altera uerò sic utitur. Oportet igitur eum, cum idem in ipsdē maneat, eadem facere, ac mox in secunda responsione destruens quæ in prima dixerat, sic dicit, Quisquis possibile negat Deum esse qui nihil fecerit, absurde loquitur. Rursum, Nec fecit Deus, nec facit, nec faciet in tempore. Sed fortasse per obliuionem ipse sibi contradicit, quam ait in causa ut Deū ignorēt homines, examinemus quæ deinceps sequuntur. Apud Deum, inquit, nihil est temporariū: unde liquet

quet ne præteritum quidē tempus conuenienter dici de eo. quòd
 si non apte dicitur, ne fecisse quidem quicquam Deum conuenien-
 ter dicetur. His uerbis responsos noster, cum ostēdere uelit absur-
 dum dictu esse, apud Deum esse quicquam temporarium, ea quæ
 hanc absurditatem necessariò sequuntur subiungit quasi rationa-
 bilia, dicens: Si apud Deum nihil est temporarium, liquet quod
 ne præteritum quidem tempus in eum competit. quod nisi ei con-
 uenit, ne fecisse quidem quicquam Deum conuenienter prædica-
 bitur. Absurdè autem hunc supposuisse, apud Deū nihil esse tem-
 porarium, qua propositione pro fundamento argumentationis
 utitur, ex ipsius uerbis coarguitur, quæ sunt in prima responsione:
 Si autem ipse Deus quæ hic sunt cōdidit, liquet quòd cum idem
 Deus maneat, & in posterum & semper eadem erūt. quæ enim o-
 lim poterat, nunc quoq̃ potest. Si igitur nihil temporarium est a-
 pud Deū, proculdubio nec fecit nec facit, nec prius nec posterius,
 nec olim nec nunc, nec poterat & potest, de eo prædicatur. nam
 hæ uoces Fecit, Prius, Olim, Poterat, præteriti temporis significa-
 tiuæ sunt. sicut præsentis hæ, Facit, Post, Nūc, Potest. Quòd si hæc
 prædicata de Deo significant supponuntq̃, omnia Dei opera esse
 apud ipsum temporaria, liquet propositionē istius absurdam esse,
 negantis apud ipsum quicquam esse temporariū. quæ si ut incon-
 sistens reijciatur, necessariò altera quoq̃ illa simul uanescet ac pro-
 fligabitur, quæ hanc uocem Fecit, negat in Deum competere. atq̃
 ita his confutatis necessariò adstruitur id quod est cōtrarium, hoc
 est uocem hanc Fecit, Deo conuenire. nam in quauis propositio-
 ne oportet aut affirmationem esse ueram aut negationē. concessio
 autem conuenire Deo fecisse, impossibile est dicere Deum qui ni-
 hil fecerit. est enim alterum alteri consequens. Ergo Deus otiosus
 est: Nequaquam. sed negamus eum uel fecisse quicquam uel face-
 re uel facturum esse in tempore. non magis enim fecit quàm facit
 aut faciet: sed tam præteritū in præsentī apud Deū est, quàm futu-
 rum in præterito: quippe cum Deus nihil fluxū habeat, sed semper
 eadem faciat, propter perfectissimam ipsius atq̃ immutabilem uel
 efficaciam uel potentiā. Iste dum cauet ne peccet in Deum, si dicat
 eum otiosum, nihilo leuius peccat, negans eum quicquam uel fe-
 cisse uel facere uel facturū esse in tempore. Nam etiā si lapsus in-
 cautè dixisset otiosum, quid amplius peccare poterat q̃ nūc dum
 cautus uideri uult: quasi aliud sit otiosum esse, q̃ nec fecisse quic-
 quam nec facere nec facturum esse. Si enim adimas Deo, uerba hæc
 significatiua temporum, otiosum eum relinques, iamq̃ ne cōditor
 quidem

quidem erit, sublatis ab eo temporarijs, ut nec præteritum nec præsens nec futurum apud ipsum sit. Quomodo igitur iste responfor adimens Deo tēporaria, mox ei rursus tribuit, dum dicit, tam præteritū in præsentī apud Deum esse, quā futurū in præterito? Ex his uerbis duplex sensus elicitur, aut non ens apud Deū esse in nō ente, aut ens esse apud Deū in ente. Sed prius est impossibile, nam in aliquo esse, aut non esse, entis est, sin autē concedatur posterius, iam est apud Deum nō ens in ente, hoc est præteritum tempus in præsentī tempore, quo cōcesso apparet non recte dictū, nihil temporarium apud Deum: cum præteritum in præsentī & futurum sit in præterito, quæ sunt temporaria, quāuis enim permutauit quodammodo apud Deum partes temporis, nihilominus cōcedit esse apud eum tempus & præteritum & præsens & futurum. Tum si non magis fecit quā facit, aut facit quā faciet, ne opus quidē erat in factis, & quæ fiunt, faciendisq; hac secundū maius minusue differentia, cum alioquin satis creaturæ à se inuicem differant, nec enim ideo fecisse negatur, si nō magis fecit quā facit, sed affirmatur potius. Proinde liquidò apparet, quòd omnia temporaria quæcunq; iste ademit Deo præloquens in secundam responsionē, hic ei relinquat. Quippe cum Deus nihil fluxum habeat, sed semper eadem faciat, propter perfectissimam ipsius atq; immutabilem uel efficaciam uel potentiam. Qui tollit temporaria, non adstruit eadem, quomodo igitur cum iuxta istum apud Deum nihil sit temporarium, Deus eadem facit opera: nam hoc uerbum Facit, nō potest intelligi sine præsentī tēpore, præterea quomodo habet Deus perfectissimam uel efficaciam uel potentiam, si facit indesinenter eadem? Nam si motus ideo dicitur actus imperfectus, quia semper mouetur: Dei quoq; imperfecta potius quā perfecta operatio uidebitur, si est illius similis. nam perfecta operatio consideratur in perfecto opere, non in imperfecto. Quòd si propter imperfectā operationem, & hac imperfectiorem ipsius rationem, responfor negat Deum quicquam fecisse, falsum est quod ait perfectam Dei efficaciam, quæ quidem nec in uniuersum nec ex parte opera sua perficit, quòd si opere imperfecto, impossibile est perfectam esse opificis efficaciam, ne Deus quidem eam habet perfectā, cum quæcunq; facit, semper faciat. Facit igitur mūdum in hoc ipso quod est, dans ei motum indesinentem, ut in sempiternum uigeat ac clareat. Si hoc ipso quòd motum ei largitur, Deus mundum facit, liquet quòd eum in tempore faciat, nec enim is motus, quem accipit à Deo, caret tempore, ergo si facere præsentis est temporis, & hic

hic motus est temporarius, annon falsum est, nihil apud deum esse temporariū. Quomodo autem mouetur mundus qui nondum factus est, sed fit adhuc, cum Deus faciat sine tempore, mundus uerò absoluat in tēpore: necessum est enim ut sicut facit opifex, sic opus fiat sine tempore. quod si motum ei prebendo Deus mundū facit, nec tamē conuenienter dicitur mundū fecisse: ergo nec de mundo conuenit dici quòd moueat, si alius est hic motus, aliud uerò quod mouetur. Verbi gratia, moueatur sol, motus autem eius sit de loco in locum migratio, hic motus nō dat soli substantiā, sed tantum ut moueatur: apparebit solē duobus modis fieri, altero secundū substantiam, secundū motū altero: cum sit sol globus æthereus, specie fulgidus, rotūndus figura, quarum rerum nullam propter motum habet. quòd si nihil horū propter motum sol habet, certe nec propterea quòd à Deo factus sit. Si autem indefinētem motum ei largiendo solem Deus facit ut mundi partē, quippe qui totum mundum facit: & oportet, ut mobile sit suo motu antiquius: aut sol nō habet factam substantiā, aut alio modo substantia huius facta est, motus item alio, & facta prius substantia tum demum motū accipit. Sed si moueri eum semper facit, substantiā autem eius non semper facit, liquet quòd post creationē eius substantiæ dat ei motum indefinentem, et absoluta demum eius substantia fit eius motus initium. Quæ si se habent sic, apparet nihil apud Deum esse sine tempore. nam creatura creaturæ succedēs non caret tempore. Itaq; nec fecit quicquam, nec faciet: facit autem semper idem eadem, non habens principium faciēdi, ne & finem habeat. Postquā declaratū est aliam esse creationē substantiæ solis, & aliā motus ipsius, quem responsor noster indefinentē nominat, & quòd creatio substantiæ sit antiquior quàm motus creatio: annon absurdum est dictū, carere principio creationem solis, qui absoluta demum substantiæ suæ creatione motum indefinentem accipit: aut igitur substantiā solis non condidit deus, aut ista solis per motum creatio nō caret principio. Si prius concedatur, deum non esse substantiæ solis opificem, certe ne motus quidem eius erit opifex. à quo enim habet essentiam, ab hoc motum quoq; necessum est habeat. Quòd si magis placet posterius, corruptibilis erit Deus in suis operationibus: si quidem secundum istum responsorem cessante operatione dei, corruptibilis fit Dei uis & efficacia. Quòd si Deus est factor solis substantiæ, & hanc semper non facit: liquet eam factam prius quàm sol mouetur, & nullam facturam apud deum carere tempore. Quòd si principium habent dei actiones, simulq; finem, corruptibilis erit deus

actione, id quod absurdum est: erit & eius potentia mutabilis, modo has modo illas actiones propositas habens. Quod si potentia mutabilis est, modo his modo illis utens actionibus, etiam substantia conuelleretur, modo has modo illas gignens potentias, & manens in iisdem. Itaque si hæc omnino constant, erit deus mutabilis substantia, potentia, actione: quod absurdum est. Quemadmodum deus ipse non habet principium et finem, ita nec eius actio nec opera. Sunt enim eius actiones in eius operibus. Ita fiet ut quemadmodum ipse faciente non eget, sic nec ea que dicuntur eius opera. Erit & falsum dicere, deum conditorem eorum quæ sunt secundum ipsum, & principio & fine carentia. Sin ubique hæctenus differt conditor à re condita, quod ipse & ante fuit, & post est, certe qui deum & eius opera priuat hac differentia, utrumque priuat, deum et eius creaturas: ipsum, creatoris appellatione: illa uero, creaturarum. Et si quidem est dei potentia infinita (ut certe est) eius autem opera finita, est omnino deus secundum eas quas habet, & tamen non utitur, potentias, non corruptibilis actione, secundum iudicium eius qui respondit. Quod si secundum eas quas habet ille quidem potentias, sed secundum eas non agit, corruptibilis non est, sequitur ut etiam si cessauerit actio dei, quæ mundum produxit, non tamen corrumpatur deus actione, quantum quidem uult, non quantum potest: neque facit corruptibilem deum, actionis cohibitio: neque cum cohibet actionem, cohibet mutatione potentia: quin est dei potentia semper immutabilis: sed ipse utitur actionibus quantum uult. Non enim agit deus quemadmodum agunt quæ in agendo habent esse: deinde ubi cessauit actio, desinunt & ipsa esse: ut ignis & nix. Nam si sic agit deus, non magis agit eorum causa quæ fiunt, quam ut ipse sit, quasi si agere desierit, futurum sit ut etiam esse desinat. Quod si hoc absurdum est, etiam absurdum est dicere mutabilem esse dei potentiam actionis cohibitione, aut conuelli eius substantiam uarijs actionibus, quod modo has, modo illas propositas habeat. Et quemadmodum cum facit nos deus primum infantes, deinde adulescentes, deinde senes, non facit mutatione potentia, nec actionis corruptione, nec quia concutiatur eius substantia, dum mutat ætates nostras secundum diuersa tempora, quæ inter se sic differant, ut sint alia alijs anteriora, alia posteriora: sed id facit quia actionem uel adhibet, uel cohibet: ita non mutatione potentia principium et finem habet eius actio, sed quia eam uel adhibet uel cohibet. Si enim cohibita actione, non iam posset deus uti actione, quæ desisset, rite diceretur actionis corruptio. Sin semper potest eandem actionem adhibere quoadocumque uult,

uult, nō corrumpitur actio dei, dum cohibetur. Cū enim potentia nō corrumpatur, fieri nō potest ut corrūpat actio. Nō est enim idē actionis corruptio, et actionis cohibitio. Quōd nisi cohibita fuisset actio quæ mundū fecit, innumerabiles facti fuissent mūdi, actione nunquā cessante. Nunc uno tantū facto mundo, sine operis ostenditur finita actio quæ mundum fecit. Idem igitur manens, nihil habet temporariū: facit ergo mundū, ordinans eum semper: ac mundus quidem hoc ipso fit, qđ semper custoditur: ipse uero quoniam semper est, ingenitus est. Si nihil habet temporariū deus, ne facere quidem habet: est enim facere, temporariū: & si facit mūdum deus non producens eius substantiam, nō facit mundū. Mundus enim sine substantia nō est mundus. Quōd si mundus substantiam non habet, necesse est ut neq; factus fuerit, neq; custodiatur. Quo enim nō eget ut creet, eodē etiā nō eget ut custodiatur. nā ingenita natura, nullius eorū quę sunt extra ipsā capax est: & si omnino oportet aut affirmationē aut negationē esse uerā, quī fit ut respōsor utrūq; dixerit de mūdi generatione, uidelicet affirmationē & negationē, dicēs eum & genitū esse, & ingenitū. Præterea si, quēadmodū dixit in tertia responsione, ingenitus deus ingenitē facit omnia, ita ut non fiant, sed unā consistāt: sed quoniā quicquid unā cōsistit, eius cum quo unā est, salute seruat, nulla alia egens tuitione, nisi illius salute: illo enim seruato, seruatur et id propter hoc: si opus est tuitione ad salutē, illud nulla eget tuitione, nisi illius salute, quo cōsistente consistunt etiā quæ unā cōsistunt: si hæc, inquā, sic habēt, nō eget mundus tuitiōe, quin unā cū deo cōsistat, sed ipse deus, cū quo cōsistit mundus. Quōd si hoc absurdū est, absurdū est etiā dicere, mūdum unā cū deo consistere. Dicendū igit est, uolūtate dei cōsistere mūdū, & eiusdē dei uolūtate manere eundē, etiā si nō semper. Similiter quę alicuius cōsistentia unā cōsistunt, eiusdē mansione manent, nō sua: quēadmodū cōpositione linearū cōsistunt anguli, & manente cōpositione, manent & anguli, eadēq; sublata, tollunt. Quōd si opus est ut maneant anguli, necesse est tribuere tuitionem compositioni linearum, nō angulis per seipsos, sed per accidēs angulis, per seipsum autē cōpositioni linearū. Eodē modo cogitandum est de mundo, si ingenitē consistit unā cum deo, sicut ait qui respondit.

Quæstio Christiana ad gentiles tertia.

SI quia est, & nō quia uult, facit deus: quēadmodū calefacit ignis quia est, quī fieri potest ut ipse et simplex sit ac unius modi, et tamen diuersarum substātiarum sic conditor.

Responsio gentilis ad Christianos.

Non est putandū ut in nobis aliud est esse, aliud uelle, sic etiā esse in deo:

in deo: quin idem planè est in deo esse & uelle. Quod em̄ est, idem uult: & quod uult, est: nec ulla est distinctio in deo, quippe qui ipse ab se se producat. Itaq; distinctio inter esse & uelle, in deo repudianda est. Et tamē ne sic quidē fatēdū est deū facere quia sit, sicut ignis calefacit. Ignis em̄, licet substācialiter, tamē accidentē habet calorē. At apud deū nihil nec substācialiter accidit, nec accidentēliter. Igit̄ cum ei nihil accidit, & sit idē esse & uelle deo, sequit̄ ut simplex sit & unius modi, efficiens ingenitē eorū quę sunt. Sicut em̄ uidemus quod genitiua, ut homo quiuis, qui generatus ipse, genitiua facit, et omnino genitiua genitē genita, genitiua faciunt, & ex se faciunt: eodē modo deus quoq; cum sit ingenitus, ingenite facit omnia, ita ut nō gignantur, sed simul cōsistant: & potentię quidem infinitate diuersa facit. Non debemus autē deum humano more contēplari. Non em̄ quemadmodū nos, qui alioquin aliquid prius habemus, postea id in aliud mutantes, dicimur facere, sic & deus facit: sed excellentē potentiā sine tēpore faciens omnia, perficit omnia, simulq; quia est, etiā entia facit, nec ei opus est, sicut nobis, ut aliquid prius factū perfectūq; sit, quo deinde faciat posterius, quippe cū nihil sit in eo prius aut posterius. Videmus sane naturā quia sit facere, & re pentinā semper mutationē efficere, quēadmodū in coagulatione lactis repētē coagulationē cernimus accedere lacti. Itaq; multo magis putandū est deū repētē & sine tēpore omnia facere, qui ipse sit unum, & infinitate potētē diuersa producat, quę ipsa planè per se producant.

Huius responsionis refutatio.

Non est putandū, inquit, ut in nobis aliud est esse, aliud uelle, sic etiā esse in deo: quin idem plane est in deo esse et uelle. Quod enim est, idē uult: & quod uult, est: nec ulla est distinctio in deo, quippe q̄ ipse ab se se producat. Itaq; distinctio inter esse & uelle, in deo repudianda est. Cū habeat deus substātiā ad essentiā, uolūtātē autem ad agendū, qui repudiat substātię & uoluntatis differentiā, idem dei & essentiā repudiat & effectiōnem: essentiā quidem eius, effectiōnem uero eorum quę non sunt. Quod sit autem alia substātia dei, alia uoluntas, ostēditur etiam ex his responsoris uerbis: Quod enim est, idem uult, & quod uult, est. quibus dixit idem esse substātiā quod uoluntatem, & uoluntatem quod substātiā. Atqui huiusmodi conuersio fieri nō potest, quin ea quę cōuertuntur, diuersa sint uel uerbo, uel numero. Quod numero unū est, id quominus uerbo aliud sit, nihil prohibet: ut recta linea cōsistētia quidē numero una est, uerbo autē aliud est recta, aliud linea. Hoc modo nō differt dei natura uerbo, ab essentiā & uolūtate. Si aliud est esse, & aliud inesse, & est quidē dei substātia, inest autē substātię uolūtās, sequit̄ ut aliud sit dei substātia, aliud uoluntas.

Si Dei uoluntas ex substantia est: substantia uero non est ex uoluntate: aliud est substantia Dei, aliud uoluntas. Substantia Dei non potest non esse substantia: at uoluntas potest non uelle: ut uoluit Deus facere unum solem: duos noluit: quoniā quemadmodū expediebat rerum naturæ unū esse solem, ita non expediebat fieri alterum, uoluitq; Deus quod expediebat: quod non expediebat, non item. Quod si uerum est, aliud est substantia Dei, aliud uoluntas. Si quod est Deus, idem uult, sequitur ut sit ipse non uoluntas, sed res quæ uelle possit. Quī fieri igitur potest ut idem sit substantia & uolūtas, cum id quod uult, aliud sit quā uolūtas, quem admodum sensibile & sensus: Si sine principio, & æternus est Deus, nec ab sese nec ab alio productus est: qui enim plane à seipso productus est, is nulla ratione æternus est & absq; principio. Respōsor altera uoce tollit substantiæ uoluntatisq; Dei alterū: altera uero uoce id ponit. Tollens quidem substantiæ uoluntatisq; Dei alterum, dixit: Non est putandum ut in nobis aliud est esse, aliud uelle, sic etiam esse in Deo. Alterū uerò ponens, dicit: Quin idem plane est. Et rursum: Esse uero & uelle, idem est Deo. Quemadmodū enim alterum aliud alij est, alterū sic, & idem aliud alij, est prorsus idem: itidē & quod prorsus aliud est alij, est prorsus. Atqui si idem est substantia Dei & uoluntas, prorsus erit aliud & aliud. Sin minus, dum tolletur aliud & aliud, tollet necessariò identitas substantiæ Dei & uoluntatis, & eius quod est prorsus. Quemadmodū moueri, actio est motionis: ita & uelle, uolūtatē est actio. ac quomodo differt potentia ab actione, sic differt uoluntas à uolendo. Fieri autem nō potest ut uelle à uoluntate differat, à uolente non differat. Quod si nulla ratione fieri potest ut idem sit uelle, & uoluntas, & uolens: certe qui reijcit Dei uelle, et aliud & aliud, reijcit agentis & actionis differentiā, quod absurdum est. Si aliud est quod consistit, & aliud quod non consistit, et Deus est illud, uelle autē est hoc: qui Dei et uolendi aliud et aliud reijcit, is aut id quod consistit reijcit, aut quod non consistit. Si secundū rationē aduersarij, quod est Deus, id uult: & quod uult, est: si noluerit Deus corrumpi actionem suam, ea cessante non corrumpitur uolente ipso: non est ergo Deus quod uult. Si facere est Dei uoluntatis, sequitur ut quemadmodū differt facere simpliciter à faciēdo qualia, & quantā, et quando: sic differat esse à uolendo. Et tamen ne sic quidem fatendū est Deū facere quia sit, sicut ignis calefacit. Ignis enim, licet substantialiter, tamen accidētē nec accidētāliter. Igitur cum ei nihil nec substantialiter accidit, nec accidētāliter.

accidat, & sit idem esse et uelle Deo, sequitur ut simplex sit, & uniusmodi, efficiens ingenitè eorū quæ sunt. Quomodo accidat igni calor, dicat responfor quomodo id uelit intelligere? Nō em̄ quomodo ei calor accidat, nunc queritur, sed de inuoluntaria actione, secundum quam quia est agit. Velle aut substantiæ est, aut adest substantiæ. Atqui si substantia est, non est uolēs: sin̄ adest substantiæ, necessariò aliud & aliud est: non est enim idem id quod est, & id quod adest. Si multa uult Deus, & tamen multa non est, nō est idem apud Deum esse & uelle. Si Deus quæcunq; uult facere, potest facere, & tamen non quæcunq; potest facere, uult facere, nō est idem apud eum esse & uelle. Si Deus est unum & simplex, et uniusmodi, multa q; uult, & multa non uult, ut uult quidem uarietate multa esse quæ sunt, sed ea multitudine infinita esse non uult, non est idem apud eum esse & uelle. Si ingenitè ingenta non fiunt, ne Deus quidem ingenitè ingenta facit: fieri enim nō potest ut sit factum ingenitū. Quemadmodū doctrina, actio est docentis in discipulo: sic effectio actio est facientis in eo quod fit. Ergo qui tollit generationem ab eo quod fit, tollit etiā actionem ab effectioe facientis. Frustra agit Deus effectioem, si non est quod fiat. Si infectè nō facit Deus, ne ingenitè quidem facit. Facit Deus, affirmatio est effectioe: facit infectè, potentia negatio est affirmationis. Pugnancia sunt nomina ingenitum & factū. Si quod est per effectioem, ingenitum est, non est ingenitum quod non est per effectioem. Nihil interest utrum dicas, Qui fecit, fecit: quod uerò fit, nō est factum: an dicas, facit Deus infecta. Si rite dicitur, Deus ingenitè ingenta facit, rite etiā dicitur, Ingenitè ingenta fiunt: nam cum facere coniunctū est fieri, naturali necessitate: quod si secundū absurdum est, etiam primum absurdū est. Si temporariū est gigni, temporariū est & fieri: idem enim significant: fieri enim nō potest ut faciens faciat, quin gignatur id quod fit. Si ingenitè nihil gignitur, ne fit quidem quicquā ingenitè: gigni enim & fieri, uerbo non est idem, sed re idem est. Si Deus facit quia est, coactè facit quæ facit: sin̄ facit quia uult, sponte facit, sponte enim faciens, facit quantum uult, & qualia uult, & quando uult. Si Deus quia est, facit, nihil ei prodest uelle, quippe quo nequaquā possit uti. Duo quæ cōuenire nequeunt, tribuit Deo responfor: nominat eum effectore rerum, & dicit eum ingenitè facere. Si enim ipse facit ingenitè, id autem quod fit, nequaquā gignitur, ergo nec genitè, nec ingenitè, nec effectiuè, nec ineffectiuè. Ergo quemadmodū non gignitur id quod fit, ita neq; facit faciens,

Sicut,

Sicut, inquit, uidemus quòd genitiua, ut homo quiuis, qui generatus ipse, genitiua facit, & omnino genitiua genitè genita, genitiua faciunt, & ex se faciunt, eodem modo Deus quoq;, cum sit ingenus, ingenitè facit omnia, ut nò gignantur, sed simul còsistant: & potentia quidem infinitate diuersa facit.

Quis ergo est qui fecit hominè? qui homo, ut ait respòsor, genitè genitus, & ipse genitiuus genitè genitiua facit? Quòd si Deus eum fecit, certe fallum dixit respòsor, dum ait, Deus ingenus, ingenitè ingenua facit. Sin nò Deus eum fecit, certe aliena curat Deus, dum curat homines, quorū non est effector. Quòd si absurdū est negare Deū effectorē hominis, absurdū est etiā dicere, Deū ingenitè ingenua facere, fecit em̄ hominè genitè, q̄ est genitiuus. Si cuius pars genita est, eius etiā totū necessariò genitū est, & pars est mūdi homo, qui (ut ait respòsor) genitè genitus est, sequit̄ ut genitus sit mūdos. Si ingenus est Deus, & ingenua facit, quī fit ut nò cōtra cōmune ferat ingenui nomē, nullo se distinguens? Si Deus quod est, nò facit (est enim impossibile) facit aut̄ quæ nò sunt, facit genitiua ipse ingenus. Nò quærimus aut̄ primum quò faciat Deus, sed quid faciat: inuento enim quid faciat, inuentū est etiā quò faciat. Si ingenus Deus, ingenite ingenua facit, sequitur ut carens domino, etiā sine domino faciat carentia domino: quòd si absurdū est secundū, absurdum est etiā primum. Quæ sine ullo discrimine còsistunt alterū cum altero, eorū nullū potest alterius esse cōditor: alioquin essent cōditores alterū alterius. Quòd si hoc absurdū est, absurdū est etiā dicere, Deū cōditorē esse eorū quæ cū ipso sine discrimine còsistunt. Si infinita potest facere Deus, sed uolēdo, & tamē Deus diuersa esse nò potest (est enim unū & simplex & unius modi) & tamē diuersa uult, nò facit quia est, sed quia uult. Si quemadmodū cū cōpositione linearū consistūt anguli, ita & mundus cum Deo: coactè & inuolūtariè facit mundū Deus p̄ accidēs, & nò per se: coactè enim & per accidēs còsistūt anguli cū cōpositione linearū. Faciēs facit ens: ens em̄ nò eget cōditore: q̄ si uerū est, non est cōditor Deus eorū quæ cū eo còsistunt, sicut dicit respòsor, Deus domū nò fecit, sed fecit hominè, & ei dedit potentia faciēdi domū: nihil igī horū ingenitè est apud Deū, neq; effectio hominis, neq; datio potētia. Duas regulas posuit respòsor, unā de effectione ingentorū, & ingenitè facientū: alterā de effectione genitorū, & genitè facientū: & ait opera ingentorū, còsistere cū suis cōditorib. ingenitè: opera autē genitorū, esse tēporaria. Ergo si nullū ingentorum tēporariè facit, sequitur ut genita neq; facta sint ab ingentito, neq; fieri possint.

Non debemus autem Deum humano more contemplari. Non enim quemadmodum nos, qui alioquin prius aliquid habemus; postea id in aliud mutâtes, dicimur facere, sic & Deus facit: sed ineffabili & eccellente potentia, sine tempore facit & perficit omnia, simulq; quia est, etiam entia facit, nec ei opus est, sicut nobis, ut aliquid prius factum perfectũq; sit, quo deinde faciat posterius: quippe cum nihil sit in eo prius aut posterius.

Nos quidem prius mutamus in posterius, inuentione melioris: at Deus non item: quin sicuti conuenit, principio facit non mutâs in posterius priora. Si enim statuit principio mutare priora in posteriora, & non mutat, aut infirmitas putanda est potētis, aut quia inuenit melius proposito, quorum nullum adest Deo, nec infirmitas potētis, nec inuenire posterius priore melius. Si faceret Deus omnia quæ non gignantur, sed unâ consistent, superuacaneū esset ea facere, quæ sint cum ipse est. Quemadmodū enim superuacaneū esset, ente cōpositione linearum, facere angulos: ita superuacaneū esset, ente Deo cum mundo, facere mundū, si modo cum Deo consistit, ut ait respondens. Si unâ cum Deo est etiam mūdus, & mundus semper est in motu, et motus in tempore, sequitur ut sit Deus in tempore cum mundo. Si ingenitus Deus, ingenitè ingenta facit, non quæ gignantur, sed quæ cum eo consistent, sequitur ut homo etiam sit ingenitus, qui sit pars mundi, quæ sit ergo ut hunc genitum responsor appellet: Et si ingenitus Deus, ingenitè ingenta facit, sequitur ut cū sit simplex, simplicia omnia cum ipso consistentia faciat. Quòd si uerum est, non consistit cum Deo mundus, qui & toto et parte sit compositus. Si unum est Deus, & non unū est quod cum eo consistit, non consistent cum eo genita, cum sit ingenitus. Si Deus est ultra cogitabilia & sensilia, nec facit opera quæ sint ultra cogitabilia et sensilia, sequitur ut non ingenitus ingenta faciat. Si impossibile est consistere cum eo quod sit ultra se, quomodo cōstitit mundus cum Deo qui est ultra ipsum? Si impossibile est ingenta esse quæ sunt composita, quomodo cœlum et sol sunt mundus ingenitus, cum sint compositi, aliunde habentes materiam, aliunde speciem?

Videmus sanè naturam quia sit, facere, et repentinā semper mutationem efficere: quemadmodum in coagulatione lactis repentinè coagulationē cernimus accedere lacti. Itaq; multo magis putandū est, Deum repētè & sine tempore omnia facere, qui ipse sit unum, & infinitate potētis diuersa producat, quæ ipsa planè per se producantur.

Natura quidem uniuersam mutationē facit, non ad effectiōnem substantiā, sed ad effectiōnem affectiōnis: coagulatio enim in lacte, est lactis affectiō. At substantiā haudquaquam repētē facit natura. Itaq; responfor improprio exēplo usus est, uidelicet effectiōne naturæ, quo ostenderet dei effectiōnē esse sine tempore, cum sit deus multarum & diuersarū substantiarū opifex, quas etiā si repētē faciat deus, ne sic quidē facit sine tēpore. Est em̄ repentinum, tēporis indiuiduū. Eis quę per se producūtur, nō dominatur dei uolūtas. Atqui dominatur dei uolūtas ijs quæ ipsa producit. Enimvero si dominatur dei uolūtas omnibus, nihil est per se productum. Per se productū nominat responfor & deum & mundū. Atqui si per se productus est mundus consistens cum causa consistentiæ suæ, necesse est etiam deum, qui sit per se productus, consistere cum causa consistentiæ suæ. Quod si hoc absurdum est, absurdū est etiam dicere, deū & mundū esse per se productos, & alterū cum altero consistentes sine discrimine. Si per se deus est per se productus, per accidens uero mundus, nō consistens cum eo, omnino falsum est dicere, Nihil accidit deo, si quidē producto per se deo, constitit cum eo productus per se mundus. Si quæ naturali necessitate accidunt alicui, ea inuoluntariē accidunt ei, qui fieri potest ut si naturali necessitate constitit unā cum deo mundus, non inuoluntariē cum eo constitat per accidens. Si idem est apud deum esse et uelle, sequitur ut in quibus nō uult deus, in ijs etiā nō sit. Potestne ergo cum non sit ipse, mundus cum eo consistere? inuoluntariē em̄ cum eo constitit mundus. Si ingenitus ingenitē ingenita facit, ergo incōpositus incōpositē incōposita facit. Quod si secundū uerum nō est, ne primū quidē uerum est: compositus est em̄ mundus. Si deus diuinē deos non facit, quomodo ingenitus ingenitē ingenita facit; non em̄ ipse secum cōsistit, sed alius. Aliud est deus, aliud ingenitū illud quidē est, hoc uero separatur à genitis: & faciens deus, est: facit, non separatur. Quod si quo separatur, facit, sed per accidens, & non per se, quomodo nihil accidit deo per accidens facienti? Si quemadmodum constitit cum globo cauum & conuexū, ita constitit cum deo mundus, sunt alter alterius causa, uidelicet deus mūdi, & mundus dei, sicut & illa: Si non facit quis uoluntate quæ etiam nolens faceret, quomodo ergo uolūtate mundum fecit deus, quem etiam nolens facere, necessariō fecisset? Si unum est substantia deus, infinitus uero potentia, quæ uerò cum eo consistunt, ea neq; unum sunt secundū eius substantiā, neq; infinita secundū eius potentiā, ergo neq; consistunt cum eo. Deus semper perfectus est, semper potens est, &

est, & in eo quidē nihil prius aut posterius est, sed in eius operibus est utrunq;. Si cōposita sunt eius opera, omne autem cōpositum ex simplicibus cōstat, & impossibile est simul esse simplicia cum compositis, prima em̄ sunt simplicia, deinde cōposita. Quēadmodum accusari nō potest deus infirmitatis potentia, q̄ cum nō plures sed unū fecisset mundū, desijt facere: sic accusari nō potest imperfectio nis uiriū, quōd nō simulac fuit, mundū fecit, sed cum uoluit. Nihil differt inter per se productū, & per se genitū: quōd si per se productus est tum deus tū mūdus, erit uterq; per se genitus. Si quēadmodum uidemus coagulationē repentē lacti accedere, ita repente accedit mūdo esse, ergo genitus est mūdus, & mutabilis ex nō esse in substantiam. nam accedere significat gigni. Si per se productus est deus, & per se productus est mūdus, utriusq; productio principū erit existētia utriusq;: quomodo igit̄ erit sine principio & æternus deus & mūdus, cū productiones suas habeant principia existētia suæ; Per se productum, significat aliquid quod à seipso producat. Sed cum quicquid producitur, id aut aduētū producat, trāstione de loco in locū, aut substātia producat per effectiōnē ducētem ex non esse in esse, nihil autem horum insit in deo, ergo non recte eum nominauit responsoꝝ per se productum. Nam per se productum, ab eo quod ab altero productum est, eo quod omnino per se productum est, nihil differt. Si impossibile est ingenitum esse infectum, impossibile est mundum esse ingenitum, et eius conditorum deum. Quōd si mūdus à deo hoc differt, quod factus est, necesse est ut etiā hoc differat quōd sit genitus. Factus est enim mundus, deus autem infectus. Si is qui naturali necessitate consistit cum ingenito, infectus est, omnino falsum est, Fecit factū mūdum deus, infectum & ingenitū per se. Si per se productus est mundus, & non factus, necesse est ut sit etiā per se factus. Ab eo quod per se productum eīt, nihil differt id quod per se genitum & per se factum est: quod si per se productus est & deus & mundus, erunt etiam per se geniti & facti. Quod si hoc absurdum est, absurdū est etiam dicere per se productum esse deum, qui sit sine principio, & æternus: ingenitum uero & per se productum factum mundum.

Si per se productus est mūdus, non est diuinitus productus: q̄ si non est diuinitus productus, nec deus eum produxit. Ergo cum dicit responsoꝝ, producentem deum, mundum uero per se productum, falsa dicit & inconuenientia.

Itaque multo magis putandum est, inquit, deum repentē & sine tempore omnia facere, qui ipse sit unum, & infinitate potentia

potentiæ diuersa producat, quæ ipsa planè per se producantur.

Si facere idem significat quod facturū esse, quī sit ut qui aufert à deo facturum esse, ut quod notionem habeat futuri temporis, nūc ponat in eo facere, qđ eandē tēporis habet notionē: Quod si cum notione futuri tēporis habet facere etiam præteriti notionē, quomodo non insunt in dei actione temporis omnes partes?

Quæstio Christiana ad gentiles quarta.

Si impossibile est ut is qui antea non erat, & postea est, sit coæternus ei qui semper est, quomodo fieri potest ut mundus, si genitus est, sit coæternus deo?

Responsio gentilis ad Christianos.

Quod quidē impossibile sit ut temporariū (hoc enim significat id quod olim non erat, sed postea est) æternum sit & coæternum ei quod semper est, patet. Quod autē etiam ex hoc dicto demonstratur mundus ingenitus, etiam hoc cuius manifestum est. Sed si quis uelit dicere, quosdam antiquorū mundum ingenitū uocare, si leuiter hæc dicta considerent, posse meritò remphendi qui hoc dicunt. Sin ea penitus considerentur, inuenietur eos planè & apertè pronunciare mūdum ingenitū. Cum enim dicant exemplarem effectricemq; causam esse ingenitam, certe mundū, qui sit earum opificiū, apertè pronunciat ingenitū. Pronunciarūt em̄ antiqui ea quæ relatiua uocant, esse unā cum natura. Cum sit igit naturaliter & imago unā cū exēplo, & exēplū cū imagine, erit etiā opificiū cū opifice, & opifex cū opificio. Quod si ingenitus est opifex & exēplū, etiā mūdus erit ingenitus, cū sit exēpli imago, et opificis opificiū. Quod autem relatiua unā cū natura sint, apertè ab omnibus pronunciatū & cōfessum est, & hinc facile est cognitu. Dextrū em̄ & sinistrū relatiua sunt. Quemadmodū ergo non potest dextrum esse quin sit sinistrū, neq; sinistrū quin sit dextrū: ita non potest opifex esse sine opificio, nec opificiū sine opifice. Ergo si ingenitus est opifex, ingenitū est etiā opificiū. Quod si quis uelit dicere prius fuisse opificē, deinde opificiū, incidet in aliud absurdū. Inueniet em̄ dicere opificē esse potētia, nō actione: qđ nihil aliud est quàm deū dicere imperfectū, præterea nihilominus cōsistere cū opifice opificiū, cū sit id potētia quæadmodū opifex: quippe cū ubiq; relatiua pariter cōsistāt. Ergo si opifex est potētia, etiā opificiū erit potentia: sin opifex est actione & perfectus, etiam opificiū itidē erit. Itaq; cuius perspicuū est, opificium consistere unā cum opifice, quatenus opifex est.

Huius responsionis refutatio.

Quasi ostendisset responfor in alijs suis responsionibus, mundū esse

esse ingenitum, sic in hac promittit se ostēsurum mundum ingenitum. Atqui in alijs suis responsionibus, neq; ex manifestis & cognitis asseruit mundum esse ingenitum, neq; id demōstratione confirmavit, sed tantum autoritate sua, quod sibi uisum est, pronūciavit. Vbi deinde uenit ad presentem hanc responsionē, in qua conatur ostendere mūdum esse ingenitum, primū meminit antiquorū, qui dixerūt genitū mundum: quos meritō reprehēdendos dixit, dum dixerunt genitū mūdū, nisi alijs suis uocibus euertissent suas ipsorum uoces, quæ dicunt mundum esse genitū. Hoc uerò nō liberat eos iusta reprehēsiōne, sed magis inurit eis magnā iustamq; reprehensionem, qui in mundi generatione posuerint affirmationem & negationē, & propria oratione idem secū ipse pugnauerit. Et hæc quidem dicta sint ad demōstrandum nō ritē usum esse responsorē pugnantibus inter se uocibus, ad demonstrandū mūdū esse ingenitū. Nos uerò perpēdamus antiquorū illorū uoces, in quibus demonstratiuē pronūciāt mundum ingenitum, ut ait responsor.

Quod autem etiam ex hoc dicto, inquit, demōstretur mundus ingenitus, etiam hoc cuius manifestum est. Sed si quis uelit dicere quōsdam antiquorum, mundum ingenitum uocare: si leuiter hæc dicta cōsiderentur, possint meritō reprehendi qui hoc dicunt. Si ea penitus considerentur, inuenietur eos planē & apertē pronūciare mundum ingenitum. Cum enim dicant, exemplarem effectricemq; causam esse ingenitam, certē mundum, qui sit earum opificium, apertē pronūciant ingenitum.

Si posuerunt antiqui genitum esse mundum, idq; leuiter consideratum manet immutabile: acriter autem consideratum, uertitur in cōtrarium: cur non usus responsor exemplari & effectrice causa ab antiquis posita, simili attentionū (scilicet leuis & acris) permutatione (siquidem hæc, rem in cōtrarium mutant) genitū mundum ab antiquis positum mutauit in ingenitū, ut eos qui hoc dixerunt, iusta reprehēsiōne liberaret? Quòd si hoc facere absurdū est, oportet secundum rerum naturam perpendere antiquorum dicta, non diuersis attentionibus mutantibus in cōtraria ea quæ posita sunt. Si aliud est exemplum, & aliud id quod est secundum exemplum (simplex est enim exēplum, cōpositum autē id quod est secundum exēplum) quod autem sic est aliud & aliud, necessariō est aliàs & aliàs: quod est autē aliàs & aliàs, est prius & posterius: non potest simul esse natura. Non est ergo simul natura exēplum, & id quod est secundum exemplum. Responsor modò dicit, mundum esse cōmune opificium exemplaris causæ & effectricis, dum ait: Certē mundum

mundum, qui sit earum opificium: modo effectricis opificiū, exemplaris uero imaginem. Atque ex hoc manifestū est quod neque opifici relatiuus est mūdus quatenus imago, neque exemplo quatenus opificium. Quod si est, nō uerum est mūdum esse harum opificium. Si exemplo fabricat opifex mūdū, uolens fabricat. Quod si quia est, eum fabricat, superfluum est exemplum, cum esse Deum satis sit ad effecttionem rei faciendæ: excluditurque uoluntas. Non enim fiunt uoluntaria ea, quæ etiā nolente eo qui facit, fierent. Tale enim opus est eorum quæ agūt quia sunt. Deus quidem est ingenitus ipse, exemplum autem genuit ex mēte sua, mundum uero fabricauit ex materia secundū exemplum. Enim uero si, ut uult responsor, quoniā opificium ingeniti opificis est mūdus, propterea ipse quoque ingenitus est, erit etiā exemplum ingenitū, quandoquidem generatio est ingeniti. Quod si absurdum est dicere ingenitam generationem, absurdum est etiā dicere ingenitū genitū. Si quia est opifex ingenitus, etiā opificiū est ingenitū, eodem modo necesse est infabricatū esse opificium: est enim infabricatus opifex. Quod si hoc absurdum est, absurdum est etiā dicere mundum ingenitum. Fabricatum à genito tantum uerbo differt: re non differt: itaque quod de uno dicitur, idem & de altero, quia æquipollēt. Si quid enim genitum est, idem necessariō est etiā fabricatum: & contrā. Sed cum impossibile sit mundum esse ingenitū & genitū (necesse est enim omnino aut affirmationē aut negationē esse ueram) ergo impossibile est mūdū esse fabricatū & ingenitum. Bis esse idem in alio necessariō fit aliās & aliās: ut exemplū est in Deo & in materia: & in Deo quidem est infectū: in materia uero factū: & in Deo non mundus, sed mundi exemplū: in materia uero mundus. Atqui si est aliās atque aliās, et aliter atque aliter, necesse est ut sit prius & posterius. Quod si prius est & posterius, ergo nō coæternum. Antiqui pronunciarunt ea quæ relatiua uocantur, esse simul cum natura. Ergo cum imago referatur ad exemplum, & exemplū ad imaginē, & opificium ad opificē, & opifex ad opificium, erunt hæc simul cum natura. Ergo si ingenitus est opifex & exemplū, ingenitus erit et mundus, cum sit exempli imago, & opificis opificiū. Qui antiqui demonstrarunt relatiua esse simul cum natura, idem tradiderunt sermonē imaginis. Imago, inquit, est cuius generatio sit imitatione. Atqui si, ut uult responsor, ingenitus est mūdus, ergo perdidit mundus nomen imaginis, et rē ipsam. Si enim ingenitus est mundus, non potest retinere uerbum imaginis. Qui dicit opificiū esse ingenitū quia opifex est ingenitus, debet etiā

infabricatū dicere opificiū, quoniā opifex est infabricatus. Quicquid est enim ingenitum, id necessariò est etiam infabricatum: & contrā. Quòd si hoc absurdum est, etiam absurdū est dicere opificium esse ingenitum. Si simul cum natura sunt relatiua, & propterea necesse est opificium, simul cum opifice esse ingenitum, sicuti responsori uidetur, necesse est eodem modo dicere ingenitū esse simul cum genito ingenitum. Sunt enim & hæc relatiua. Refertur enim ingenitum ad genitum, & genitum ad ingenitū. Sin non ente genito, ingenitum potentia est ingenitū: ente autem genito, ingenitū actione est ingenitū: necesse est idem cogitare etiam de opifice & opificio, & exemplo & imagine, neq̄ quicquā absurdū efficitur. Quam enim naturā habet relatiuū in opifice & opificio, eandem habet etiam in genito & ingenito: & prius & posterius est de relatiuis: ad prius enim refertur posterius, & contrā: simulq̄ natura sunt potentia, aut natura actione. Atqui si ex responsoris sententia opificiū ingenitū est simul cum ingenito opifice, quandoquidē relatiuū est, & simul natura: erit eodē modo genitū simul ingenitū cum ingenito Deo: prior enim Deus est: posterius autē genitum. estq̄ tanquā relatiuū simul cum natura prius & posterius. Quòd si sine eo quod modo potentia modo actione est, impossibile est prius & posterius esse simul cum natura, ergo neq̄ opificium æternum est simul cum opifice, neq̄ imago cum exemplo.

Quod autem relatiua unā cum natura sint, apertè ab omnibus pronunciatum & confessum est, et hinc facile est cognitu. Dextrū eī & sinistrū relatiua sunt. Quemadmodū ergo nō potest dextrū esse quin sit sinistrū, neq̄ sinistrū quin sit dextrū: ita nō potest opifex esse sine opificio, nec opificium sine opifice. Ergo si ingenitum est opifex, ingenitum est etiam opificium.

Si quemadmodum secundum eandē substantiā sunt dexterum & sinistrum in tota parte alterum ad alterum, sic essent etiā opifex & opificium secundum eandem substantiā in tota parte alterū ad alterum, haberet locum exemplum quo usus respōsor, conatus est ostendere simul ingenitum esse cum opifice opificium. Sin autē dextrum & sinistrum secundum eādem essentiā sunt in tota parte alterum ad alterum, opifex autem & opificium non item, manifestū est quòd improprio exemplo usus est respōsor ad rei naturā, nullam habēte conuenientiā ad id quod ostēdit. Relatiuorū alia dicuntur, quod dicuntur alterum alterius, ut pater, filij dicitur pater, & filius, patris dicitur filius. Alia nō dicuntur alterum alterius, ut rectum & rotundum, quorū cōmune est quod alterum aliquando po-

do potestate dicitur quod dicitur aliquando actione: utrumque autem semper aut potestate est, aut actione, ut cauum & conuexum: alia uero semper actione, ut supra & infra. Cum haec sint relatiuorum distinctiones, quando uolumus quaestioni alicuius dubium soluere per relatiuum, primum considerandum est cuius sit diuisionis relatiuorum id quod quaeritur: deinde ita secundum naturam distinctionis paranda est conuenientia quam habet exemplum ad id quod ostenditur. Alioquin inuenietur exemplum improprium, & dubium insolubile. Si opifex et opificium sunt ex ijs relatiuis quae quod dicuntur, dicuntur alterum alterius (est enim opificis opificium, et opifex opificij) respondens uero uolens exemplo demonstrare genitum esse ingenitum simul cum ingenito, sumpsit ad huius demonstrationem relatiuum ex ijs quae non dicuntur alterum alterius (dexterum enim non dicitur sinistri, neque sinistrum dexteri) perspicuum est eum usum esse improprio exemplo, quod non habet secundum naturam, eius quod demonstratur conuenientiam, quae soluat dubium eius quod quaeritur, ad id quod ostenditur.

Quod si quis uelit dicere prius fuisse opificem, deinde opificium, incidet in aliud absurdum. Inuenietur enim dicere opificem esse potentiam non actione: quod nihil aliud est quam Deum dicere imperfectum, praeterea nihilominus consistere cum opifice opificium, cum sit id potentia, quemadmodum opifex, quippe cum ubique relatiua pariter consistant. Ergo si opifex est potentia, etiam opificium erit potentia: si opifex est actione et perfectus, etiam opificium itidem erit. Itaque cuius perspicuum est, opificium consistere unam cum opifice, quatenus opifex est.

Si quemadmodum ad opificium conditionem habet Deus relatiuum ut opifex, sic habet eandem conditionem secundum relatiuum ad genitum ut ingenitus, et ad posteriora ut primus, nihil imperfectum habet neque quia ingenitus est, neque quia primus. Nulla enim ratione dici potest Deum ingenitum imperfectum, aut primum imperfectum, quia fuerit aliquando potentia utrumque, uidelicet ingenitus et primus. Ita non potest imperfectus esse Deus, qui prius potentia fuerit opifex. Quod si quia fuit primum potentia opifex, postea uero actione, accusatur imperfectionis, necesse est etiam quia fuerit primum potentia ingenitus et primus, postea uero actu, accusari eum imperfectionis. Quod si absurdum est accusare Deum imperfectionis quia ingenitus sit et primus, absurdum est etiam accusare eum imperfectionis operatricis eius potentiae, quia non simul ac fuit fecit mundum, sed postea cum uoluit. Fieri enim non potest ut qui aliqua relatiui conditione sit imperfectus, non reliquis omnibus relatiui

conditionibus similiter sit imperfectus.

Quæstio Christiana ad gentiles.

Singenitū est cœlū, et ingenitus Deus, & habitat in cœlo Deus; Sabelle non potest quin Deo, qui habitat in nō suis, fiat iniuria. Quum enim non fecit cœlum, id non est eius.

Responsio gentilis ad Christianos.

Quòd ingenitus sit Deus, ingenitūq; cœlū, perspiciū est tum ex ijs quæ nunc leuiter perstricta sunt, tum ex ijs quæ à multis egregiè demonstrata sunt. Quòd autē Deū dicere habitare in cœlo, nō sit rationi consentaneū, sic consideremus. Primū enim id quod habitat, factum est ad salutē habitantis. Itaq; si mundus est habitaculum, Deus autem habitans, manifestum est quod mūdus seruat Deum, Deus autē seruatur à mundo: id quòd est omnium absurdissimum, cum id quod præstantius est, continens sit minus præstantis: minus præstans autem contineatur à præstantiore. Atqui id quod habitat, ab habitatione continetur: ergo Deū continebit habitatio, eritq; hac ratione Deus deteriore cōditione, opificium uerò meliore. Iam uero id quod cōtinetur, est in loco: quicquid autē est in loco, corpus est: ergo Deus, si in loco est, corpus erit. Quo modo ergo, si corpus est minus (quippe quod contineatur) continebit corpus maius: Hoc dicere, absurdū est. Quod autē id quod habitat in loco, cōtinetur à domo, cuius uel cæcutienti manifestū est. Quid ergo, inquires? quomodo dicit Homerus opificis domiciliū esse cœlū? An quia Dei splendorē mundo undiq; circumiectum intuitus, mundū uocauit Dei domiciliū, tanquā receptaculū omnis effectiōnis & actionis Dei? Vocāt autē peculiariter cœlum, quoniā totius mundi summū esse cœlum, omnibus in cōfesso est.

Huius responsionis refutatio.

Dicere opificē siue fabricatorē Deum, infabricatū autē mundū (nam infabricatum idem est quod ingenitū) planè trāssumptio est idem significantium, & dicere, Infabricatus Deus infabricata facit: quod idem est ac si dicas, ingenitū Deum ingenitè ingenita facere. Item dicere æternū Deum, coæternū autem mūdum, & Deum ex non esse in esse, & mundum per se produci. nam per se productū, dum de Deo & de mundo dicitur, eandem habet significationem. Item dicere per se productum, & ab altero custodiri mundū: nam à Deo custoditū, significat ab altero custoditū: alius enim est mundus, & alius Deus mundum custodiēs, qui si per se productus est, oportet necessariò ut per se etiam custodiatur. Item dicere Deū & mūdum ingenitos & per se genitos: nam per se productū, de Deo & de

& de mundo dictum, significat per se genitum. Item dicere, Cū fecit hæc Deus: & rursus: Non fecit, temporis enim est ut fecit, sic et, Cum fecit. Item dicere æternè cōsistere inseparatè cum Deo mundum, qui ex materia & specie generatè per compositionem accipit esse ab opifice. Item dicere incorruptibilem & corruptibilem esse mundum, incorruptibilem quidem, quia sit: corruptibilem uerò, quia custodiatur. Item dicere, gignitur mundus: genitum autè est temporarium: & temporarium est corruptibile. Item dicere, omnis effectiois & actionis Dei receptaculū esse mundū, & Deū non esse opificem corruptibilium. Deus enim, ut uult responsor, nihil temporarium facit: genita autè & temporaria omnia, secundum eum, sunt semper corruptibilia. Hæc & talia non sunt hominum qui ex scientia naturæ rerum, egregia demōstratione de Deo deq̃ mundo demonstrent: sed hominū temerariorū, qui quod sibi de Deo deq̃ mundo uideatur, impudenter pronuncient. Vituperare autem, si quis dicat Deum in cælo habitare, tanquā id Deū haud deceat, hominum est sentientium quæ absurdè dicantur, maliciosum enim dictum, etiam maliciosum sensum habet. Nos uerò non posuimus in interrogatione modum quo Deus in cælo habitet, quem responsor criminatus est, sed sic: Si ingenitum est cælū, non est Dei. & qui dicunt habitare Deum in eo, iniuriam faciunt Deo habitanti in cælo non suo. Domum autem soliumq̃ Dei dicimus cælum, non quasi Deus eo ad habitationem aut ad sedem egeat, cū sit Deus omnino incircūscriptus: sed ne magnitudinē cōsistentiæ mundi, & incorruptibilitatē eius substantiæ intuētes, opinemur eum esse Deū, aut pari cū Deo honore præditū, propterea nominamus eum domū soliumq̃ Dei, eum his nominibus separantes ab omni cum Deo cōmunitate substantiæ, & appellatiōnū substantiæ. Sicut enim domus & solium posterius est eo qui id fecit, ita et cælū posterius est Deo, sicut genitus ingenito. Et si in præsentia incorruptibile cælū dicimus, nō eodē modo id dicimus incorruptibile quo Deū. Deus enim increatè, ex sua ipsius substantia, & æternè incorruptibilitatē habet: at mūdus creatè, ex Dei uolūta te, habet incorruptibilitatē ad usum præsentis status, & peractō uisu, ad aliū modū incorruptibilitatis trāsfert. Qui em̄ dedit ei deus corporis magnitudinē, dedit quantā uoluit, nō quantā potuit. Poterat em̄ facere eū magnitudine longè maiorē q̃ est, nūc sic ipse eū statuit, ut finib. suis circūscriptus, maneat in incorruptibilitate, usq̃ ad tēpus quo res in melius transferent, secundū fidē orthodoxorū, qui ex doctrina cogniti ipsius Dei, Deū cognouerūt: & secundū testimoniū responsoris.

DIVI IVSTINI PHI-
LOSOPHI ET MARTYRIS RESPON-
SIONES AD ORTHODOXOS, DE QUI-
busdam necessarijs quæstionibus.

Quæstio prima.



I ueterem cultum sustulit Deus quòd eo nò delectaretur, & Christianorū cultum tanquā sibi placentem, pro eo inuexit: orthodoxi autem soli Deo placentes, nò pares numero, sed inferiores sunt quā Græci & Iudæi, & omnes hæretici: negari nò potest quin maneat inextirpatus error, penuria uirium eius qui cultum hunc pro illo elegit: est quæ inutilis illius cultus abrogatio, cum multus adhuc error mundum teneat.

Responsio, siue solutio quæstionis.

Cum Deus cultum antiquū abrogare, & nouum introducere per uetus testamentū statuisset, nisi introduxisset * hoc in-
troducendo pro illo, quod primum prædicatum est uerbis diuinarū
potestatum testimonio confirmatis, sustulit & Iudaismum & gen-
tilismum: deinde factis quæ similiter diuinis potestatibus fiunt, om-
nem qui uel in hominibus, uel in dæmonibus est, errorem extir-
pat. ac cum hoc omnium quæ in mundo sunt malarum hæreseum
cultum sustulit, * fidei quæ & effectio. Si non omnes
qui cultum acceperunt, eandem de iisdem rebus opinionem tuen-
tur atque habent, sed alij recte, alij non recte sentiunt, hoc non est in-
diciū penuriæ potestatis Dei, quòd illi ob suam negligentiam,
aut aliam infirmitatem, non recte percipiant quæ credunt: sed illo-
rū negligentia. Dictū est autē in cultu introducendo, de ortho-
dorum paucitate alicubi: Multi sunt uocati, pauci uero electi. Et a-
libi: Angusta & arcta uia est quæ ducit ad uitam, & pauci sunt qui
inueniunt eam. Similiter & de hæresibus, quas Dominus in suis pa-
rabolis zizania uocat, & malos pisces. Ergo si nihil ementitum est
in Christianorum cultu, quemadmodum rerum testatur ueritas,
ex præteritis fidem futurorum, nulla superest occasio crimi-
nandi Deum de uirium penuria, aut dicendi inutilem esse cultum
hunc qui pro altero inuectus est: quo nunc & Iudaismus ac genti-
lismus abrogatur, & postea etiam hæreses.

Quæstio

Quæstio 2.

Si res futuras, ut bellorū trophæa, hostiū incursiones, & urbiū hostiles euerfiones, prædixerunt prophætæ & apostoli, & easdem prædixerūt etiā apud gentiles oracula, undenam cognoscitur hos esse meliores externis cū ab utraq; parte prædictiones extiterint?

Responsio.

Eiusdē Dei sunt hæc omnia, & uerborum prædictio, & rerū euentus, qui per prophetas & apostolos præsignificauit quæ facturus erat. Idem similiter per eos qui extra religionē erant, prædixit quæ facturus erat. Quemadmodū enim per uatem Balaamū Israëlitis benedixit, & eorum hostibus maledixit, idq; utrūq; fecit præsignificatione rerū futurarū: sic & per prophetiā Nabuchodonosori regi Babylonis præsignificauit excidiū Ierosolymæ, quemadmodū dicit propheta Iezechiel: Stabit rex Babylonis in biuio, in capite duarum uiarum, diuinationē quærens, cōmiscens sagittas, interrogabit idola: exta cōsulet. ad dexterā eius facta est diuinitio super Ierusalem &c. Sic & per Græcorū uates, quæcunq; rei eue tu cōprobata sunt, ipse præsignificauit. Sed multa est prophetarū & uatū differentia. Primum quod Dei cuius nomine prophetarūt prophætæ & apostoli cognitionē habuerunt & fidē & cultum: ac omnia quæ de Græcorum deorum uatumq; sublatione & Christianarum rerum constitutione prædixerunt prophætæ, re ipsa acciderunt. Deinde nihil eorum quæ prædixerunt uates aut contra ue ritatis Deum et eius cultores, aut pro cōstitutione Græcarū rerum re ipsa accidit. Horum testis est Assyriorum clades qui domestico uaticinio impulsi dicebant se nō sine Domino ascēdisse in hanc terrā ut eam depopularētur. Dominus mihi dixit, Ascēde et eam depopulare. Atqui cum ascēdisset, cladem accepit ipse contra suum uaticinium.

Quæstio 3.

Si in resurrectione omnes qui peccauerint, punientur, sed grauius qui Dei uoluntatē sciuerint et non fecerint, quod nā lucrum est Christiani et Græci baptizati et non baptizati, orthodoxi et nō orthodoxi?

Responsio.

Quemadmodum authore apostolo, fidelis, qui rei suæ nō prospicit, Deum negauit, estq; deterior infidelibus, qui nō cum cognitione et fide et baptisate, etiam mores asciscat qui Christi doctrinam exprimant, sed habens pietatis speciem, eius autem uirtute abnegata, deterior sit infidelibus: ita tanto deterius est cum cognitione peccare, quā sine cognitione, quanto inexcusabile peccatum deterius est eo quod habet excusationem.

Quaestio 4.

Si totis uiribus studuerunt haeretici cognoscere & seruare dogmatum ueritatem, nec potuerunt, nonne iniustum est eos tanquam a ueritate aberrantes, subiicere poenis?

Responsio.

A Deo non quaesierunt haeretici totis uiribus ueritatem, ut cum ea ipsis ostenderet ab eis quae inuenirent, neque potuerint neque sustinuerint eam admittere. Ac si uera est haec defensio, debebant ipsi alij alijs ignoscere errantibus, tanquam qui uirium infirmitate, non animi malicia, haereses introduxerint & ipsas sibi, & ueritati repugnantes. Nunc cum damnent alij alios ob opinionum dissensiones, perspicuum est omnes eorum haereses occasionem habuisse ex ambitione & mutua inuidia haeresiarcharum: propter quam causam lupi graues ab apostolo nominati sunt authores haeresium. Quod autem fieri non possit ut qui ueritatem toto corde totisque uiribus quaerat, eam non inueniat, testatur Dominus, dicens: Omnis qui petit, accipit: & qui quaeret, inueniet: & pulsanti aperietur.

Quaestio 5.

Si in haeticorum ecclesiarum miracula fiunt, ut morborum sanationes, & impurorum spirituum exactiones, & frugum prouetus, & olei scaturigines, nonne necesse est illos hisce rebus confirmari in errore?

Responsio.

Quemadmodum quod sol oritur in malos & bonos, pluitque in iustos et iniustos, id non est eiusmodi ut malos & iniustos confirmet in malicia & iniustitia, sed praeparat ad iustas poenas: ita non confirmat haeticos in errore quod quaedam miracula fiunt in eis. Si enim miraculorum effectio, pietatis esset signum & demonstratio, nunquam Dominus reprobos & sua familiaritate indignos pronuntiaret eos qui dicunt, Domine nonne tuo nomine prophetauimus, & tuo nomine daemonia eiecimus, & tuo nomine miracula multa fecimus? Quibus ille dicit: Nuncque noui uos: discedite a me, malefici. Nonne uos docui cibum & potum dandum esse esurienti & sitienti? Multo magis ipse eorum similia quae nos docuit, facit, congerens ignem in capita eorum qui fidei datorem non ut dignus est cognouerint.

Quaestio 6.

Si in istis qui dolent, & in istis qui delectantur, affectus exeritur, dolent autem improbi, & delectabuntur iusti in iudicio, nonne falsum dicit, qui dicit hominibus post resurrectionem fore indolentiam?

Responsio.

Indolentes dicimus resurrecturos, quoniam ab eo quod erimus secundum

secundū naturā nō cōuertemur, neq; in opposita secundū ens & nō ens; neq; in cōtraria secundū magis & minus: ut ex gaudio nō uertemur in mœrorem, neq; eodem bono gaudebimus modo magis, modo minus: etiam si de maiore bono magis gaudebimus, de minore autē minus: sed sic quoq; pro bonorū proportione manebit immutabilis quantitas gaudiij. Atq; hæc de ijs qui resurgent ad uitam. De ijs autem qui resurgēt ad damnationem, eadem est ratio. Eadem enim ratione resurgēt alij ad uitam, alij ad damnationem.

Quæstio 7.

Si mutationis indicium est bona & mala usurpare cogitatione, quomodo autē immutabiles qui cruciabuntur, & iustorum requiē cogitabūt: aut rursus qui erunt in quiete, & improborū cruciatū recolent: Tunc enim utrūq; in altero cōciliat sensum maiorē, dum contrariorū fit collatio.

Responsio.

In futuro seculo quantitas sensus tum honoris tum supplicij, posita est in mensura honoris & supplicij: nec potest ex collatione oppositorū, sensus admittere incrementum aut diminutionem. Sunt enim illic omnia immutabilia, sicut qualitate, sic & quantitate.

Quæstio 8.

Si boni maliq; cognitionem à Deo & ab esse accepimus, nonne ipse causa est utriusq;, qui amborum cognitionem & uires indiderit naturæ ad illorum completionem?

Responsio.

Non solū ut simus, & ut bonū & malū sciamus ac faciamus, potestatem nobis dedit Deus: sed etiā liberum arbitriū nobis largitus est, nosq; dominos facit præferendi ac eligendi quod nobis uideatur, ex ijs que cognoscuntur: atq; ut boni aut mali simus, id non posuit in cognitione eorū que cognoscuntur, sed in electione eorum quæ eliguntur. Itaq; non est cognitio causa ut simus boni aut mali, sed propositū. Quemadmodū enim qui uidet meretricē, & scit esse meretricem, non est scortator propter hanc cognitionem, ac nequidem si cognitio excitauerit cupidinis affectum, ne sic quidem scortator est: sed si cōsenserit cum affectione propositum, tunc est scortator aut actione aut affectione: sic & bonorum & malorum hominum cognitio non est in causa ut boni sint aut mali, sed propositum, quod elegit id quod ei uisum est, id præferens alteri.

Quæstio 9.

Si quæ modo dicta sunt, dedit Deus, coronatq; aut punit unūquēq; hominum secundum eius actionem, quomodo iustè facit ambo, cum utrumq; ab eo habeat homo?

Respon-

Responsio.

Nos, et id quod in nostra potestate est, differunt inter se. Nos quidē sumus mares & foeminae: in nostra autē potestate est esse castos aut scortatores. Coronamur ergo aut punimur ppter id qd est penes nos. Nam ad quæ propositū nostrū agit nos, propter ea aut coronamur aut plectimur. Nam ad agendū dedit nobis Deus vires: sed eas subiecit potestati propositi: et ad propositum habet Deus æquitatē gubernatricē uiriū propositi quæ sunt in nobis, nō ad naturā. Accepimus aut à deo faciendi et nō faciendi potestātē: faciendī inquā iusta, nō faciendī autem iniusta. Quando igitur iusta facimus, & iniusta non facimus, iustē coronamur. Sed si facere & non facere in contrarium mutamus, meritō plectimur.

Quæstio 10.

Si corporea quæ de Græcorum dijs à poetis, & quæ de Deo à prophetis dicta sunt per allegoriam, alium habent sensum, nōne patet utraq; esse fabulam?

Responsio.

Quæ allegoricē à prophetis de Deo dicta sunt, secundum relationem dicta sunt ex ijs quæ natura sunt, ad ea quæ non natura sunt, ut illud: Olfecit Dominus odorem suauitatis in hominibus: olfecit est secundum naturā: at in Deo abusiue dicitur, nō natura. At quæ à poetis fabulosē de dijs dicuntur, nō dicuntur per relationē à naturalibus ad nō naturalia. Nō enim deuorat homo hominē natura, ut per relationē intelligamus Saturnum deuorasse Iouem. Est uero de deuorato Ioue fabula eiusmodi, ut præter mendacium habeat nihil.

Quæstio 11.

Si continens maius est contento substantia, dignitate uerō minus, ut cælum & terra, angelorum domus habitātium in corpore animæ, continet autem uniuersum Deus, nōne est minor uniuerso ratione indignitatis?

Responsio.

Hæc oratio nō est uniuersalis, ideo neq; eius sana est interrogatio (quorum enim contrarium per eadem potest inueniri, ea sunt eiusmodi ut nō habeant necessitatem) neq; probationem habet. Sunt enim quædā cōtenta minora continentibus & substātia et dignitate, ut grana baccarum. Præterea quæ dicta sunt cōtinentia, continent quia sunt: solus Deus cōtinet uoluntate uniuersum. Et alia cōtinentia egent ipsa quoq; continente: at Deus non eget continente ipsum. Et alijs quidem contentis esse & manere non est ex cōtinentib. ipsa: at uniuerso utrūq; inest ex Deo. Et quæ dicta sunt cōtinentia, ea sunt ppter cōtenta: at Deus non est propter uniuersum: itaq; maior est Deus uniuerso, ut substantia, sic & dignitate.

Quæstio

Quæstio 12.

Si continens est propter custodiam & conseruationem contenti, nõnne Deus continens uniuersum, id cõtinet propter custodiã & durationem mali; etenim in parte totius malum spectatur.

Responsio.

Vniuersum est opus Dei: & seruans Deus uniuersum, seruat opus suum: & quemadmodũ nõ fecit Deus natura malum, sic neq; seruat natura malum.

Quæstio 13.

Si fit resurrectio, ut unicuiq; reddat prout uixerit, qui fit ut infantes & fœtus in utero defuncti resurgant, cum nec operum mercedem reportent, nec requietis aut angustia sensum propter ætatis immaturitatem capere possint?

Responsio.

Credenti uerũ esse illud, Seritur in infirmitate, resurgitur in potestate, huic & possibile & decens est credere etiam infantium resurrectionem. Qui enim eis immortalitatẽ præstat, potest eis etiã uires sentiendi præsentia bona largiri: quorũ si non fit resurrectio, inuenietur Deus frustra finxisse eos. Quod si Deus nihil facit frustra, necesse est etiã infantes adduci in esse per resurrectionem. An uerò nõ est ineptum Herodẽ damnare ad pœnã ob interfectos infantes, si infantes nõ sunt qui uindictent? Testatur hoc Ioãnis Baptistæ in uentre matris gestientis exultatio, & hymnus infantium & lactantium.

Quæstio 14.

Si falsum uanumq; est baptisma quod ab hæreticis cõfertur, cur orthodoxi hæreticum, qui ad rectã opinionẽ confugit, non baptizant, sed relinquunt in adulterino baptisate tanquã uerò? Quod si illorum suffragia fuerit adeptus, etiam hæc rata habet. Potest ne ergo uel is qui admissus est, uel qui admiserunt, carere culpa?

Responsio.

Hæretici ad rectam opinionem uenientis delictum corrigitur, prauæ quidem opinionis mutatione sententiæ, baptismatis autẽ, unctione sancti unguenti: suffragiorum autẽ, impositione manũ: neq; quicquam manet eorum quæ antè fuerunt, quin soluatur.

Quæstio 15.

Si non peccauit Iobus qui diem execratus est, ergo exauditus est ut iustus. Et si exauditus est, deus euertit terminum suum, estq; necesse quærere in diuinis scriptis illius diei interitum. Sin nõ exauditus est, nõnne dicendum est eum, quia peccator esset, nõ fuisse exauditũ? Nam uoluntatẽ timentiu ipsum faciet Deus. De peccatorib. uero dictũ est: Etiã si multas preces feceritis, nõ exaudiã uos.

Respon-

Responsio.

Scopus Iobi in illa execratione is erat, quasi diceret: *Vtinam* esset dies illa in qua ego natus sum, hac execratione execrabilis. Cur: ut ego, inquit, non essem natus, fieri enim non potest ut quis nascatur in tali die, quæ sic execrata sit. Non est ergo execratio illa sic ædita, quasi quæ euentum expectaret. Si enim ita esset, eadem uox pronunciata fuisset eo ex calamitate liberato, & meliorem conditionem adepto. Ergo propter immodicum angorem, ex corde suo uerba illa protulit, quo deinde angore liberatus, non iam eandem de illa die sententiam habuit.

Quæstio 16.

Si secundum naturam nostram, si quid genitum est id eiusdem substantiæ est, cuius est id quod ipsum genuit, nonne secundum eandem si quid genitum est, consistit post genitorem? Quod si secundum non est, ne primum quidem est. Similiter & de diuina generatione nobis sentiendum est.

Responsio.

Nos essentiam habemus tanquam prægressam generationi factæ post essentiam: at Deus simulac fuit, genuit. Ideo non est apud Deum sequens essentia prolis: quando quidem neque antegressa essentia generationis.

Quæstio 17.

Si diuinarum consistentiarum unitas est indiuidua, quomodo possunt tres consistentiæ & tres personæ nominari, ac non potius una consistentia trinominis aut tripersonalis?

Responsio.

Diuinarum consistentiarum unum, substantiæ est indiuiduum: sed tres est diuiduum. Itaque tres consistentiæ proprijs nominibus sunt tres: ac quam consistentiam uocamus patrem, non iam eandem uocamus filium, sed aliam. Trinitatem enim nominum dicimus esse trinitatis consistentiarum, non unitatis earum. Itaque unus est Deus uno & indiuiduo substantiæ: sed tres personæ, diuisione consistentiarum.

Quæstio 18.

Si Deus substantiam, pater personam significat, quomodo idem est dicere filium Dei, & dicere filium patris?

Responsio.

Licet disiunctè dicamus filium modo patris, modo Dei filium: at disiunctè eum nunquam cogitamus. Est ergo filius patris, filius eius qui substantia Deus est. Est autem idem dicere filium patris, & dicere filium Dei: siquidē si quid est personæ, idem est etiā substantiæ personæ.

Quæ

Quæstio 19.

Si palpitationum obseruatio est inter ea quæ à pijs interdicta sunt, quæ fit ut pijs summis uiribus eam repellere uolentes, non possint, ea uel hilaritatē uel merorem indicante? Quod si hoc uitiosum est, quæ fit ut contra uoluntatē nostram accidat? sin bonum, quod non puto, qua de causa interdictum est?

Responsio.

Futurorum prædictio, est animæ, quæ à diuino spiritu illuminatur ad cognitionem rerum hæctenus incertarum, non ab inuoluntario motu corporis. At palpitatio est affectio corporis ex discursu naturalis spiritus, qui inest in corpore omnium animalium. Propterea talem corporis motionem indignam iudicarunt sancti ex qua de futuris iudicaretur. Ac quemadmodū narium sternutationes, & tinnitus aurium, præter uoluntatem nostram fiunt, sic & palpitatio. Præterea his qui futuri status spem sumpserunt, & unum habent scopum in illam semper preparatē intueri, superuacaneum est hilaritatem aut merorem hic ex palpitationibus prænoscere.

Et si eadē palpitatio quæ diuitias prænunciat, accidit & mundano homini, & solitario, nonne falsum est palpitationis diuitiarū præsagium, cum solitarij propositum non solum absentium acquisitionem non eligat, sed nec præsentium possessionem?

Quæstio 20.

Si ad mortem & corruptionem pisces capiunt ex aquis pisces, quæ fit ut in uitā æternā adducturus homines Dominus Christus per apostolos, promiserit se facturū eos pisces hominum?

Responsio.

Quoniam oportebat eos homines, qui ab apostolis euericulo regni caperentur, mori ab antea cta in peccatis uita. propterea capturæ piscium assemilauit Dominus capturam hominum. Addidit autem, ad uitam, ut ita quod deerat exemplo, suppleret.

Quæstio 21.

Si casta mente impulsu monachi, coniugales uoluptates auersati sunt, cur in nocturnis imaginationibus, quæ nolunt, eis accidunt, adeo ut non solum cum quibusuis alijs foeminis, sed interdum etiam cum matribus sororibusque suis se rem habere in imaginatione opinentur? Quibusnam igitur remedijs utendum est ad declinandum hoc bellum? et an uictus debeat à mysterijs abstinere? & an ad eunda sint adhibita lotiones aut alia quapiam huiusmodi re, ne Iudaicè fiat expiatio, doceto, quando magna est de hoc etiam apud eos quæstio.

Responsio.

Quoniam qui Deo sunt dediti, uigilantem habent aduersarium,

A qui

qui quibuscūq; potest modis crimen p̄is molit̄, propterea eis quæ nolint accidūt in somnis. Et quāquā scit aduersarius nos ob ea quæ penes nos nō sunt, neq; laudari, si honesta, neq; uituperari, si turpia sunt (laudes em̄ & uituperationes eorū sunt, quæ à nobis cū rationis cōsensu fiunt) nec somnia penes nos esse, tamē per somnia mouet in nobis amborū actiones, uidelicet honestorū et turpiū, ea spe si fortē possit nos aut honestarū rerū actione incitare ad inanem iactantiam eorū quæ non fecimus, aut turpiū actione deprehendere nos flagitiosa actione gaudentes. Enimvero huiusmodi somnia uidere, non est penes nos: sed huiusmodi non uoluntaria actione aut delectari aut dolere, est penes nos. Igitur si nos inuenerit inuoluntaria actione lætantes, gloriatur ut uictor aduersarius: sin dolētes, uincitur, & inane reddit̄ eius cōsiliū. Itaq; satis est ad declinandū prauū conatū, dolere ob id quod nolenti accidit, & lachrymis eluere foeditatē huiusmodi imaginationū, quæ nobis inuitis existant. Abstinerē uerò eos qui hæc inuiti patiantur, à communionē posteriorum diuinorum, nequaquam æquum est. Alioquin tollemus uoluntariorum & inuoluntariorum malorum differentiam.

Quæstio 22.

Si cum frumento crescere zizania dominus Christus pronunciauit, quī sit ut zizania exuberauerint, frumentum uerò penē defecerit: & quo pacto demonstrari potest frumētum esse quod defecit, aut non falsum esse quod prædictum est ambo auctum iri:

Responsio.

Frumentū esse quod defecit, demonstratur ipsius prædictione, dum dicit: Quia abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorū. Et rursus: Postremis tēporibus deficiēt quidam à fide, et attendēt spiritibus deceptoribus, et doctrinis hominū. Et rursus: A ueritate auertent̄, & ad fabulas conuertētur. Itē, Intrabūt in uos lupi graues, qui non parcent gregi, quo abstrahant ad se discipulos. Quod autē usq; ad consummationem seculi non desinet frumentū, declarat Dominus, dicēs: Sed propter electos, quos elegit pater, decurtabuntur dies illæ. At enim si quid accidit frumento quod de eo dictum nō sit crescente & deficiente, non dubium est quin falsum sit quod de eo dictū est. Sin ab initio prædicationis usq; ad seculi consummationē omnia ei euentura, prædictionibus tradita sunt, perspicuum est nō esse falsum quod de eo dictū est. Enimvero si sunt zizania, necesse est esse etiam frumētum. Nam ex utriusq; collatione et frumētum quid sit cognoscitur, et zizania: et alterum si absit, ne alterum quidem quid sit, cognoscitur.

Quæ-

Quæstio 23.

Si ante passionem Dominus orauit ut à patre sanctificarentur discipuli, & postea Iudas perijt, quomodo uidentur admissæ eius pro illis preces? aut quomodo ostendetur uerum esse illud, Scio quòd me semper audis?

Responsio.

Iudæ perniciæ accidit ex quo Christus sumptam intinctam que buccellam ei dedit, & in Iudam, postquam sumpsit buccellam, intravit Satanas, atque ipse Iudas seipsum auulsi à ceteris discipulis. Preces autem Christi pro discipulis, post Iudæ separationem factæ sunt. Atque hoc ostēditur ex ipsis precibus, cum precatus Dominus, dixit: Quos dedisti mihi, seruauit, nec ullus ex eis perijt, nisi filius perditionis, ut scriptura compleretur. Fuit igitur primū Iudæ perniciæ, postea preces pro discipulis, deinde passio seruatoris.

Quæstio 24.

Si deus opifex & dominus est creaturæ, quī fit ut Apolloni dictata in partibus mūdi polleant? Nam & maris impetus, & uentorum cursus, & murium & ferarum incursiones, ut uidemus, arcēt. Et si quæ facta sunt à Domino miracula, sola narratione feruntur: illius uerò plurimā etiam in rebus ipsis ostenduntur, nōne eos decipiunt qui ea uident? Et si quidem dei permīssione hoc factum est, nōne dux ad gentilismum fuit hæc permīssio? Sin minus, nōne potestate dæmonum facta sunt illa? Rursum si deus rebus illis, ut bonis, delectatus, illū adiuuit, cur non per prophetas & apostolos talia facta sunt? Sin ea ut uitiosa ei nō placebant, quare quod uitiosum erat, aut statim non impediuit, aut paulopost nō dissoluit, sed in omnem mundi æternitatem uigere permīssit?

Responsio.

Apollonius, ut uir naturalium potentiarum, & dissensionum ac confensionum earum peritus, ex hac scientia dictata faciēbat, non auctoritate diuina. Hanc ob rem in omnibus dictatis indiguit assumptione idonearum materiarum, quæ eum adiuuaret ad id perficiendū quod efficiebatur. At seruator noster Christus, diuina auctoritate miracula faciēs, nequaquā indiguit materia, sed eius iussa & præcepta res ipsæ sequebantur & sequuntur. Et Apollonij quidē dictata, quoniā facta sunt ex scientia uirium naturalium ad corporalē actionem hominum, non euerit Dominus. At ipsum dæmonē in illius statua situm, qui homines oraculis suis ita deceperat, ut Apollonium tãquam deum uenerarentur ac honorarent, obmutescere fecit, abolitis eius oraculis: & simul reliquorum quoque demonum, qui deorum nomine à gentilibus colebant, potestatem sustulit, ut res indicat. In his cū habeamus diuinæ Christi potestatis argumenta,

non est dicendum Christi miracula in nuda narratione esse posita.

Quæstio 25.

Si institutus erat Moses in omni sapientia Ægyptiorum, ad eum ut factis dictisque potens esset, sicut tradunt diuinæ literæ, an non astronomiam & geometriam & astrologiam, & quæ hæc sequuntur, tractauit idem beatus propheta? Nam Ægyptiorum sapientia tunc erroris documēta tradebat. Cur ergo ex talibus dictis & factis à scriptura celebratur?

Responsio.

Celebrat prophetam diuina scriptura ob dictorum factorumque potentiam, non propter dicta & facta per se: erant enim illa indigna per se ob quæ celebraretur propheta. Sed quia propter utramque illustris erat apud Ægyptios propheta, uidelicet propter orationis disciplinam, & ciuilem uitæ claritatem, cui utriusque pietatem prætulit, propterea eum extollunt sacræ literę. Astronomia uero, & astrologia, & geometria, apud Ægyptios tunc uulgares & humiles ac forenses disciplinæ habebantur. In precio uero erant tum apud eos disciplinæ quæ Hieroglyphicæ uocantur, quæ quidem in adytis non quibuslibet, sed eximijs, tradebantur, quorum uates etiam si scientiam habebat, at usum non item, utpote contrarium diuino Hebræorum regimini, propter quod ille contempta uniuersa regali in Ægypto potentia, maluit cum dei populo aduersa pati.

Quæstio 26.

Si omnes aquæ sanguis à Mose factæ sunt, qui sit ut addat hoc scriptura: Fecerunt etiam cantatores Ægyptiorum similiter? Aut enim falsum est, quod omnes aquæ à Mose mutatae sint in sanguinem, aut rursus quod cantatores idem fecerint. Ac de reliquis eorum miraculis eadem est ratio.

Responsio.

Omnibus aquis quæ super terra erant, in sanguinem conuersis, cogebantur Ægyptij circa flumē fodere puteos, & hausta inde aqua seipsum, suamque animalia & pecora sustentare. Ex hac aqua ex puteis hausta fecerunt cantatores sanguinem, nec ullo pacto falsus est sermo. Ac quæ à Mose facta sunt miracula, utpote diuinis uiribus edita, facta sunt mutatione naturæ rei propositæ, in naturam eius quod efficiebatur. At quæ à cantatoribus facta sunt, opera dæmonum facta sunt, qui spectantibus oculis eas prestigias offuderunt, ut qui serpens non esset, eum uideret quasi serpentem, & non sanguinem quasi sanguinem, & non ranas quasi ranas.

Quæstio 27.

Si contraria sibi Moses non docuit, ossa Iosephi asportans, & idem eum qui mortuum tangat, tanquam impurum abominans, & si habuit aliquam

aliquā idoneam rationem, hanc nunc discamus. Cur uerò diuine li-
teræ non dixerunt quā ob causam illa faciens Moses, hæc docuerit:

Responsio.

Quoniā moriens Iosephus, de translatione ossium suorum ob-
testatus erat Israelitas, eratq; utriusq; rei custodia Mosei proposita,
ut neq; iusiurandū uiolaret, neq; mortuum tangeret: propterea sol-
uendo legem quæ mortuum tangere uetat, seruauit iusiurandū in-
uiolatum. Fieri enim non poterat ut utrunq; & legem & iusiuran-
dum seruaret inuiolatum. Ergo maiore iusiurandi custodia, soluit
minorem legis custodiam. Semper enim minus malum magis eli-
gendum est, quàm maius. Ac multa talia inueniuntur in sacris lite-
ris, contra quæ si quis faciat, deus ei peccato id non tribuit, propter
eam quæ accidit necessitatē, cuiusmodi est octauæ diei circuncisio,
& octauæ diei circundatio Ierico, & in sabbato uictimarum immo-
latio, quæ quidem sabbati uiolationem continent. Præterea si sta-
tuit propheta homines qui per uices ossa Iosephi portarēt, & secū-
dum * propter * secundum legem Mosis huius
numeri * expiari, nihil fecit quod contrarium esset eis quæ
dixit. Quærere uerò cur non dixerit propheta causam horū, perin-
de est ac si quæras cur non omnia scripta, explicata tradita sint ab
ijs qui ea tradiderunt, cum in rei narratione apertè contineatur rei
sensus, ideoq; non uisum est scripturæ eum enucleatè declarare.

Quæstio 28.

Si Pharisæorum fictam religionem arguēs Dominus, dixit eos
esse sepulcra dealbata, ossibus mortuorum plena, & omni immu-
dicie: & in lege, qui mortuum tangebatur, impurus iudicabatur, quasi
aliquid illicitum faciens: & nos mortuos & eorum sepulcra abhor-
remus, cum mortuus et in uetere et in nouo testamēto impurus ap-
pelletur: nōne Christus contra utrunq; fecit, qui uiduæ filium re-
sulcitans, tetigerit feretrum, & Iairi filiam manu prehenderit: Nam
etiā si ambo tandem reuixerunt, tamen mortua erant corpora cum
tacta sunt.

Responsio.

Corporum cadauera & eorū sepulcra abhorrentur propter fœ-
torem quem exhalant, non propter mortem. Si enim tantum pro-
pter mortem abhorrentur, non liceret mortuorum corporū ani-
malium partibus uti ad usum uiuentium, ut corijs et cornibus et pi-
lis et bile et adipibus et carnib. quæ quin mortua sint, nulla ratione
negari potest. Quòd si mortua sunt, et tamen propter utilitatē quæ
inde percipitur, non abhorrentur, absurdissimū est ea pura existi-
mari propter utilitatem quam afferūt: sanctorum uerò martyrum

corpora & sepulcra à gētilibus abhorreri, cum ea tueant homines ab insidijs dæmonū, morbosq; curēt, arte medica incurabiles. Comparauit autē Dominus fictam Phariseorū religionē cum dealbatis sepulcris, quoniā quēadmodū uiuentiū iudicio abominabilis est mortuorū corporū foetor & impuritas, sic & illorum improbitas abominabilis est iudicio piorū, quippe quæ quodammodo sit animæ eorū mors, & foetor ac impuritas. Vt enim anima à corpore separata, mortuū foetidumq; & impurū corpus est: ita separato Dei metu ab anima, mortua est anima, & foetida ac impura. Neq; uero quicquā fecit Dominus quod uel ueteri uel nouo testamento esset contrariū: nec enim sub lege erat, cum mortuos illos, de quibus in questione dictum est, suscitauit. Nam à baptisate exorsus est Dominus regimen euangelicū, quod erat extra legis obseruationem, ideoq; non est contaminatus tangendo mortuo. Secundū nouum testamentū uerò ea sola polluunt hominē, quæ mala ex corde procedunt: at mortuum tangere, non polluit hominem.

Quæstio 29.

Si plena domus erat ubi Christus erat, cū paralyticus curandus esset, & hāc ob causam coacti sunt qui eum portabant, rumpere tectum, & eā demittere egrotantem, quī sit ut territi non fuerint qui in ea domo coiuērāt, cū tectū rumperetur?

Responsio.

Cum sentirent qui domi erant, futurum ut tectum rumperetur, omnino cesserunt. Nec enim tam amentes erant qui tectum perforabant, ut non clamore monerent eos qui domi erant, ut cederent, ne ferirentur. Nec enim opus erat totum tectum detegi, sed quantum satis esset ad demittendum paralyticum.

Quæstio 30.

Si unumquēq; hominē angelus custos comitatur, ut diuina scripta dicūt, & homines propter sua facta modo accretionem, modo decretionē sustinuerūt, sicut in diluuiō reliquisq; cladibus accidit, angeli qui accretionis & decretionis hominum capaces non sunt, quodnam munus tunc obibant, cum unusquisq; angelorum à deo munus acceperit ab initio?

Responsio.

Angeli omnes, tum qui regunt, tum qui parent, munus obeunt utile coelis, & ijs quę propter hominē obeunda sunt. Quibus uero munus hoc mandatū est ut homines comitentur, eorūq; custodes sint, ij semper augentur, nunquā diminuūtur. Aut enim comitatur utrunq; animā dico & corpus: aut comitant animā post eius exitū ex corpore, usq; ad tēpus recreationis mundi. Antequā autē comitandis custodiendisq; præficianť hominibus, parent suis principibus, in alijs munijs pro homine obeundis.

Quæstio 31.

Si nutu dei nubes pluuia terræ demittunt, cur qui nubiū fugatores appellantur, efficiūt quibusdā carminibus ut nubes ubi uolūt ipsi, immodicas grandines & pluias eiaculentur?

Responsio.

Quādo quidem istud secundū sacras literas testaris, incredibile est pluias manare à cantatoribus. Nam & ipse qui hāc quæstionē proposuisti, nō ab ijs quæ fieri uidiisti, quæstionē sumpsisti, sed ab ijs quæ audiuisti.

Quæstio 32.

Si mortalē creauit deus naturā nostram, quomodo dicis deum mortem non fecisse?

Responsio.

Nō si quid natura mortale est, id omnino mori necesse est. Exemplo sunt Enoch & Elias, qui cum natura mortales sint, tamē adhuc in immortalitate manēt, adeo ut sint supra illud. Terra es, & in terram reuertēris. Est ergo uerū quod deus naturā nostrā fecerit mortalē, quodq̃ mors in mundū intrarit hominis inobediētia. Si enim sicuti fecit deus mortalē naturā, sic & mortē fecisset, nō fuisset profecta ab inobedientia mors. Et si deus inobedientiam non fecit, ne mortem quidem.

Quæstio 33.

Si hominis natura, tanquā res mortalis, suū quidē finē agnoscit, sed singulorum tempus nō est definitū, quod externi fatum appellant, quī factum est ut Ezechiæ addita fuerint tempora? Nam quod additum est, id profecto additum est ad præfinitū numerum. Quæ igitur ratione in ijs qui decedunt, temporis indefinitum spacium ostenditur?

Responsio.

Quod non sit definitum uitæ cuiusq̃ tempus, ostēditur ex scripturæ uerbis. Si ruri, inquit, inuenerit aliquis puellā despōsatā, eiq̃ stuprū per uim intulerit, uirum interficite, sed puellā ne interficite. Est em̃ res hæc perinde ac si quis alterū occidat, cū nemo adsit q̃ ei subueniat. Clamauit puella, sed nemo adfuit q̃ ei subueniret. Nunquā assimilassent diuinæ literæ uiolētū stuprū, uiolētæ occisioni, si esset definita mors. Quod em̃ à deo definitū est, id inuiolabile & ineluctabile est. Quod si est, profecto nō præfinitæ uitæ Ezechiæ addita sunt tēpora uitæ, sed eius annis indefinitē antegressis, quorum finē afferebat morbus lethifer, à quo morbo deus eū sanauit, & in uiuēdi statū restituit.

Quæstio 34.

Si, quemadmodum perhibent nonnulli, diluuium non omnem terræ locum occupauit, sed quem tum incolebant homines, potest ne uerum esse quod elata fuerit aqua quatuordecim cubitis supra montium altissimos?

Responſio.

Non uidetur uerum eſſe quòd non toto mundo fuerit diluuiũ, niſi fortè depreſſiora erant loca ubi fuit diluuiũ, quàm reliqua loca terræ.

Quæſtio 35.

Si omnium irrationaliũ opifex eſt deus, cur biſulca & eadem ruminalia, pura eſſe cenſuit: Et ruruſum cur ruminalia quæ biſulca nõ eſſent, ut camelus, in bonis poſita ſunt: & biſulca, ſed quæ nõ ruminent, ut ſus, in immundis habentur: Item in piſcibus, ea quæ carent ſquamis, & uolucres, cur diuiſa ſunt: cum tamen nonnulli mundi (ſiquidem permittuntur hæc immundis) comedant & uendant.

Responſio.

Natura quidem munda ſunt omnia animalia, & à deo creata à principio bona, ut oſtendit illud, Vidit deus omnia quæ fecerat, eſſe ualde bona. adepta quæ ſunt diuinam benedictionẽ quæ dicit: Creſcite & multiplicamini. Sed quia uolebat deus in omnibus quæ comederentur, ludæos ſubijcere iugo ſeruitutis legis, propterea animalium & uolucrum & piſcium quædam munda nominauit, quorum & iugulationẽ & eſum permisit ludæis. quædam uerò immunda nominauit, quorum eſum eis interdixit. Hæc ergo & munda & immunda dicuntur: munda, propter naturam: immunda, propter legem. Aliàs munda & immunda dicuntur propter hanc cauſam: Quoniam in Agypto omnia tunc animalia, præter ſuam, dii habebantur, propterea animalium alia munda, alia immunda nominauit, & munda quidem permisit eis immolare, alia uerò non comedere ut immunda, utroque oſtendens indigna eſſe uel appellatione & honore dei, quod & immolarentur et comederentur, & ruruſum immunda uocarentur.

Quæſtio 36.

Si numen mutari non poteſt, cur de unctiõne Sauli dicit ſe pœnitere, itemque de euerſione Niniuæ, quòd ſententiam mutauerit.

Responſio.

Dominus deus et quod eſt, et quod facit quæ ſe deceat, immutabilis eſt. Sed cùm iſ quos curat, mutentur, mutat ipſe res, prout eis expedit quos curat: ideoque et ad ignoſcendũ, et ad nõ ignoſcendũ immutabilis eſt. Ignoſcit enim immutabiliter iſ qui delicta ſua corrigunt: iſ uerò qui à malo reuocari nõ poſſunt, immutabiliter non ignoſcit. Quod ergo dicit de unctiõne Sauli, Pœnitet me: oſtendit eius immutabilitatẽ in nõ ignoſcẽdo: quod uerò de Niniuæ excidio eũ pœnituit, oſtendit eius immutabilitatẽ in ignoſcẽdo, eſt enim immutabilis deus, ſemperque pſeuerat in eis quæ ipſum facere deceat, nec unquam mutationẽ admittit ad ea faciẽda quæ eũ dedecent.

Quaestio 37.

Si Ioannis baptisma non erat secundū legem, ut certe non erat, nōne erat contra legē? & cur admissum est ab ijs qui erāt in lege? Nōne in legem peccarūt, qui quum sub lege essent, admiserint baptisma contra legem? Quōd si sub lege gratiæ erat baptisma, quod neq; secundū legē, neq; supra legē, neq; contra legem diceretur, secundū quid factū esse reperietur?

Responsio.

Baptisma Ioannis procerium erat euangelij gratiæ, ideoq; supra legē erat. Neq; enim poterant qui secundū legem peccauerant, in ea ueniam assequi per pœnitentiam fidemq; Christi.

Quaestio 38.

Si fidem facere discipulis suis Ioannes de Christo uolebat, eum esse Christum, cum eos misit ad eum (hoc enim nonnulli dixerūt) cur nō eis id affirmauit, sed per eos Christum percontatus est? Sin ipse quia in carcerē coniectus esset, ex uarijs cogitationibus in dubium de Christo adductus erat (nam & hoc dixerunt alij) cur sic interrogat quasi eum nondum uenisse sciat? Nam illud, Tūne is es qui uenturus est, an alium expectamus? uidetur innuere Christum nondum uenisse, sed optari ac expectari. Si enim hoc ei persuasum fuisset, non sic interrogasset, Tūne Christus es, an alius quispiam quàm Christus?

Responsio.

Quoniā de Christi miraculis diuersi sermones ferebant, alijs dicitibus eū qui hæc faceret, esse Eliā, alijs Ieremiā, alijs aliū aliquem prophetarū: hos sermones audiēs Ioānes in carcere, mittit discipulos suos ad discēdū an q̄ hæc miracula facit, is sit de quo ipse Ioānes testatus est: an alius quis, qui multorū fama celebret. Hūc Ioannis scopū intelligēs Iesus, presentibus Ioānis discipulis fecit multa miracula, persuadens et ipsis, & per ipsos Ioāni, se eū esse q̄ fecisset etiā quæ aliorū nomine ferebant miracula, & de quo Ioannes ipse testatus fuisset.

Quaestio 39.

Si se omnes ad se tracturum esse Dominus Christus, postquam elatus fuisset, promisit, quī sit ut nō omnes ad eius fidē accurrerint? Nōne dum promittit se omnes ad se tracturū, aduersat illi dicto: Nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit eū?

Responsio.

A suo sine omnis sermo iudicatur. Finis autem est, omnes ad se trahere, cum aboleuerit omnem principatum & dominatum et potestatem. Itaq; ante finem non sunt exigenda quæ sunt finis. Trahit autem pater ad filium, dando etiam filio eam potestatem & facultatem, ut possit omnes ad se trahere. Nō trahit ergo aliàs pater ad filiū, & aliàs filius ad seipsum; itaq; nulla in dictis illis pugnantia est.

Quæ.

Quæstio 40.

Si in dæmoniâcâs dæmones continenter habitant, quomodo alijs detrimenta afferunt? Sin hoc faciunt ab ægrotis ad tempus discedentes, quâ fit ut cum inuisibili potestate ex eis fugati sunt, nullam in eis uestigia præsentia suæ ostendant?

Responsio. Fieri non potest ut qui dæmonibus præsentia presentis * nec eius adsunt uestigia. Nâ abigens eum potestas inuisibilis, metum ei incutit, ne amplius accedat ad curatum.

Quæstio 41.

Si solius dei est uitâ uiresque dare corporibus, quâ fit ut hoc faciât dæmones, confirmantes dæmoniacorum corpora, ad eum ut uincula catenasque conterant? Constringebatur enim ille catenis & compedibus, & uincula rumpens agebatur à dæmone in solitudinem.

Responsio.

Non corpori præstabat dæmon uires conterendi & dirumpendi uincula & catenas, sed ipse dæmon ea conterebat, etiam si sacræ literæ dæmoniaco tribuant opera dæmonis.

Quæstio 42.

Si partibus mundi dæmones non imperant, cur aliquando quia non obtemperatum esset ipsorum oraculis, poenas inflixerunt gentilibus, & cultis idolis poenas cohibuerunt, et illis pro poenis bona præbuerunt? Unde uires has habent in utranque partem?

Responsio.

Mos erat dæmonibus, ad decipiendos homines, tribuere sibi sicut dei nomen, sic & uires. Quod autem dæmonibus non sint uires puniendi inobedientes, & bene faciendi obedientibus, patet ex interitu quem passus est gentilismus à Christianismo. Aperte enim perspectum est gentilismum non alia potestate usum esse contra Christianismum, quam manuum & gladium hominum. Si enim præditus fuisset gentilismus potestate diuina, quæ propugnaret pro ipso dum aboleretur, nunquam fuisset usus humana potestate ad se defendendum, expectato frustra deorum presidio. quod quidem maximum argumentum est infirmitatis dæmonum, & quod nunquam potuerint opera diuina perficere, quibus & rebelles ulciscerentur, & obedientibus bene facerent. Preterea cum cultus omnis sit uiuentium & sentientium, nonne aperte falsum est illud, Et cultis idolis poenas cohibuerunt: cum ea neque uiuant neque sentiant, sed ut ad cultus, sic & ad contemptus oraculorum insensibilia sint.

Quæstio 43.

Cum dicat tempore diluuii duo & duo, & septena & septena animalia in arcâ illata esse, neque numerum computet, neque dicat quatuor &

quatuor

quatuordecim ex immūdis et mundis (nam hoc quidā dixerūt, alij uero tantū bina pura) utrum uerius est? Responsio.

Verius dixit q̄ dixit quatuor & quatuordecim, quā̄m qui dixit duo & septē. Dixit enim duo & duo, pro duo mares & duæ fœminæ, & septem mares & septē fœminæ, immunda autē duo & duo.

Quæstio 44.

Quando quidem multo colorum animalium uisionē uiderunt Esaias et Iezeciel, utrum ambobus eadem res patefacta est, an alteri altera ostensa est; quid uero ibi ostendebatur? Responsio.

Per uisionem Esaiæ prophetae, declaratum est Christi mysteriū sedentis in solio gloriæ, & esu suæ sanctæ carnis, expiantis peccata impiorum hominū, toto orbe celebrantiū sanctam & pari honore præditam trinitatem, ob magnitudinem diuinorum donorum, cuius trinitatis nomine baptizati, iustificati, sunt adepti spem participationis cœlestium & æternorum bonorum. Quem enim carbonem uidit propheta immūdis suis labijs admoueri ad delictorum et peccatorum expiationem, is significationem habebat dominicę carnis, purgantis ab omni impietate conscientiā eorum qui eam comedunt. Per Iezecielis autem uisionem, declarata sunt quę euentura erant Nabuchodonosori regi Babylonis, quę solatio forent Israelitis Babylone exulantibus. Vidit autē propheta quadrifrontia animalia, similitudines habētia hominis, leonis, uituli et aquilę. Dicit autem et propheta Daniel de Nabuchodonosore, quod ei creuerint ungues ut aquilę, & pili ut leonis, quodq̄ herbis pastus fuerit more uituli, et hominis corei datum fuerit. Hac uisione consolationem quandam affert Israelitis, in præualidam duramq̄ potestatem Babyloniorū intuentibus, et de recuperanda libertate desperantibus. Ut igitur de hac desperatione deducat Israelitas deus, efficiatq̄ ut in ipsius dei potestatem intueantur, ostēdit prophete mansueti et immansueti animalis coniunctionem, et habētis graues humeros et uolucris cōpactionē. Mansuetum enim animal est homo; immansuetū leo; et graues humeros habet uitulus; aquila uerò animal est uolucres & leue. In illis igitur declarat regni exferitate in mansuetudinē mutationem; in his uero translationē grauitatis seruitutis in libertatē. Est enim subiugalis uitulus; aquila uero à iugo libera. Ostendit et prophete rotam in rota, indicans per eas Iudæorum abductionem in exilium, et abductionem in patriam.

Quæstio 45.

Cur in Iezeciele abusa est diuina definitio nuncupatione hominis, id quod in alijs prophetis non fecit; & an uniuersam mundi resurrectionem

surrectionē in aridis ossibus idē propheta uiderit: & an re ipsa resurrexerint ossa, euaserintq; in homines perfectos, sicut docet eiusdem prophetae liber? Responsio.

Quoniam præscribēda erat per prophetā lezecielem in uisione resurrectio mortuorū, quæ re ipsa futura erat per filium hominis, ut est in illo dicto: Venit dies, & nunc est, cum omnes qui in monumentis sunt, audient uocem filij hominis, & qui audierint, uiuent: propterea uocatur lezeciel nomine filij hominis, quemadmodum Iesus Naue filius, soli & lunæ per authoritatē imperaturus, nomen accipit Iesu, quod à creatura, obedientia præcepti honoratur. Sic et lezeciel nomē accipit filij hominis, & per uisionem resuscitat mortuos potestate allocutionis. Fuerūt autem in lezeciele omnia uisum ossa tum eorum resurrectio. Ostendit autem prophetae uisionem hanc deus, per eam præmonstrans futuram per Christum uniuersalem resurrectionē omnium. Deinde id facit ad cōsolationem Israelitarum, qui ex ea, in qua erant, Babylonici regni seruitute euafuros se diffidebāt. Vt enim mortua corpora in monumentis iacentia, spem resurrectionis non habent: sic illi se esse arbitrabantur in Babylone citra spem ullā reditionis. Hoc declarat ipse propheta, dum dicit: Et locutus est Dominus ad me, dicens: Fili hominis, ossa hæc est omnis domus Israel, qui dicūt: Aruerunt ossa nostra: perijt spes nostra, &c.

Quæstio 46.

Si bona sunt omnia quæ pertinent ad uitam, cur qui ab eis abstinent, in literis laudantur, & qui ea retinent, uituperantur? Sin mala sunt, cur mala uitæ nostræ adiuncta sunt, præsertim cum opifex sit bonus? Responsio.

Non simpliciter laudabile est, abstinere à bonis uitæ: neq; simpliciter uituperabile, ea retinere: sed utrunq; si decenti ratione fiat, & abstinere & retinere est laudabile: sin contrā fiat, utrunq; uituperabile est. Quod autem nihil per se malum adiunctum sit uitæ nostræ, declarant diuinæ literæ, laudantes operum creationē, dum dicunt: Et uidit deus omnia quæ fecerat, & erāt ualde bona. Sed cum nos bona uolentes peruertimus, mala sunt. Nihil est enim malum in eo quod salubre est, si bona quæ insunt, imperuersa maneat: itaq; nihil est malum, nisi peruersio boni. Ergo nihil malum adiunctum est uitæ nostræ. Mala enim, usu uitioso mala sunt, non natura: sed bene aut male uti, arbitrij nostri est.

Quæstio 47.

Si elementis nō inest sensus, cur Moses cælum & terrā populo testatur,

testatur, itemque Esaias eundem populum accusans, illa iubet audire:
 Responsio.

Quæ ad cælum & terram dicuntur, ad eos qui in eis ratione præditi sunt, dicuntur, quemadmodum quæ ad urbem dicuntur, quale est illud: Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te mittuntur. Non enim urbs interfecit & lapidauit, sed ciues.

Quæstio 48.

Cur dixit Dominus Mariæ post resurrectionem, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum? Si ante assumptionem nemini licebat eum tangere, quomodo fit ut paulo post discipulis & Thomæ id facere permiserit? Sin licebat, quomodo fit ut quod paulo post multis permiffurus erat, id paulo ante Mariæ uetuerit?

Responsio.

Noli me tangere, dictum est Mariæ à seruatore, quasi diceret, Noli me sequi, ut perpetuò mecum uerseris, sicut erat ante meam crucem consuetudo. Volebat enim paulatim desuefacere discipulos suos ab aspectu presentiaque sui corporis: eamque ob rem neque semper conspiciebatur discipulis, quo tempore uersabatur in terra post resurrectionem, nec omnino in conspectum se præbuit eis, sed per uices utrunque faciebat, ut eis & cerneretur, et non cerneretur.

Quæstio 49.

Quomodo planum fieri potest, tantum singula paria ferarum & pecorum, uidelicet marem et femina, in mundi creatione edita fuisse? Nam hoc quidam priorum dixerunt, ad demonstrandum non ex brutorum pelle pelliceas tunicas primis hominibus à Deo fuisse datas.

Responsio.

Si in uno quoque genere sunt quedam primiparentia, eaque sunt opera Dei: quæ uero sub illis primiparentibus sunt, opera sunt naturæ, facta et generatione constantia, non dubium est quin singulorum generum non plura fecerit Deus, quam singula paria coniuga. Tunicas autem pelliceas fecit Deus, non humano more, sed condendo. Non enim iugulatis animalibus et consutis eorum pellibus, tunicas fecit: sed ipsas tunicas pelliceas condidit. Sed dicit fortassis aliquis: Si condidit Deus pelliceas tunicas post septem dierum opificium, quomodo fit ut dicant diuine literæ, Requieuit deus die septimo ab omnibus operibus quæ coeperat facere? Requieuit à creatione, hoc est à faciendis quæ non essent. Verum quas nunc pelles facit, non incipit facere, sed in creatione animalium etiam pelles eorum antea factæ fuerant. Huc pertinet & illud, Formauit adhuc dominus deus ex terra, omnia pecora & feras terrestres, eaque duxit ad Adam, &c. nam uox Adhuc, significat secundam eorum generationem.

Quæstio 50.

Quandoquidem & olim pueri, & nos nūc deum collaudantes, utimur uoce Osanna, & Alleluia, quæ nam est harū interpretatio?

Responsio.

Alleluia, est Collaudate cōcinnè, id quod est. Osanna uerò, Magnitudo excellens.

Quæstio 51.

Si immutabilis deus est, quī sit ut dū uel blasphematur, uel laudatur, utrisq; sæpe digna factis præmia rependat? Responsio.

Manens deus in sensu iustitiæq; sua, immutabiliter unumquēq; ut dignus est remuneratur, nectamē id facit quod mutatus aliquid inuenerit: sed cum semper habuerit, habet in his immutabilitatē, & habens pari ordine habet erga blasphemos & insensiles ac iniustos, quæ quidem sunt aliena.

Quæstio 52.

Si pio studio motus Saulus, uentriloquas sustulit, cur eò adductus est ut à uentriloqua petierit prædictionem? Et an illa Samuelem re ipsa euocauerit, si quidem hoc tradūt literæ: ac quod ipsa uerum dicat, res autem impia sit, patet. Responsio.

Qui diuino studio facit aliquid, is nō pugnat cum deo. Saulus suspectū habens Dauidem, quòd ad eum transtulisset deus ipsius Sauli regnū, omnino conabatur tollere Dauidem, ne fieret quod de eo dictum fuerat diuina sententiā. Sustulit autem uentriloquas, ut ea ratione deum sibi reconciliaret, quo sententiā abrogaret quæ Saulum regno abdicauerat, non ille quidem uentriloquarum impietatem odio prosequens, sed regnum amans. Et quia nō admisit deus intentionem eius, eum deseruit, ut egeret eis quas non bona intentione sustulerat. Cætera omnia quæ à uentriloqua facta sunt, facta sunt opera dæmonis, qui sic præstrinxit spectantum oculos, ut sibi uiderentur Samuelem uidere qui non erat. Verborum quidem ueritas à deo profecta est, qui dæmoni dedit in figura Samuelem apparere uentriloquæ, & rem futuram demonstrare. Et quia Samuelem nō audiuerat Saulus, dicentē ei fore ut regno priuaretur, sed etiā post diuinā sententiā, quæ eum regno abdicauerat, adhuc regnum sibi uendicabat, indignū iudicauit eum deus, cui per suos præsignificaret quæ ipsi euentura essent: quemadmodum fecit & Achabo regi Israelitarum, qui non credidit ueritatis, sed falsis prophetis, quam ob causam misit ei deus falsum spiritum, ut est in libro Regum: quibus cum credidisset Achabus, deceptus abiit in desertum, unde uiuus non rediit.

Quæ

Quæstio 53.

Si mas & foemina ob procreationē creata sunt, cum erit resurrectio, an resurgent homines genitriciū partium differentiam habentes: Et si ita erit, an non superuacaneū est ociosa membra adhiberi?

Responsio.

Et si ad procreationem non erunt utiles genitrices partes post resurrectionem, at utiles erunt ad recordandū homines ab his partibus sumplisse ortum & incrementum ac durationē. Adducemur enim per eas in cogitationem tantæ Christi sapientiæ, quæ hæc
* mortis crescente custodia * generis nostri in immortalitate, successione natorum.

Quæstio 54.

Cum pœnam propter delictum inferendā populo Moses prædixerit, cur ea carmine dixit, cum carmina licentiam magis quam utilitatem hominibus afferre soleant?

Responsio.

Secundum narrationes quæ in carminibus habebantur, concinne fiebant numerorum rythmi, qui animas agerent ad opinionem
* sjs dignam quæ cantarentur. Aut enim flebiliter *

Quæstio 55.

* contrariorum huius boni fuit inuentio.

Responsio.

Multi quidē inuenta sunt etiam à pijs, quibus sanarentur morbi corporis, nec non à rege Solomone: sed nullus eorum qui essent absq; pietate, habuit perceptionem medicam *

Quæstio 56.

Si decedētes infantes nec laudari nec uituperari possunt ab operibus, quæ nam erit in resurrectione differentia inter eos qui ab alijs fuerint baptizati & nihil egerint, & eos qui non fuerint baptizati, & similiter nihil egerint?

Responsio.

Hæc est differentia inter baptizatos & nō baptizatos, quòd baptizati adipiscuntur bona quæ baptismus affert: nō baptizati, non item. Afficiuntur autem baptismi bonis, propter fidem eorum qui eos adferunt ad baptismum.

Quæstio 57.

Si duorum cœlorū ortum Moses nobis exposuit, quī sit ut plures esse doceant nos literæ, dum modò dicunt, Cœli cœlorum: modò, Aperti sunt ei cœli: &, Video cœlos apertos: &, Raptus est usq; ad tertiū cœlum: nec dixit, usq; ad tertiam partem cœli, sed planè

usq; ad tertium cœlum. Multa his similia inuenies in literis. An nō ergo pugnantia dicunt, ac non utrobicq; uera tradunt?

Responsio.

Moses dixit cœlos, sed numero nō tradidit unū, neq; duos, neq; plures. Verū diuinæ literæ nominaturę erant cœlos, spacia quæ in parte superiora forēt, ut uolucres cœli, & aquila de cœlo, & sidera cœli. Itaq; ex consequētia positarum uocum, intelligimus cœlos re esse duos, sed spacijs plures. Si ita cœlos intelligas, nulla pugnantia relinquetur in uerbis.

Quæstio 58.

Si tribuere Christo ignorantiam, impium est, non dubium est quin habeat omnium perfectam cognitionem. An non igitur est ipse causa proditiōis Iudæ, & negationis Petri cum iureiurando coniunctæ, qui hæc præsciuerit, nec tamē impediuerit? Ac de diaboli & primi hominis à Deo lapsu, eadem dici possunt.

Responsio.

Si Christum oportebat ab uno discipulorū suorū prodi, ut fieret quod scriptū erat, Christus causa est impletionis scripture, non proditiōis Iudæ. Huius enim Iudas ipse fuit author, quam futurā sciens deus, prædixit per literas: nec est prænotio causa eius quod futurū erat, sed quod futurū erat, causa est prænotionis. Non enim prænotionē sequitur res futura, sed rem futuram prænotio: nec ullo pacto qui prænoscit, causa est rei futuræ. Itaq; non Christus causa est proditiōis, sed proditio causa est prænotionis Domini. Ac de diabolo & de primo homine eadem ratio est.

Quæstio 59.

Si nocte sol abditur, nōne patet cœlū esse spherā? Nā ex philosophis uir ille diuinus dixit * nō corpore. Hic ergo est qui terrę incūbit. Atq; ille propter leuitatē sursum fertur: hæc propter grauitatē deorsum. Itaq; quia in diuersa nituntur, alterum ab altero cōtinetur. Quod si hoc uerū est, totius cœlestis circuli in * esse luminaria, & semper apparere: quomodo ergo abduntur?

Responsio.

Si in confesso est multa esse alia in eodē & æquali solo, quę propter spacij longitudinem lateant aspectum, ut naues in mari, quæ alia ab alijs nō cernuntur, quod latitudo ita aspectum circumfinit aquæ superficie, ut ultra id quo finitur, non feratur: quid mirum si etiam in luminaribus fit occultatio eadem causa? Stare autē cœlum & terram quia in diuersa nitantur, in primo cœlo & terra licet hæc conijcere, quia simul facta sunt, sed in firmamento & terra, nō item potest

potest id cogitari. Stabat enim terra ante firmamentum, portans uniuersam humidam substantiam, sine retractione firmamenti; nam post terram, factum est firmamentum.

Quaestio 60.

Si formarum diuersitas nobis hic utilis est propter usus corporis, & studia, & contractus, cum corpus sic resurgat in resurrectione, ut nullare egeat, si eadem formarum diuersitate resurgemus, nonne erit inutilis? Sin eadem similitudine, quomodo demonstrari hoc potest? An non Lazari & diuitis parabola formarum uarietatem ostendit? Nam hoc omnino ex ea perspicuum est. Quod si quis dicet cognitionem diuiti quandam fuisse datam ad agnoscendum Lazarum & Abrahamum, unde hoc probabunt etiam de Domino, cum sanctorum qui obdormiuerant, corpora resurrexerunt, & multis apparuerunt? Nimirum sua quisque forma à notis suis agniti sunt.

Responsio.

Multae sunt causae, propter quas oportet resurgentes, sua quaeque forma resurgere primum ad ostendendam singularem diuinamque dei potestatem, quod possit in tam innumerabili resurgentium multitudine, sua cuiusque forma seruari. Deinde ne putetur cedere novos homines, ac non mortuos excitare, propterea oportet ut resurgentes habeant suam quisque formam. Ignoratis enim formis eius qui intulit, & eius qui passus est iniuriam, perit aequitas iudicij. Praeterea si abolitis uisibus, propter quos necessaria est formarum uarietas, ea superuacanea & inutilis reperitur, superuacanea est & inutilis etiam nominum diuersitas. Qui fit ergo ut diues Abrahamum & Lazarum nomine uocet, cum ex nominum diuersitate non cognoscantur facies? Iam illa de Lazaro & diuite narratio, nec parabola est, nec historia: siquidem parabola, sermo est similitudinem habens rei praeteritae ad futuram. Historia uero, sermo narrationem continens iam factae rei. Nec enim ante resurrectionem sua cuiusque digna factis praemia soluunt, neque post resurrectionem uerum est illud, Habent Mosem & prophetas, audiant eos. Est autem haec de Lazaro & diuite narratio, illustris & euidentis sermo, quo docetur non posse post animae ex corpore exitum, homines ulla prouidentia aut studio assequi ullam utilitatem.

Quaestio 61.

Si solus immortalis deus est, authore Apostolo, quomodo uerum est quod idem ait, Non omnes obdormiemus?

Responsio.

Solus habere immortalitatem dicit deus, quoniam non habet eam ex uoluntate alterius, sicut reliqui omnes immortales, sed ex propria substantia.

Quæstio 62.

Si quarta die facta est creatio luminarium, & à luminaribus pendet dierum numerus, nõne tres dies qui fuerunt ante productionem luminarium, anticipem ostendunt numerum dierum qui fuerunt post productionem luminarium? Responsio.

Ex productione lucis facta est distinctio lucis & tenebrarum, & ex distinctio lucis & tenebrarum cõstitit dies & nox. Ante creationem luminarium, dominatus lucis efficiebat diem: tenebrarum uerò, tenebras, siue noctem. Sed postquã facta sunt luminaria, perfecta sunt alterum luci & diei, alterũ tenebris & nocti. Opifex enim lucem cum definito ei dominatu, maiori luminariũ cõmisit: ac quales dies nunc facit lux cũ luminari, tales faciebat etiã ante creationẽ luminariũ, secundũ terminũ dei, qui ei dominatũ definiuit horarũ x. qui terminus solem impellit ad motũ x horarũ mēsurā definitũ.

Quæstio 63.

Quoniam uariè & obscure interpretati sunt nõnulli illud, In sole posuit tabernaculum eius, enucleato tu. Responsio.

Diximus suprã, in diuinis literis solere uocari coelos aut rem ipsam, ut primum cœlum & firmamētum, aut aeris spatia. Igitur cum dixit, In sole posuit tabernaculum eius: uoluit dicere, coelos posuit tabernaculum solis. Nam translatio ex Hebraica lingua in Syriacã sic habet: In eis posuit solis tabernaculum. Hoc declarat etiã in alio psalmo propheta Dauid, dum dicit, Qui extendit cœlum tãquam pellem: nam pellium extensio, tabernaculum efficit. Igitur uarietate substãtiarum & diuersitate usuũ ostendit eos esse genitos. Nam ingenita natura ab ingenita natura secundũ naturã nõ differt. Tale autem aut tale esse propter utilitatẽ, alienũ est ab ingeniti natura.

Quæstio 64.

Si quemadmodum fuit Ionas in uentre ceti tres dies, ita & Christus in corde terræ, nõne Domini mors opinione fuit: Ionas enim cum non esset mortuus, putatus est mortuus. Sin Dominus mortem uerè passus est, nõne falsum est exemplum Ionæ?

Responsio.

Non mortem cum morte cõparauit, sed triduanam in sepulcro mansionem seruatoris, cum triduanam in ceti mansione Ionæ. Alioquin si simile esset exēplum Ionæ & seruatoris, non posset illud esse huius typus & imago. Oportet ergo ut ueritas plus aliquid habeat quàm typus, secundum dictum illud: Hic plus est quàm Ionas. Intelligitur autem Ionas fuisse uerum exemplum Christi, hoc pacto, quòd quemadmodum Ionas habuit exitum ex ceti post triduum, quo

quo signo fides fieret eum à deo missum esse præconem euerfionis Niniuitarum, sic & seruator habuit resurrectionē ex sepulcro post triduum, quo signo fides fieret, eum missum esse à Deo præconem regni cælorum.

Quæstio 65.

Quandoquidem nonnulli, Domini traditionem tertia die fuisse dicunt, ex magnitudine eorum quæ tum facta sunt, hoc conijcetes, quomodo demonstrari potest quo die traditus fuerit?

Responsio.

Christum non tertio, sed quinto die, traditum fuisse, sic ostendi potest. Qua nocte traditus est, eadem à pōtificibus & senatoribus iudicatus & damnatus est. Matutino autem quod noctem illam secutum est, tradiderūt eum Pilato: ac quo die eum accepit Pilatus, eodem crucifixit. Accepit autem eum manè diei Præparationis, & eiusdem diei hora sexta crucifixit. Itaq; nō debet horis scripto definitis id addi quod incertum est. Dicit enim Matthæus euangelista in hunc modum: Vbi mane fuit, consilium ceperunt omnes pontifices & senatores populi contra Iesum, quomodo eū interficerent, eūq; colligarunt & abduxerunt, & tradiderunt Pontio Pilato prætori. Similiter & Ioānes euāgelista dicit: Ducunt Iesum à Caiapha in prætorium: erat autem mane. Et rursus: Pilatus ergo cum audisset hæc uerba, duxit foras Iesum, seditq; pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotū, Hebraicè autem Gabbatha: erat autē Præparatio paschæ, hora circiter sexta. Igitur si noctu traditus est, & iudicatus à pontificibus atq; condēnatus, manè autē traditus est Pilato, & sexta hora Præparationis crucifixus, perspicuū est quinto die fuisse traditionem.

Quæstio 66.

Quoniā dominus seipsum perpetuò filium hominis masculino, nō fœminino genere nominat, ideoq; conantē infideles ostēdere eū natū esse ex cōiugali cōiunctione, quoniā hominis nomen sit uiri, nō fœming, quibusnā rationibus inane maledictū hoc refellemus?

Responsio.

Si ex coniugali coniunctione natus fuisset Dominus, non dixisset scriptura, Vt putabatur filius Iosephi. Nam Putabatur, de ijs qui ex coniugali coniunctione nascuntur, dictum esse non potest. Iam uerò propter unam obscuram curtamq; uocem, euertere omnes illas uoces quæ apertè tradunt Christum ex Spiritu sancto & Maria uirgine natum, absurdissimum est. Ad euertendum autem eorum uanum conatum, huiusmodi rationibus utemur. Si quia non dixit, se Christum filium hominis fœminæ, propterea non est filius hominis fœminæ: sequitur, ut quia nō dixit se filium alicuius

hominis, nō sit filius alicuius hominis. Quòd si non est alicuius hominis filius, necesse est ut nec hominis sit filius. Itē si quēadmodū filius Eli dictus est Ioseph secundū legē, citra cōiugalē coniūctionē quòd deus hoc modo uoluerit dare Iosephū filium Eli, quid absurdum est si sic etiā dedit filiū Iosepho citra cōiugalē coniūctionē? Huius em̄ causa ita rē moderata est diuina gratia, ut uirgo desponderet uiro, qui duos patres habuerat, unū secundū naturā ex cōnubiali cōgressu, alterū secundū legē sine cōnubiali cōgressu: in illius generatione adumbrans Christi generationē, qui ex spiritu sancto natus est filius deo, ex uxore autem Iosephi filius Iosepho. Spiritus sanctus, inquit, inuadet te, et uirtus Supremi inumbrabit te. Itaque quod ex te nascet sanctū Domino, uocabit filius dei. Enim uero si quod natum est ex uxore Eli, filius est Eli secundū legem dei, multo magis ex uxore Iosephi, deo ita uolente, filius est Iosephi citra cōiugalem congressum.

Quaestio 67.

Cum Esaias de Domino uaticinans, dicat: Eius genus quis enarrabit; utrum de genere difficili enarratu, an de inenarrabili; aut de diuinitate, an de carne, accipienda sunt haec uerba?

Responsio.

Christi genus secundum carnem exponitur, eiusq; modus in literis enarratur, uidelicet ex spiritu sancto & uirgine Maria. Sed eius genus secundum diuinitatē nō commemoratur, ideoq; est inenarrabile. Ostendit ergo prophetica uox ineffabile, aut effatu difficile esse genus eius.

Quaestio 68.

Si sanguis hominis non est anima, quia illo effuso perit animal, quibusnam rationibus & exemplis ostēdetur animam esse in corpore, aut aliud quod creaturæ sit inuisibile?

Responsio.

Qui habent uoces opificis creaturæ, quæ animam distinguunt à corpore, nō debent quærere certiora his exempla ad probandam quaestionis ueritatē. Nam quod dedit diabolo potestatē cædendi arbitrato suo omnem corporeā Iobi constitutionem, & ueruit tangere eius animā, ostendit incorporeā animā, quæ sit aliud quiddam quàm eius cæsa caro. Similiter & illud, Ne timete eos qui interficiunt corpus, sed animam non possunt interficere: declarat esse aliquid sublatis hominis, quod immortale permaneat etiam post mortem corporis. Itaq; absurdum est dicere, sanguinem effusum atque corruptum, esse animam, ex quo perspicuum est, animam rem esse suapte natura hominibus inuisibilem.

Quæ

Quæstio 69.

Cur septenarius numerus mutationem admittit? Etenim in Sab-
bato ut plurimū mutatur aër, & hominis ætatis progressio in hoc
numero capit incrementum, dentibus VII mense nascentibus, & an-
no VII mutātibus, ijsq; annis geminatis, homine feminis uires ad-
piscente. Atq; ut in pauca conferā, septenarius numerus et augmen-
tum & finem hominum efficit, & morborum dijudicationē facit:
& in lege, uenerabilior est reliquis numeris. Responsio.

Pro naturæ uiribus perficiuntur opera naturę, non pro tēporis
statu, qui septenario mensū aut annorū numero sit definitus. Itaq;
quæ opera naturæ in quęstione nominata sunt, ea sepe uel celerius
uel tardius septenario numero perducit ad perfectionem suam na-
tura: id quod non fieret, si natura septenarium, ac non septenarius
naturam sequeretur. Igitur non septenarius causa est absolutionis
operum naturæ, sed uis naturæ causa est septenarij, secundū quam
uim addiuuat septenarius naturam ad opera sua perficienda. Simi-
liter & de alijs numeris mensium & annorum, quibus absoluitur
opus naturæ in reliquis animalibus & stirpibus, naturæ uis causa
est temporis uel paris, uel longioris, uel breuioris. Est autem in di-
uinis literis septenarius numerus uenerabilior quàm ceteri, quoni-
am in eo concluditur omne tēpus et creationis mundi, et requietis
eius qui eum creauit, quæ creatio fuit septem dierum: quies autem
unius. Ut ergo retineretur memoria creationis mundi inter homi-
nes, statutū est in diuinis literis ut septenarius numerus in maiore
honore habeatur quàm cæteri. Quæstio 70.

Si de donis gaudere & exultare uetatur, quoniam id superbiam
efficiat, animi uerò demissio & modestia, ijs qui dona acceperint,
præcipitur à diuinis literis, nonne eis inutilia sunt dona, cū eis sen-
sum præbere nequeant præsentis boni? Responsio.

Gaudere de donis cum superbia, uetat, quoniam id impediât
quominus bene gaudeatur. Sed gaudere cum modestia, nō modo
non prohibet, sed cōtrā, ad tale gaudium adhortatur, modo dum
dicit seruator, Gaudete quòd nomina uestra scripta sunt in cœlis.
modo dū ait apostolus, Fratres gaudete in Domino semper: iterū
dicam, gaudete, modestia uestra nota sit omnibus hominibus. ge-
minando gaudete, intensiōem gaudiij ostendit. Ergo nec gaudiū
tollit modestiā, nec modestia gaudiij sensum, sed alterum ab altero
seruatur.

Quæstio 71.

Quando quidem nonnulli de mundi constitutione coniectan-
tes, dixerunt tantum sex millia annorum duraturū, an hoc euiden-
tibus

tibus exemplis ostenditur: & an ex diuinis literis sit, an uerò incertum, discamus.

Responsio.

Licet ex multis literarum locis conijcere, eos uerum dicere, qui dicunt tempus presentis status mundi, esse sex annorū millia: dum modò dicunt literę, Vltimis hisce diebus allocutus est nos in filio: modo illud, In quos fines seculorū deuenerunt: modò, Postquam uenit plenitudo tēporis, quæ omnes eiusmodi uoces, dictę sunt in sexto millenario.

Quæstio 72.

Si tū alienus ab inuidia ostendit homo, cū qđ boni facere scit, id si fieri potest, gratificat proximis: nōne inuidus est deus, qđ cū potuisset omnes facere deos, nō fecerit, cū bonū sit deo? Quod si inuidus nō est, sed id nō fecit quia nō potuit, duorū * necesse *

Responsio.

* largientibus proximis quę bona facere possunt aut sciūt. Quod enim deo proximū est, non eget deo qui ei præbeat aliquid. habet enim in omnibus tantū, quantū ipse deus. Pręterea si deos tantum fecisset deus, mundū nō fecisset. Necessariò enim indiget mundus partibus, quæ positu alię alijs superiores aut inferiores, inter se differant. Ad hæc si impossibiliū nihil sit, & impossibile est fieri deum (incretus enim & infectus est deus) nōne ineptū est dicere, deum inuidū, quia nō faciat quæ fieri nequeūt. Itē bonū est deus, quoniā increatus est & creator. Nihil autē eorū quæ creata sunt, re ipsa potest fieri increatum, hoc est deus. Ac uideť hæc quæstio similis ut si quis dicat, Bonus est oculus, & uenerabilior pedibus. Enim uero si nō inuidus est deus, cur non pedes fecit oculos? Infert enim hæc ratio eandem ineptam absurditatē, deum aut propter inuidiam, aut propter infirmitatem, non fecisse pedes oculos.

Quæstio 73.

Si tum bonū apparet bonū, cum cōparatur cum malo, & bonū est mundus, sequitur ut malum sit non mundus, hoc est quod fuit ante mundum. Quod si ambo sunt à deo, uidelicet quod fuit ante mundū, & mundus, nōne utrunq; est ab eo, uidelicet bonū & malum? Sin alterū est ab eo, alterū non itē, nōne per se est, et non sub deo, id quod ab eo non est? Aut quomodo uerū dicit, qui dicit ab eo esse omnia? Nam in omnibus continent & quæ antea nō erant, & quæ nunc sunt.

Responsio.

Malum nihil aliud est qđ euersio boni: itaq; posterius est bono malū, quippe quòd sit euersio boni. Sed hoc manifestū est, non ex collatione mali bonū uideri bonū, sed ex sua ipsius natura. Quod autē ante mundū nō erat, omnino non erat, nec bonū erat nec malum:

um: itaq̄ cum eo quod sic non erat, nihil confertur. Item quod omnino nō est, id nec à deo est, nec ab alio, nec à seipso. Ante mundū ergo nihil erat nisi Deus. Cum sit igitur collatio eorum quæ sunt cum ijs quæ non sunt, nō confertur mundus cum non mūdo, neq̄ in mundo continetur non mundus. Nam non mundus nihil est: at quod cōtinetur, est aliquid. Et cū dicimus ex nō ente deum fecisse omnia, nō ponimus id esse quod nō est, sed id qđ nō est, prorsum tollimus.

Quæstio 74.

Si quia gentilismus à Christianismo uictus est, spem non habet gentilismus reparationis, qui fit ut uicta olim à gentilismo uera pietas, nunc reparari potuerit. Nam ante errorem uiguisse ueritatem, testantur diuinæ literæ, dum ostendunt Adamum & multos deinceps post eum nō idolis, sed deo seruiuisse, etiamsi eorum nonnulli uitiōsis factis explorati fuerint.

Responsio.

Si præsentis status finis est igneum iudicium in impios, ut aiunt scripta prophetarum & apostolorū, itemq̄ scripta Sibyllæ, quemadmodum ait beatus Clemēs in epistola ad Corinthios, fitq̄ id iudicium per Iesum Christum à Iudeis crucifixum, perpetuò regnantem in Christianos infinito regno, quod ei secundum prophetam Danielem datum est, sequitur ut nullam spem reparationis habeat gentilismus. Nam si qua potestate imperabat gentilismus populo dei, eam abolitam nō potuit recuperare, nōne frustra nunc sperat instaurationē ueteris suæ potestatis. Cuius uerò causa sperat gētilismus ueteris suæ potestatis instaurationem: omnino ut tormentis cogat Christianos desistere à cultu & fide filij dei, dæmonumq̄ superstitionem attēdere atq̄ sequi. Enim uero hæc tormenta quibus & antè usus est gētilismus, sperās hac ratione sese conseruari posse in integro, & gentilismum aboleuerunt, & Christianismū firmiter stabiliuerunt.

Quæstio 75.

Si * corporū resurrectionis anima * premia non
reportat * examine usq̄ ad resurrectionē. Responsio.

Non quē habēt animæ hic cum corpore statū, eundē habēt etiā postq̄ hinc ex corpore exierūt. Hic enim omnia que unitatis sunt, cōmunia sunt iustorū & iniustorū, nec ulla est in eis huius rei differentia, qualia sunt nasci et mori, ualere et egrotare, diuitē aut pauperem esse, et alia his similia. Sed post exitum ex corpore, statim fit iustorū & iniustorū discrimē. Ducunt enim ab angelis in loca se digna: uidelicet iustorū animæ in paradīsum, ubi congressio & aspectio est angelorū & archāgelorū, adde & cōspectū seruatoris Christi, ut est in illo: Peregrinātes à corpore, & uersantes apud Domi-
num

num. Iniuſtorum autem animæ ducuntur in inferni loca, quemadmodum de Nabuchodonofore Babylonis rege dictum eſt: Infernus infra exacerbatus eſt, occurrens tibi, &c. atq; ita cuſtodiuntur in locis ſe dignis uſq; ad diem reſurrectionis et remuneratiſ.

Quæſtio 76.

Si ante reſurrectionē non eſt operum remuneratio, quānam percepit utilitatē latro, eius anima in paradifum ducta: præſertim cum paradifus ſit ſenſibilis, at animæ ſubſtantia non item.

Reſponſio.

Profuit latroni in paradifum intrare, quod redidifcit fidei utilitatē, per quam aſſecutus eſt ſanctorum ſocietatem, in qua cuſtoditur uſq; ad diem reſurrectionis & remuneratiſ, habetq; paradifi ſenſum eo ſenſu qui mētis appellatur, quo uident animæ tum ſeipſas, tum ea quæ ſub ipsis ſunt: & præterea angelos & demones. Non enim cogitat nec uidet anima animam, nec angelus angelum, nec demon demonem: ſed eo quem dixi mētis ſenſu uident & ſeipſos & alios, & inſuper omnia corporea.

Quæſtio 77.

Si auxilio ſenſuum corporis, ſenſibiliū anima ſumit ſenſum, ſenſibilia autem ſunt bona & mala, nōne inſenſibilis eſt anima à corpore ſeparata: Quod ſi inſenſibilis eſt, certe necata eſt: nam mortuorum & uiuentium differentiam diſcernit inſenſibilitas & ſenſus.

Reſponſio.

Omnes create & rationales res duplas habent cōprehendentes facultates, uidelicet ſenſilem & mentalem. ſenſilem quidē, qui comprehendunt et ſeipſas, et alię alias: mentalem uerò, qua cognitionē accipiunt eius quod eſt ſupra ipſas. Non ergo auxilio corporis ſenſum accipiunt animę ſenſilium, ſed ipſa anima ſenſum præbens, ſua præſentia ſenſile reddit animal, ita ut & animal ipſum ſit ſenſile, & ipſa ſit ſenſilis, nec unquā mortua fiat anima. Nam mori, eſt rei animatæ, nō animę. Itaq; auxilio corporis eget ad ſenſilium cōprehentionem res animata, et animatio non anima. Aliud eſt enim animatum, aliud anima: aliud quod cum re, aliud quod re eſt quod eſt.

Quæſtio 78.

Si Dauidem ſecundum cor ſuum eſſe pronunciauit Deus, qui factum eſt ut poſtea adulterium cędemq; patrauerit idem propheta: Et ſi hæc Deo, ut mala, inuiſa ſunt, cur Deus propheta genus adultera conſtituit, effecitq; ut Domini Chriſti genus ad eam referretur: Hoc cum ſic habeat, quomodo uera eſt ſcriptura, quæ dicit, adulterorum natos eſſe imperfectos?

Reſpon

Responsio.

Ergo David qui pœnitentia delicta sua correxit, propterea inuentus est ex animi dei sententia, qui non uult mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Ac quem adulterio procreauit David ex uxore Uriæ, eum necauit deus, quoniam adulterorum nati sunt imperfecti. Qui uerò post eum nati sunt, nō necauit, quoniam David illam post interfectum Uriam duxit uxorem. Ac benignè pœnitentiam honorans deus, in uxoris Uriæ progenie collocauit genus Dauidis, eademq; de causâ fecit ut ex ea Christus genus duceret.

Quæstio 79

Si omnium regum Israelitarum & Iudæorum ardentissimū religionis studium præstitit Iosias, qui simulachrorū columnas conuerterit, & unâ cum simulachrorum altaribus, gentilium ossa in cineres redegerit, & erroris lucos funditus extirpauerit, & eos qui in sacellis suffiebant ac sacrificabant, ab his faciendis cohibuerit, & diuinum cultū erexerit, effeceritq; ut populus festa legis (ut testatur literæ) magnificè perageret, & tamen gentili gladio uitam uolenter posuit, & eius nati captiui Babylonē abducti sunt, & in longam seruitutem addicti gentilibus, nonne propter hæc uerè dicere possint gentiles, quoniam in ipsorum numina ita deliquerit, eum in tam tristem exitum incidisse? ubi uerò reperiemus eum tantorū rectè factorum præmia accepisse? Ad quam uerò posterorū utilitatē literis proditæ sunt calamitates, quæ Iosiae & suis post tantam rerum præclarè gestarum magnitudinem acciderunt?

Responsio.

Tempus remunerationis eorum qui in religione res præclaras cum uirtute gesserunt, non est præsens, sed futurū, in quo præmia quæ eripi non poterunt, in sempiternum permanebunt hīs qui ea expectant. Tristem autem uitæ finem habuit Iosias, quia non obtemperauit Ieremiæ præcepto, qui denunciauerat ei iussu dei, ne exiret obuiam Aegypti regi in prælium, ut tradit ipse Ieremias. Vt igitur eum purum à peccatis ex uita reciperet dominus deus, propterea permisit eū gentili gladio dare pœnas huius inobedientiæ, ad docendos in posterum homines, ne prophetis non obediunt, tum etiam ad docendum quid sit illud: Si iustus ægrè seruatur, improbus & impius ubi comparebit? Iosie uerò filij si perseverassent in pietate patris, & tamen captiui fuissent, haberet locum dictum gentilium, quod quia deliquisset Iosias in simulacrorum numina, eius filij captiui fuissent. Sed si à pietate patris defecerunt, & ido-

lorum cultum asciuerunt, ac idola colentes, in captiuitatem abducti sunt, planè falsum est dictum gentilium.

Quaestio 80

Si nos erga omnes patientiam docent literæ, nōne lapsus est Elifæus, qui execratione pueros in ipsum contumeliosos necauerit? præsertim cū infantes mali ignaros ultus sit, & eis mortem à feris conciliauerit, propter solam in eum contumeliam.

Responsio.

Cū eorum patientia quibus sit iniuria, non emendantur qui inferunt, tum seueritas ijs qui sint inemendabiles, utilior est quàm patientia. Itaq; non est propheta culpandus propter seueritatem. Cū enim comperisset patientiam non præbere peccantibus sensum peccati, cumq; uoces illas, quas dicebant pueri, prophetā contumelia afficientes, à parentibus suis, qui semper infensi fuerant prophetis, didicissent (nam illud, Ascende calue, dicebant in contumeliam ascensus Eliæ, quasi dicerent: capiat te quoq; spiritus, & in montem inaccessum proiciat, ut & illum proiecit, ut liberemur te, sicut & illo liberati sumus) propterea occisione puerorum castigauit parentes, ut discerent non afficere contumelia prophetas, & per eos deum.

Quaestio 81

Si omnis error aduentu Christi sublatus est, qui fit ut per eos qui uentriloqui uocantur, dæmones loquantur? An non uilem & contemptione dignum efficiunt Christianismū, dum in Christianorum corpore & erroris opera monstrant, & uaticinationis oracula effantur?

Responsio.

Si quemadmodum dictum est, nondum ei omnia subiecta sunt, donec aboleuerit omnem principatum & potestatem, perspicuum est nondum abolitum esse omnem errorem dæmonum. Sed qui Christo crediderūt, in ijs omnis dæmonum error abolitus est: qui uerò Christo nondum credunt, in ijs efficiunt dæmones errorem. Et spectra quibus uentriloqui utuntur ad loquendum & faciendum, quæ sunt uaticinationis opera, non sunt uera corpora, sed perstringunt dæmones aspectus spectantium, ut corpora uidere uideantur quæ non sunt corpora.

Quaestio 82

Si dæmonum nomina literæ nusquam hominibus ostenderūt, quomodo ludæi dominum Beelzebul appellarunt, quasi cognito nomine, dicentes eum in eo nomine dæmones eijcere? Quomodo

item

item dominus ipse discipulis ceu dæmonis nomen cognoscentibus, dixit: Si patrem familiâs Beelzebul uocarunt? aut quænam est eius nominis interpretatio?

Responsio.

Quemadmodum esse dæmonas, ab ipsis dæmonibus discebant homines: ita & eorum nomina ab ipsis docti fuerunt. Primum enim sacrificarunt homines dæmonibus, deinde dixerunt diuinæ literæ: Sacrificauit dæmonijs, non deo. Et quemadmodum an sint dæmones, nihil uidentur dixisse literæ, & tamē dicunt: Sacrificarunt dæmonijs, non deo: ita de eorum nominibus cum nihil dixerint, dicunt nomina dæmonum Beelzebul & Beliar. Quænam, inquit, concordia est Christo cum Beliar? Quibus enim utebantur cantatores nominibus ad opera sibi proposita, ea necessario discabant homines ab eis. Nā qualis erat curationis modus, tali eos nomine nuncupabāt. Dicta est autem ab Origene horum nominum interpretatio in Hebraïcorum nominum interpretatione.

Quæstio 83

Si brutorum sacrificijs deus non delectabatur, quemadmodum & dixere quidam, & hic status docet, cur ante legē imperauit Noë sacrificare, maximē cum idolica sacrificia nondum fierent? Sin ijs delectabatur, cur post legem desit eorum usus?

Responsio.

Nemo eorum qui bruta immolarunt, sacrificiū deo ante legem diuino mandato fecit, etiam si uideatur deus id accepisse, eius acceptione ostendens sacrificatorem sibi esse acceptū. Quæ uerò mandauit Abrahamo sumere animalia trimula, itēq; arietem immolare, quem pro Isaaco obtulit, non fecit quasi eorum sacrificijs delectaretur, sed usus causa, quo futura præsignificaret. Noë uerò nusq; uidetur deus imperasse ut sibi brutorum sacrificium faceret.

Quæstio 84

Si donum eius duplum quod erat in Eliâ, obtinuit Elisæus, qui fit ut nec simpla nec dupla miracula fecerit, cuiusmodi sunt pluuia cohibere, fame terram præmere, ignem ad sacrificium de cælo deuocare, sacerdotes improbos iugulare, semicenturiones & cætera. Vnde igitur ostendetur Elisæum postulata sua & Eliæ promissa consecutum?

Responsio.

Non petijt Elisæus duplum spiritus ad efficienda eadem opera dupla, sed ut posset simpliciter perficere quæcuncq; à se facienda forent, cum maiore præsidio potentia. Quod autē in postulatis suis

non fuerit repudiatus, testantur facta ab eo miracula, quorū quaedam dupla, nonnulla simpla perfecit. Quod enim duos mortuos excitauit, alterum uiuens, alterum iam uita defunctus, ostendit duplicem abundantiam doni spiritus, quo pręditus erat in reliquis miraculis, si uti uoluisset. Atq; ab Elia quidem ad usum factū est olei incrementum, ab Elisæo uerò etiam ultra usum. Et Elias ignē deuocauit de coelo ad ulciscendos hostes; at Elisęus equos & equites igneos deuocauit de coelo ad auxiliandum Israelitis.

Quęstio 85

Si tum est perfecta resurrectio, cū perfectus resurgit homo, qui fit ut dicat post dominicam passionem scriptura, quod multa corpora sanctorum, qui obdormiuerāt, resurrexerint: quod quidē nō dixit de alijs, quos dominus suscitauit, ut Lazarum, & uia duæ filium, & Iairi filiam, sed absolutē dicit quod hunc aut hanc suscitauerit. Qui fit ergo ut in hīs solis meminerit resurrectionis corporum, & addat quod multis apparuerint: id quod maximę parati suspensionem spectri prębet. Et an re ipsa inanima resurrexerint corpora, & an postea uixerint, an statim decesserint, an immortalia maneant, & ubi, & quanam ad posteros ex illa re utilitas afferatur, doceto.

Responsio.

Si perfectam resurrectionem resurgentium hominū uocamus, cū animę remigrant in eorū corpora, non dubium est quin omnes & qui resurrexerunt, & qui suscitandi sunt, à domino perfecti resurrexerint. fieri enim non potest mortuorum resurrectio, quin anima migret in suum corpus. Siue igitur dicant diuinę literę, alia quę resurrexisse ex mortuis, siue corpora resurrexisse ex mortuis, oportet nos utraq; locutione perfectam resurrectionem intelligere, quę fit dum corpori redditur anima. Ac quemadmodum dum dicunt diuinę literę: Qui suscitauit dominū nostrum Iesum Christum ex mortuis, uiuificabit animas & corpora nostra, nec imperfectam dicunt resurrectionem, nec spectri suspensionem prębent, sed perfectam resurrectionis fidem: sic & cū dicunt, Surrexerunt ex mortuis multa corpora sanctorum, qui obdormiuerant, perfectam dicunt resurrectionem. Fuit autem horum sanctorum resurrectio, demonstratio

tem *
*
*
omnibus quę apud inferos erant
immortalitate, sicut Enoch & Elias, suntq; cum eis in paradiso, expectantes

peccantes æternam uitam, quæ uirtute resurrectionis Christi fiet immutatiõe, qua, ut ait diuinus Apostolus, omnes immutabimur. Nam in immortalem & incorruptibilẽ uitã nullius adhuc facta est resurrectio, præterq̃ Christi seruatoris. ideoq̃ primogenitus mortuorum, & primitiæ dormientium nuncupatus est.

Quæstio 86

Quid significat mina, ephi, nebel, gomor, siclus, basilicum, sanctum, stater, drachma, quadrans, monile, didrachmum, talentum, assarium, seraphim, bezel, sabaoth, adonai, ephod? Omnium enim nobis est necessaria cognitio, quandoquidẽ utraq̃ literis cõtinent.

Responsio.

Dicta est ab Origene, homine Hebraici sermonis perito, omnium quæ in diuinis literis feruntur Hebraicorum nominum, & mensurarum interpretatio. Illic omnium quæ quæ siuisti, interpretationem inuenies.

Quæstio 87

Si ante Baptistæ occisionem, dominus faciendis miraculis clarebat, ut ait Matthæus, eiusq̃ fama Iudæam totam peragrauerat, qui factum est ut post occisum præcursorem, audiens quæ fiebant à Christo miracula Herodes cum Iudæis, dixerit Ioannem esse qui in uitam rediisset, & signa illa ederet? Hæc enim nobis narrat beatus Marcus.

Responsio.

Quod non omnia à seruatore facta miracula, omnes qui audiuerunt, uno tempore audiuerint, sed alij prius, alij posterius, testatur uoces eorum qui dixerunt Ioannem esse authorem miraculorum, quæ facta sunt à seruatore post sublatum Ioannem. Nec enim hoc dixissent, si audiuissent facta à seruatore ante sublatum Ioannem miracula. Itaq̃ mirum non est, si Herodes quoq̃ post Ioannis occisionem, audit opera discipulorum Iesu, facta nomine Iesu. Tum enim audiuit Herodes nomen Iesu, cum misit Iesus discipulos suos in uicos & urbes, ad prædicandam pœnitentiam, curandosq̃ morbos, ut ait Marcus Euangelista. Nam & ipse Ioannes ante resuscitationem filij uiduæ, non audierat omnia quæ fecerat Iesus in Galilæa & Ierosolyma: tamen multa essent iam facta à seruatore miracula & ante & postq̃ cõiectus esset Ioannes in custodiam. Tunc enim misit discipulos suos Ioannes ad Iesum, ad discendũ an is esset qui uenturus expectabat, ut ait Lucas Euangelista * Euangelista illud.

Quæstio 88

Si quemadmodum & diuinæ docent literæ, & nos credimus,

peccatum genitus Christus non cōmisit, possunt ne uerum dicere eadem literæ, quæ cum iureiurando clamant neminem genitum esse qui non peccauerit, neq; natum qui non deliquerit. Omnis etiã infans qui uel uno tēpore & natus est & decessit, uel paruã uitę partē sortitus est, peccatū & delictū, aut his cōtraria, facere potuit.

Responsio.

Illud, Nemo genitus est qui non peccauerit, neq; natus qui non deliquerit, non ostendit esse falsum illud de Christo dictum: Peccatum non cōmisit. Nam de eo qui ex uiro & foemina sit natus, dictū fuit illud: at Christus ex spiritu sancto & sancta uirgine natus est. Est autem dictum illud sic accipiendum: Nemo est eorū qui natura peccant aut delinquunt, qui non peccauerit aut deliquerit. Peccat autem natura, qui suo libero arbitrio agit seipsum ad faciēdum quæ uult, siue bona siue mala. At infans cū nondum talem potestatem habeat, certē ne peccat quidem natura * erit à sordibus: sed nemo, si uel unius diei sit eius uita in terra: ullo modo * uita enim pro moribus * at infanti quemadmodum non sunt mores * neq; uita.

Quæstio 89

Si utensile quod uidit in uisione Petrus, habebat mundas uolucres, * quemadmodum nobis tradunt literæ, * omnia uox comprehendens ambo prædicta sicuti steterat, deinde immolare & comedere sine ullo discrimine iussus idem Apostolus recusauit. Nequaquam domine, inquit: nam nihil unquam profanum aut immundum comedi: nonne his uerbis ostendit se abhorre ab omnibus brutis, tanquam immundis, & eum reprehendere qui illa mactare permiserit, tanquam qui immundum cibum gustare iusserit?

Responsio.

Ex Petri responsione intelligimus quænam essent quæ in linteo erant, uidelicet sola immūda, neq; uox illa, Omnia, necessario continet etiam munda. Possunt enim omnia quadrupeda & uolatilia terræ dici etiam immunda. Illud autem, Nequaquam domine, nihil unquam profanum aut immundum comedi, respondit ad aspectum omnium quæ ei in linteo ostensa sunt, non de aliquibus. Igitur utensile in quo erant omnia uolucra & quadrupeda * per assumptionem dictum est impuri pro * in quo erant omnia immunda uolucra, & omnia quadrupeda terræ. Ac quemadmodum cū dicunt diuinæ literæ: Omnis uiri caput Christus est, uox, Omnis, non continet fidelem & infidelē uirum, sed duntaxat fidelem

fidelem: nam uir fidelis est corpus Christi, & Christus uiri fidelis caput dicitur: ita neque uox, Omnia, continet munda & immunda, sed immunda tantum, per quæ præsignificata est Petro assumptio immundarum gentium, quarum deus fide Christi, corda purgauit.

Quæstio 90

Si pia ratione moti patriarchæ, & sibi & natis uxores duxerunt ex cognatione sua, nonne contra pium maiorum scopum fecerunt Iosephus & Moyses, qui duxerint alter Ægyptiam, alter Madianitidem foeminam?

Responsio.

Patriarchæ ueriti ne à religione exciderent sui filij, non permisserunt eis ex gentilibus uxores ducere. At Iosephus & Moses ex pertes erant huius metus. Nihil ergo contra scopum patrum fecisse uidentur uel Moses uel Iosephus, ducendo gentiles uxores. Nam tantum absuit ut ipsi ab uxoribus suis abstraherentur à religione, ut etiã suas uxores ad religionem suam transtulerint.

Quæstio 91

Si ante delictum, Adamus nullius neque bruti neque rationalis animalis mortem uiderat, qui fit ut mortem quam non uiderat, tamè minante deo formidauerit? aut qui fit ut deus eam ignotam illi tantum quam notam minatus sit?

Responsio.

Si rationale eum appellamus qui habet in sese intelligentias eorum quæ à * significantur, non dubium est quin Adamus cum esset rationalis, haberet in seipso mortis intelligentiã. Ac què admodum cum non uidisset Adamus animal rationale uerecundari ob nuditatè suam, tamen nudatus uerecundatus est, quod habuisset in seipso uerecundiæ & nomè & intelligentiam: sic habebat in seipso etiã mortis intelligentiam, etiam si rem ipsam in alio nondum uiderat. Itaque merito formidauit mortè, cum intelligentia sua sciret eam esse uitæ contrariam.

Quæstio 92

Quandoquidem scriptura dicit iudicia, & iustificationes, & testimonia, & legem, & præcepta, & mandata, doce an hæc sint omnia idem: an singula propriam rationem habeant.

Responsio.

Iudicia dicit uerba quæ distinxerunt facienda à non faciendis, & obedienciæ honorem, & contumaciæ ignominiam decreuerunt. Iustificationes uocat iudiciorum æquitatem, quæ suum cuique tribuat. Legem autem, scriptam comprehensionem omnis Iudaici

cultus & morum. Testimonium appellat remunerationem eorum
 quæ gesserunt qui acceperunt * per benedis-
 ctionem & maledictionem, quam * Moyses tes-
 tificans dixit Iudæis euenturam ipsis obedientibus aut non obe-
 dientibus. Præcepta uerò & mandata dicit * uerbo-
 rum nominans uerba imperando aut mandando dicta, secundum
 pronuntiationem diuinæ authoritatis eius qui hæc præcepit aut
 mandauit.

Quæstio. 93

Si terga cœli contabulata sunt aquis, sicut ait scriptura, id quod
 nonnulli dixerunt esse factum propter igneam luminariū substan-
 tiam, ut cœlum pressum aquis incumbentibus, maneat inuictum
 aduersus subiectam luminarium flammam, quomodo uera dicunt
 qui hæc dicunt, cum luminaria non in cœlo, sed sub cœlo mouean-
 tur? Sin luminaria in cœlo esse dicimus, qui fit ut habeant motricē
 actionem, cum cœleste corpus immobile sit? Sin cum cœlo sidera
 motum accipiunt, nõne uera est eorum opinio, qui cœlum sphæ-
 ram esse perhibēt? Sin hoc non decet, sed quod iam dictum est de
 luminariis, credere consentaneum est, nõne inutilis est superio-
 rum aquarum constitutio? aut quidnam ea fiet in consummatio-
 ne mundi, cum supra iusti, infra improbi suorum factorum præ-
 mia ferent?

Responsio.

Etiam si sub cœlo sint luminaria, sed substantiæ igneorum actio
 natura sursum feratur, conuenientem causam habuerunt qui dixe-
 runt ad efficiendum ut permaneat firmamentum, aquis esse conta-
 bulata terga cœli. Neq; uerò hoc solum causa est ut sint aquæ in ter-
 gis cœli, quod inuictum persistat aduersus subiectam flammam lu-
 minarium, sed etiam quod deorsum urgeatur pondere multitudi-
 nis aquarum quæ sunt in eius tergo, nec agitetur uiolento impul-
 su uentorū: & quod ex eis summū frigus deorsum mittatur, à quo
 mixto cum summo calore solis, efficitur aerum temperatio, ad con-
 seruationem terrestriū animalium atq; stirpiū. At in cōsummatione
 mundi, non in hoc quod nunc est cœlo aut terra reportabūt actio-
 num suarū præmia homines, sed in nouo cœlo nouaq; terra, ut hæc
 bit dictū illud: Sicut cœlū nouū & terra noua, quæ ego faciā, mane-
 bit corā me in perpetuū. Itē: In principio tu domine terrā fundasti,
 & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt: tu autem perma-
 nes, & omnes sicut uestimentū ueterascent, & tanq; inuolucrum
 uolues eos. Item: Semel ego mouebo nõ solum terram, sed & cœ-
 lum

lum. Quod autem concutitur, declarat eius mutationem, ut maneat
ant quæ non concutientur immota.

Quæstio 94

Si cœlum conuolutum iri, & sidera ceu folia casura in terrã, præ
dicit dominus, nec non propheta his consona prænucciavit, nõn
ne perfectus firmamenti interitus illis uerbis ostenditur? Quæ est
igitur eorum uerborum mens, & quomodo possunt elementa con
sistere incorruptibilia?

Responsio.

Quemadmodum firmamenti creationẽ diuinæ literæ per simi
litudinem conferunt aliquando cum pellis extensione, dicentes:
Qui extendit cœlum sicut pellem: aliquando cum firmato fumo:
Cœlum, inquit, ceu fumus firmatum est: aliquando cum rotundia
tate cameræ: Qui extendit, inquit, cœlum ceu cameram: sic & eius
dissolutionem per comparisonem conferunt aliquando cum uo
lumine inuoluendo, aliquando cum elemento quod igni dissolua
tur, quemadmodum ait apostolus Petrus in secunda sua catholica
epistola: aliquando cum uestimẽto ueterascente. Necessè est enim
inductione melioris cœli quod recens fiet, tolli firmamentum, ut
inutile ad illum statum, ut eius interitu tunc saltem uana illa de in
creatione & incorruptibilitate cœli opinio * quicunq;
ingenitum & æternum * hunc dixerunt.

Quæstio 95

Si propter nostrum usum & utilitatem inducta est creatura, itis
demq; propter nostrũ usum alia corrumpuntur, alia incorruptibi
litate in fine mundi induent, ut iumenta quidem, & uolucres, &
feræ corrumpentur: cœlum uerò & terra corruptione liberabun
tur: & illa quidem corrumpentur, quia corpus nostrũ nullius in
digum resurget: incorrupta uerò manebunt quæ dixi elementa,
quoniam in eis reportaturi sumus factorum nostrorũ præmia: aer
& mare nõnne erunt inutilia, si tum manebunt incorrupta, cū nos
eis nec ad respirationem egebimus, nec ad ambulationem, nec ad
piscium esum, aut aliam aliquam opem, quod corpus, ut dixi, erit
nullius indigum?

Responsio.

Si autore apostolo Paulo, deus transferet figuram huius mun
di, non dubium est quin necessariò transferenda sint unà cum figu
ra mundi, etiam alia omnia quæ causa figuræ mundi facta fuerunt.
Inducetur autẽ nouum cœlum & terra, in quibus dabuntur iustis
& iniustis digna factis præmia. Aere uerò etsi ad respirationẽ tunc
non

non indigebimus, at ad motum quidem, & loci mutationē, eo necessario utemur. Rapiemur enim, inquit, in nubibus obuiam domino in aerem.

Quaestio. 96

Nisi * ex sententia bonis à deo laus * pueri qui
ab Herode propter * sublatis sunt & * cum in iu-
mento sedens * offendit hymnum canta * habent
merito debitum * & illi caedem qua praeter sententiam
affecti sunt. Et non sententia sua, sed diuino munere Ierosolymae
hymnum illum elocuti sunt.

Responsio.

Si dei donum est pro Christo pati (uobis, inquit, donatum est non solum in eum credere, sed etiam pro eo pati) & passi sunt infantes pro Christo, sequitur ut donati sint diuino munere. Quis ergo non merito laudet eos dono diuinæ gratiæ, laudatos à deo, qui ijs etiam quæ insciter rectè fiunt, laudem largitur. Praeterea si ad eorum laudem qui propter religionē affliguntur, reddit deus afflictionē ijs qui eos afflixerunt, necesse est etiam infantes ab Herode sublatis, laudari hac laude quæ tribuitur ob uindictam afflictionum. Æquum est, inquit apostolus Paulus, ut à deo rependatur ijs qui uos afflixerint, afflictio: uobis uerò qui affligimini, requies nobiscum in eius regno.

Quaestio 97

Si gratia ideo uocata est gratia, quòd delinquentibus paratius ignoscit quàm lex, qui fit ut quæ gratiam deceant, in lege magis reperiantur: Hæc enim expiationibus quibusdam, & sacrificijs, & diuersis lotionibus, labentes quotidie soluit à culpa: gratia uerò unã duntaxat lotionem largitur. Iam si semel duntaxat delictis laberemur, semel duntaxat etiam uenia egeremus. Nunc sæpe peccantes, non dubium est quin sæpe uenia egeamus, id quod non gratia, sed lex supra dictis expiationibus & cæteris præstare scit. Quomodo igitur ostendetur gratia clementior in peccantes, quàm lex, cum res sic habeant ut dictum est?

Responsio.

Eiusmodi delictorum ueniam confert lex lotionē & sacrificio, quæ delicta nullum detrimentum afferunt moribus & uitæ hominum, cuiusmodi sunt tangere mortuum, aut leprosum, aut aliquid tale. Sed aliorum delictorum quæ moribus aut uitæ hominum detrimetosa sunt, non præstat lex ueniam neque lotionē, neque brutorum sacrificio, sed iustam dignamque mercedem soluit delinquentibus

tibus, eos pari pœna plectendo: uitam pro uita, inquit, oculū pro oculo, dentem pro dente. Vbi uerò talione agi non decet, ibi igne, aut lapidibus, aut gladio fontes plectit. Nam sacerdotis filiam scortatam, igne conficit: profani uerò hominis, lapidibus; maritum autem, gladio: nec usquam potest lex clementia per lotiones & sacrificia seruare ullum talem. At gratiæ magna uis est ad condonandum peccantibus. Hæc enim etiam uigente lege, nisi Dauidem regem in duo lethifera peccata lapsū, aperta ei pœnitentiæ porta excepisset, non ille in lege expiaticem peccatorū clementiam inuenisset. Hæc constituit in mundo probum peccatorum medicum, uidelicet pœnitentiam, quæ potest eis etiam qui septuagies septies deliquerint, mederi, dum modo uelint uti consilio pœnitentiæ.

Quæstio 98

Si dominus metum nō necessarium statuit, dum dicit: Qui metuit, nō est perfecta charitate: qui fit ut rursus idem discipulos metum doceat, dicens: Metuite eum qui & animam & corpus potest in geenna perdere?

Responsio.

Non à domino dictum est, Qui metuit, non est perfecta charitate, tametsi qui id dixit, secundum dominum dixit. Illud uerò, Metuite magis eum qui potest & animam & corpus in geenna perdere, non est dictum ad tollendam perfectam charitatem. Qui enim maiore metu dei minorem hominū metum tollit, id facit charitate dei, ut sit maior dei metus, ne excidat ex eo quod amatur. Quanti enim precij habetur id cui creditur, tantum amatur: & quantum amatur, tantum metuit amator ne ab eo excidat, quandiu est in certamine pro amato. finito certamine finitur unà cum illo etiam metus excidendi ab amatis: itaq; illuc usq; necessarius est dei metus. Non enim sicut odium tollit amorem, (eundem enim & amare & odisse non possis) sic & metus. Potest enim idē & amari & metui.

Quæstio 99

Si brutorum sacrificia deus in lege fieri præcepit, ut ihs homines honorem exerent quo eum prosequerētur, qui fit ut impij, quia immolarent homines, ostendantur esse minus pijs, quàm illi: quod quidem aiunt ab antiquis factum esse, ut maiorem honorē tribuerent ei quem pro deo habebant, dum eum rationaliū sacrificio honorarent. Quanto enim rationale honoratius est irrationali, tanto eius immolatio augustior est quàm illius. Atq; hoc ex Iephthæ facto clarius patet, qui cum filiam suam immolauerit, in epistola ad Hebræos ab Apostolo cōmemoratur in numero piorum.

Responsio

Responsio.

* considerare sacrificium quod deo
 secundum legem offeratur, quod irrationabilium sanguis est, sed
 quomodo id acceperit deus oblatum sibi. Si enim sanguinem brutorum
 oblatum sic accepit. * suam ipsius animam
 obtulit, qui eum * . non dubium est quin sacrificium

* a favore eius qui id sic accepit, & deus primū honorem.
 Quod autem tanquam suam ipsius animam offerret deo sanguinē
 brutorum is qui offerebat, testantur diuinæ literæ, dicentes: Pro
 anima offerentium sanguinem uictimarū suarum, offertur in san-
 cta sanctorum. Itaq; non ex natura uictimæ, sed ex affectione acci-
 pientis iudicandum est de sacrificij ordine, & de dei honore, qui
 quia parcebat hominum generi, uoluerit homines quotidiano sac-
 crificio immolando consumere, & eorum genus abolere, sed dede-
 rit ipsis hominibus crescere & permanere, eorumq; sacrificijs ma-
 ximum ordinē. At ij qui apud Gentiles colebantur dij, utpote qui
 dæmones essent mali, & hominū osores, gaudebant sacrificijs que
 genus hominum minuerent & abolerent, id quod iudiciū est uel
 maximum & gentilium deorum brutæ inhumanitatis, & ipsorum
 gentilium impietatis, qui abolitioni generis hominum magis, ut
 aiunt, uel potius turpissimè conarentur honorare suos deos. Cur
 autem Iephthae inter pios recensitus fuerit, causa est hæc: Petijt Ie-
 phthae uictoriam de hostibus, & pro hac uictoria uotum quo gra-
 tias ageret, imprudenter pronunciauit, sese immolaturum id quod
 sibi uictori ex pugna reuertenti, domo exiret obuiā. Cepit diabo-
 lus occasionem ex imprudenti uoto, & conatus est inde laqueum
 tendere Iephthae quo delinqueret. Itaq; impulit eius unicā filiam
 ut cum cithara ei obuiā domo prodiret, ut Iephthae à filia sese con-
 tinens, cogeretur uotum reddere irritum. Sed tamen quamuis ten-
 so laqueo, non est potitus præda diabolus, quod Iephthae pluris
 fecit uoti solutionem, quàm uitam filiae. Permisit autem deus illam
 immolari, non quasi humano sanguine delectaretur, sed quo docu-
 mentū statueret posteris ne unquam imprudenter deo uota nuna-
 cuparent. Multa enim metuenda sunt absurda in huiusmodi uotis
 imprudentibus, quæ ne eueniant prospiciens deus, permisit im-
 molari filiam Iephthae, quod quidem non fuit antegressi confis-
 sionis erga deum, propterea eius facta est mentio in enumeratio-
 ne iustorum.

Quæstio 100

Si ad probandum ueram esse orthodoxorum religionē, dominus miraculorū donum eorum ecclesiis principio largitus est, cur cum hæretici, postquam in ipsis ecclesiis deum coluissent, ab ipsis orthodoxis defecerunt, non simul defecerunt ab ecclesiis diuina dona, sed falsa religio ecclesias inuasit: quæ uerò ad augendam rectam religionem à deo donata fuerant, ea etiam apud hæreticos in ecclesiis easdem uires habuerunt?

Responsio.

Si quidem per hæreticos uiuos aut mortuos, diuina gratia donis illis fungeretur, haberet ea res non absurdam dubitationē. Sin qui diuina miracula in ecclesiis edunt, sancti sunt apostoli, & propheta & martyres, quorū diuinis operibus testatur mundo deus illorum esse ecclesias, per quos miracula perficiuntur, hoc est orthodoxorum. *

Quæstio 101

Si omnis ratione præditus meditatione scientiam assequitur, scientiæ autem lex est minora præponere maioribus, id quod in ludæis apertius ostenditur, qui prius legis, deinde euangelij disciplinam acceperunt, nonne nos præposterè discimus, qui maiora doceamur ante minora: dico autem minora quæ sunt legis, maiora uerò quæ sunt euangelij. Cum sit enim eadem nostra & illorum natura, debebat & disciplinæ esse idem ordo, quandoquidē nisi in disciplinis antecesserint deteriora, impediuntur meliora.

Responsio.

Si quam habent illæ disciplinæ necessitatem, ut nisi præcesserit minorum disciplina, maiora impediuntur, eandem haberent nostræ, ineptè faceremus, qui præposterè disceremus. Sed cum possint disciplinæ nostræ etiam præposterè disci, nō est dubium quin liberæ sint ab illa necessitate. Quod autem à necessitate liberū est, id quamuis præposterè fiat, reprehendi non potest. Et hæc ad solutionem sophismatis quæstionis. Ad ipsam uerò quæstionem sic respondemus, quod ne nos quidem præposterè docemur, quin ut discabant apostoli primū legem, deinde euangelium, sic & nos docuerunt. Testantur hoc eorum uoces, quibus nunciarunt euangelium. Vbiq; enim ex lege Christū prædicarunt, ex primis posteriora, & ex minoribus maiora. Nam illud, Prophetam uobis suscitabit dominus deus uester, ex fratribus meis, similem mei: & illud, Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponā inimicos tuos; & illud, Non dereliquisti animā meam apud inferos,

D neq;

necq; caro mea uidit corruptionem: uoces sunt legis, quibus prænunciatus fuit Christus, quibus ipse quoq; Apostolus usus, Iudæis euangelium prædicauit. Ac quod ad disciplinam attinet, nihil inter euāgelia & legē, sed promissione & præstatione discrimen fuit. Quid enim est lex: prænunciatum euangelium, quid euangelium: impleta lex.

Quæstio 102

Si nihil nec superfluum, nec curtum fecit opifex in constitutione corporis nostri, cur tanquā superflua præputij pars Iudæis abscindebatur? Ad quid uerò utilem non in alia parte, sed in genitali membro circumcisionem acceperunt qui fuerunt ante aduentum domini Christi? Aut cur cū illi hanc ceu utilem acceperint, nos non itidem tali manuum opere utimur?

Responsio.

Quoniam propter senium suum, & liberæ coniugis, desperabat de suscipienda prole ex libera
 prolis ded *
 ter tempus ætatis fore patrem eius qui ei ex sterili uetula natus est
 filius, * ei deus sigillum huius *
 cumcisionē præputij, partis quæ propter senium ad gignendum erat inutilis, propter fidem uerò Abrahami ad gignendū facta est utilis. Transmisit autem circumcisionē hanc ad uniuersum genus, quod ex genito præter spem patre ortum est, ad sempiternam memoriam & fidei Abrahami, & potestatis dei, uiuificātis mortuos, & uocantis quæ non sunt tanquā sint. Circumcidimur autem nos quoq; circumcisione Christi per baptisma, exuentes Adamū, per quem peccatores facti, mortui sumus: & induentes Christum, per quē iustificati, resurgimus ex mortuis, in quo, inquit Apostolus, circūcisi estis circūcisione nō manu facta, exutiōe corporis uestri.

Quæstio 103

Si qui iussus est facere quantum potest, laudem aut uituperationem in faciendo aut non faciendo assequit, certè qui non fecit quæ sunt supra uires, quippe quæ fieri non possint, accusari nō potest. Qui fit igitur ut lex ea iubens quæ sunt supra uires, uidelicet non peccare, peccantē poenis subiiciat, cū homo legem implere nequeat? Testatur hoc Apostolus, dum ait: Non iustificabitur ex operibus legis ulla caro.

Responsio.

Quod omni homini impossibile est, idem & alicui homini impossibile est: ut uolare in aere aquilæ ritu, est alicui homini impossibile

sibile, quoniam omni homini est impossibile. Rursum quod alicui homini possibile est, ut nauigare, idem omni homini possibile est. Sed si, ut aiunt diuinæ literæ, aliqui sub lege fuerunt iustitia irreprehensibiles, certè omnibus sub lege degentibus erat possibile simili modo fieri iustitia legis irreprehensibiles. Dicit enim beatus Paulus apostolus de seipso, iustitia legis se fuisse irreprehensibilem. Beatus uerò Lucas euāgelista dicit de Zacharia & eius uxore Elisabetha, fuisse ambos iustos corā deo, ambulantes in omnibus præceptis & institutis domini irreprehensibiles. Quid autem est tota legis iustitia? Diligere deum plus quàm seipsum, & proximum ut seipsum, quod quidem nō est impossibile hominibus uolentibus. Quod dicit igitur non iustificari ex lege carnem ullam, non dicit quia non possint impossibilia, sed quia nolint possibilia. Voluntate enim ad possibilia utimur, non ad impossibilia. Possibilibus enim & in nostra potestate positis, uel laus factis, uel uituperatio non factis tribuitur. Peccare autem homines quia bonum non eligant, non quia non possint, indicio est, quòd nō omnes homines in omne peccati genus cadūt, sed alij in aliud, & alij in plura, alij in pauciora, alij in nullū, quales fuerunt quos modo diximus iustos: quod certè nō accideret hominibus, ut aliquo peccati genere peccarent, alio nunquam, si infirmitate naturæ, ac non consilio & uoluntate sua peccarent.

Quæstio 104

Si lex in criminibus pœnitentiæ locum ijs non dat qui peccarunt, sed eis ineuitabile periculum creat, nonne propheta David commisso adulterio & homicidio, ueniam contra legem adeptus est? Quòd si uenia bona res est, cur lex nullam ueniam dat? sin mala (quod non puto) qui sit ut bonorum autor rem malam prophetæ largitus sit?

Responsio.

Si lex in criminibus pœnitentiæ locū ijs non dat qui peccarunt, qui sit ut in nonagesimaseptima quæstione lex præposita sit gratiæ, tanquam faciliior & clementior ad dandam peccatorū ueniam fontibus, quos singulis diebus lotionem & brutorum sacrificio absoluit à culpa? Nunc in proposita quæstione gutta nulla clemētiæ relicta est legi, sed ei adiuncta est inexorabilitas, quæ peccanti periculū creet ineuitabile. Atq; hæc quidem dicta sint ad incogitantiam & quæstionum pugnantiam. Ad quæstionē uerò sic respondimus. Licet sit lex inexorabilis, at gratia quidem pœnitentiam dedit fonti. Nam illud, Manus uestre plenæ sunt sanguine: ue-

rùm lauamini & puri efficiamini: & si fuerint peccata uestra tam rubra quàm est coccus, reddã tam alba quàm est nix: item illud, Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat, uoces sunt diuinæ gratiæ, peccatores uocantes ad legis facilitatem, adepturos pœnitentia ueniam cõmissorum. Est igitur uenia bona, & diuinæ gratiæ donum, sed ea neq; secundum legem, neq; contra legem est, sed supra legem & pro lege: supra legem, quia gratia: pro lege uerò, quia per pœnitentiam ducit fontes ad legis facilitatem, sicut & Dauidem.

Quæstio 105

Si cunctis hominibus propter infirmitatē naturæ necessarium est precum auxilium, & ea necessitas non inest domino Christo, quippe domino & uiribus prædito, quæ ad omnia sufficiant, cur produnt literæ Christum sæpius orasse quàm apostolos?

Responsio.

Quemadmodum esuriuit dominus, & sitiuit, & laborauit, & lacrymauit, & sudauit, licet quibus præditus erat uiribus posset nihil horum sustinere, sed ut indicium præberet humanæ suæ naturæ, ultro sustinuit infirmitates naturæ, sic & precatus est propter eandem causam. Si enim cum sua sponte sustinuerit infirmitates naturæ suæ, tamen audent dicere quidam eum non esse nostræ naturæ, nõne idem cum multo maiore argumento dicerent, si nunquam deum & patrem orasset? Et quia de apostolis nulla fuit dubitatio an homines essent, de seruatore uerò futura erat dubitatio, propterea tradunt diuinæ literæ eum etiam sæpius orasse quàm ceteros homines. Si enim superatis resurrectione infirmitatibus carnis, ut pontifex confessionis nostræ deum pro nobis interpellet, nõne magis cum adhuc subiaceret infirmitati carnis, egebat magno ualidoq; clamore & lachrymis, cum quibus preces offerebat ei qui eum à morte tueri poterat?

Quæstio 106

Si omnium hominũ eandem habet caro, eandem & anima substantiam, qui fit ut alius sit ignauus, alius ad cogitandum acutior? Quod si anima causa est huius differentiæ, necesse est animarum substantiam esse diuersam, pro diuersitate cogitationis. Sin caro, eadem & de hac ratio quadrat. Sin ex redundantia aut defectu alius cuius humoris, ut sicci, aut humidii, aut calidi, aut frigidi, alterum altero fit ualentius, quæ res amentiam creat aut sanam mentem, undenam aut quomodo oritur huiusmodi qualitatis uigor, qui efficiat ut in nobis plus sit uel mentis uel amentiæ?

Responsio

Responsio.

Acuminis aut tarditatis mentis causam tradiderunt quidam, temperiem & intemperiem elementorum, ex quibus composita sunt nostra corpora: itemque organicarum partium moderationem: & uidentur recte tradidisse horum causas. Sunt enim nonnulli in iuuentute tales, ut cogitationes acute pariant & percipiant: iidem in senectute mutantur in contrarium, fiant ad cogitandum ignaui, id quod iudicium est, temperiem & intemperiem causam esse talis participationis. Similiter & qui nimis magno sunt capite, qui dicuntur graucipites, quia non retinent modicam proportionem cum alijs corporis partibus propter nimiam uel paruitatem uel magnitudinem, inepti sunt ad pariendas aut percipiendas cogitationes. Fiunt & alij ad comprehendendas rerum naturas acuti & expediti, etiam a diuina gratia, ut habetur ubi dicitur: Dedit dominus Solomon tam amplum ingenium, quam est arena litoris marini. item illud, Alijs datus est per spiritum sermo sapientiae, alijs sermo scientiae.

Quaestio 107

Si ab infidelibus ad imposturam inuenta sunt carmina, & in lege introducta sunt propter animi puerilitatem, cur qui gratiae perfectam & ab illis modis alienam disciplinam acceperunt, carminibus utuntur in ecclesijs more puerorum legis?

Responsio.

Non canere simpliciter est pueris conueniens: sed cum inanis instrumentis canere, & cum saltatione & crepitaculis. Itaque in ecclesijs sublatus est ex carminibus usus talium instrumentorum, & aliorum pueris conuenientium, & relictum est canere simpliciter. Excitat enim haec res animum ad ardentem cupiditatem eius quod in carminibus canitur: sopit insurgentes ex carne affectiones: cogitationes malas expellit, quae nobis ab inuisibilibus inimicis iniiciuntur: irrigat animam ad ferendos fructus diuinorum bonorum: generosos reddit ad rerum aduersarum tolerantiam certatores pietatis, & omnium quae in uita accidunt rerum tristium remedium affert pijs. Paulus quidem gladium spiritus hoc nominat, ubi contra inuisibiles hostes armat milites pietatis. Est enim uerbum dei quod dum cogitatur & canitur & pulsatur, fugat daemonas
* perficientia animam in uirtutibus pietatis, dum pijs contingunt per ecclesiastica carmina.

Quaestio 108

Si ueniam allicit inuoluntaria imprudentia, sicut in literis docetur,

mur, qui fit ut antiqui Iudæi, qui Christum imprudentes crucifixerunt, plurimis & intolerabilibus malis affecti fuerint, sicut in libris de urbis excidio testatur Iosephus: itemque nunc qui eorum Christo non credunt, à patria extorres, in omnes terras disiecti sunt, & gentibus addicti in ignominiosam seruitutem, sicuti res clamat apertius quàm ulla columna: Atqui in utroque ignorantiam eorum ostendit & dominus, dum dicit: Pater ignosce eis, nesciunt enim quid faciant: & Apostolus dicēs, Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Et hæc de antiquis Iudæis. De recentioribus uerò: Testor, inquit, eos habere zelum dei, sed non secundum scientiam.

Responsio.

Cum inuoluntaria ignorantia eiusmodi est, ut ipsi ignorantes putent esse cognitionem, tunc euentus rei per ignorantiam factæ ostendit uterum uera sit cognitio, an error & ignorantia. Postquam autem euentu ostensum est, eam quæ putabatur esse cognitio, ignorantiam esse rei, si in eadem ignorantia perseverat is qui ignorauit, nullam sibi ueniam conciliat, sed ineuitabilem pœnam. Atqui quod ita crucifixerint Iudæi Christum, ut cognoscentes eum deo contrarium * habentes deum in eius occisione cuius perspicuum est. Non enim eum crucifixissent, si sciuisent futurum ut eum deus post mortem in uitam reuocaret. Excitatus autem ex mortuis à deo, ostendit eam Iudæorum quæ putabatur cognitionem contra Christum, esse ueritate ipsa ignorantiam. Ergo quoniam postquam resurrexit dominus ex mortuis, ostensumque est neque deum suffragatorem Iudæis fuisse in morte Christi, neque Christum sine resurrectione manere in morte, sicut sperabant qui eum crucifixerant, tamen manebant adhuc Iudæi in incredulitate, non erant uenia digni. Nam eius resurrectionem pecunia nundinari, & furto habere, & uetare quo minus apostoli in eius nomine perficiant diuina opera, quæ uirtute fiebant spiritus sancti, hæc, inquam, non sunt inuoluntariæ ignorantia, quæ sibi ueniam conciliet, sed cognitæ & uoluntariæ contra deum repugnantia, quæ pœnam asciscat. Si enim hac spe Christum crucifixerent Iudæi, ne obtineret eius doctrina, ne uel aboleretur Iudaismus, cum neutrum consecuti sint, nonne tollitur eorum inuoluntaria contra Christum ignorantia? Illud enim, Pater ignosce eis, nesciunt enim quid faciant, sic accipi debet: Si agnouerint me à se per ignorantiam crucifixum, peccatorumque ueniam petierint, concedito eis. Non enim datur uenia ei qui peccatum suum non peccatum, sed iustitiam

stitiam esse putat. Item Pauli dictum illud: Testor illos zelum habere dei, sed non secundum scientiam, mollius & extenuato crimine dictum est, dum ille infirmis sit infirmus, ut, quod dictum est, infirmos seruet.

Quæstio 109

Si resurrectionis donū omnibus mortuis deus se daturum esse promisit, & omnes ex sepulcris surrecturi, & coram iudice sistendi sunt, quomodo fiet quod dicitur, dominum iudicaturum mortuos & uiuos? aut quomodo iudicari poterunt mortui, quorum corpora in monumētis iacent, animæ à corporibus separatæ sunt?

Responsio.

Non omnes, inquit, obdormiemus. Iudicabit ergo uiuētes, hoc est, qui tum erūt superstites: & mortuos, hoc est, qui resurgent ex mortuis. Venit, inquit, hora, & nunc est, cum omnes qui in monumentis erunt, audient uocem filij dei, & exhibūt, qui bona fecerint, in resurrectionem uitæ: qui uerò mala fecerint, in resurrectionem iudicij. Debat ergo ex his dictis considerari rem fieri posse, ac non inepta dubitatio proponi.

Quæstio 110

Si relinquentibus patrem & matrem & natos etc. centuplum promisit dominus, ergo & uxores centenas accipient. Igitur cum multi illis propter præceptum relictis, decesserint pauperes, & soli ac deserti, nonne falsa est illa promissio?

Responsio.

Quemadmodum patres, & matres, & fratres, & sorores dicit eos qui familiari affectione Christum accipiunt, relictis parentibus, fratribus, sororibus: sic & uxorem dicit eam, quæ relictis propter Christum alijs, curat eum qui reliquit eam quæ natura erat uxor. Ecclesia uerò domini Christi, quæ ab initio Christianicæ prædicationis, ab aduersarijs suis gentilibus tandiu infestatur ac diripitur, undenam tantum & spiritualium rerum & hominum, quantum uidemus, adeptæ est incrementū, nisi quod diuina uiuacq; uox seruatoris tam multiplicem mercedem pollicita, etiam præstitit? Vnde diuites & uiri & sceminæ afferentes suas facultates, in solitudine eos qui illuc secesserant quæsiuerūt, & eorum egestati subuenerunt, quemadmodum cognouimus ex historia sanctorum ueterum uirorum: nisi quod dominus Christus per eos promissum suum perduxit ad exitum?

Quaestio 111

Si ad confirmandam corporum resurrectionem, exemplo seminum tanquam ualido usus est Apostolus ad Corinthios, quomodo resurgent qui secantur aut uruntur, cum semina post sectionem aut uersionem non germinent, sed prorsus intereant?

Responsio.

Cum natura sit efficiens eorum quae gignuntur ex seminibus, utpote quae ad id modicas uires acceperit ab opifice, necesse est ut idonea sint semina ad ea facienda quae ex ipsis gignuntur. Itaque si combusta aut secta fuerint semina, redduntur natura inutilia ad ea facienda quae ex ipsis gignuntur. At deus non habet modicas uires: itaque nihil eorum ineptum est ad facienda quaecumque uult: nec impeditur sectione aut uersione corporum, quominus efficiat eorum resurrectionem. Non enim lege & mensura naturae operatur deus, sed arbitrio consilij, quod nulla in re non potest efficere quae uult. Usus est autem Apostolus seminum exemplo ad confirmandam mortuorum resurrectionem, ut consimili re fidem faceret eius quod de resurrectione dicebat, ut quemadmodum credimus germinationem seminis, uidentes in terra mortui abiectique seminis naturam, ita non debeamus non credere mortuorum resurrectionem. Deus enim qui naturae dedit eas uires, ut per semen efficiat germinationem, multo magis ipse potest ex morte excitare mortuos.

Quaestio 112

Si regnum Israel, gloriam & delicias & quietem terrestrem opinabantur apostoli, sicuti nonnulli dixerunt, cur dominus de eo ab ipsis interrogatus, non solum eos non correxit, sed etiam perstrinxit eorum ignorantiam, dum dixit: Non est uestrum scire tempora & momenta quae pater posuit in sua potestate? Haec quidem responsio confirmat eorum interrogationem.

Responsio.

Et hoc unum est eorum quae ante spiritus aduentum non poterunt ab Apostolis cognosci, ut habetur in illo dicto: Multa habeo dicenda uobis, sed ea nunc ferre non potestis. Sed cum uenerit spiritus ueritatis, ille ducet uos ad omnem ueritatem. Postquam autem a spiritu didicerunt illud, Et uentrem & cibos abolebit deus, ex Iudaica opinione translati sunt ad sententiam dignam statu resurgentium ex mortuis, in quo statu nec cibus erit nec potio

potio, nec nuptiæ, sed erunt similes angelis filij resurrectionis. Igitur illud: Non est uestrum scire tempora & momenta quæ pater posuit in sua potestate, non tale est ut confirmet eorum opinionem, qui per ignorantiam interrogarunt: sed ambiguam reddit utranque eorum opinionem, uidelicet tum de tempore, tum de modo. Declarat autem & apostolus Paulus modum illius status, dum dicit: Regnum dei non est cibus aut potio, sed iustitia, & pax, & gaudium in spiritu sancto.

Quæstio 113

Si perfectum tunc intelligimus perfectum cum omnia adeptum est perfecta: perfectum autem summè est quod nullam prorsus adiectionem aut incrementum admittit, qui sit ut deus, cum esset ante creaturam, & postea creaturam fecerit, ita opificis & nomen & rem acquisierit, & ex deo factus insuper opifex, incrementum & generationem admiserit?

Responsio.

Aliud est ipsum esse, aliud alterius esse. impoffessiuum est ipsum esse: sed possessiuum alterius esse. Cum sit igitur dei perfectio in ipsum esse, non auget eum alterius esse. Ac quemadmodum quod unum est numeri principium, nihil confert ad eius perfectionem (nam & cum non esset principium numeri, perfectum erat: & factum principium numeri, non auctum est) sic & deus ante creationem erat perfectus, & post creationem non est auctus. Nihil igitur eorum quæ ex creatione sunt, auget deum. Tu enim, inquit, idem es. Sed multiplex est eius ad creaturam relatio. Multum, inquit, elatus es supra omnes deos. Etenim & ut pater, & dominus, & iudex, & pastor, & his similia. Et quemadmodum deus cum non fecerit plures mundos & facere potest non imperfecta, ex eo ostensa est eius perfectio si non faciendo plures mundos deus non est diminutus, ne uno quidem faciendo auctus est.

Quæstio 114

Si esse potètia, minus est quàm esse actu, nõnne mundi creator, cum ante mundi creationem creator esset potètia, non actu, cadit in nomen minutionis?

Responsio.

Quorum actionis potètia naturali quadam necessitate constat, eorum potètia minor est quàm actio. Sed cuius actionis potètia non naturali necessitate, sed proprio consilio constat, is minutionis

nutritionis nomini subijci nequit. Simulac cogitasti, inquit, omnia tibi adsunt.

Quaestio 115

Si genu flectere in precibus, magis deo cōmendat orātes, quā stantes orare, magisq; conciliat dei misericordiam, cur diebus dominicis, & à Pascha usq; ad Pentecosten, genu non flectunt orantes? & unde talis in ecclesias intravit consuetudo?

Responsio.

Quoniam utrunq; nobis semper recordandum est, uidelicet & casus noster in peccatis, & gratia Christi nostri, per quam ex casu surreximus: propterea nostra sex dierum genuflexio, signum est nostri in peccatis casus: quòd autem die dominico genu non flectimus, signum est resurrectionis, per quam Christi beneficio & à peccatis & à peccatorū morte necata liberati sumus. Sumpsit autem principium hæc consuetudo ab apostolicis temporibus, ut ait beatus Irenæus martyr & episcopus Lugduni, in sermone de Pascha, in quo meminit & Pentecosten, in qua non flectimus genu, quoniam easdem uires habet quas dominica, secundum causam de ea dictam.

Quaestio 116

Si resurgens dominus ex monumento, sepulcralia in sepulcro reliquit, qui sit ut literæ non tradant eum post resurrectionem aut nudum apparuisse, aut aliunde uestem sumpsisse? Quòd si nec aliunde indumenta sumpsit, neq; nudus ihs, qui tum eum uiderunt, apparuit, quomodo uerum est quòd uestimenta in sepulcro reliquit?

Responsio.

Vestimenta quidem seruatoris post eum crucifixum milites diuiserunt: sed quæ postea illata sunt in sepulcrum uiuentis inepta erant. Quas uestes autem ferebat dominus post resurrectionem, eas aut confecit, aut sumpsit aliunde, sicut sumpsit rat asellum ad equitandum. Vtrunq; enim poterat, & conficere, & aliunde capere. Cū sint autem multa à domino dicta, quorū narrationes literæ non cōtinent, necesse est & quas uestes habuit post resurrectionem
*
conueniens quod
*
ex omnibus memoriæ non proditis
*
rei memoriæ non proditæ quærere causam, non
*
rei non narratæ inferre dubitationem de indumento domini, sed
*
ex eius potentia cāpere fidem de eius indumento.

Quæ

Quæstio 117

Si corpus crassum clausis portis impeditur quominus transire possit, quoniam modo post resurrectionem ad discipulos intrauit dominus? Quod si uerum est clausis portis intus uisum fuisse corpus, qui fit ut lapis dominico monumento impositus, ab angelo fuerit auolutus propter resurrectionem corporis eius? Quod si uera dicunt literæ de clausione portarum, certè non corpus, sed spiritus intrauit. Sin corpus modo corpus erat, modo spiritus fiebat, nonne corporis substantia mutabatur?

Responsio.

Quemadmodum non mutatione corporis in spiritum ambulauit dominus super mare, sed diuina sua potestate fecit ut ambulari posset mare, quod alioquin ambulari non potest idè non solum suo corpore, sed etiã Petri: sic eadem sua diuina potestate exiit ex monumento, saxo incubente monumento, & ad discipulos ingressus est clausis ianuis. Non enim propter eius resurrectionem ablatum est saxum à monumẽto, sed ut declararetur spectantibus resurrectio. Nam quod in monumẽto uisæ sunt uestes eius sepulcræ, ipse non item, indicium fuit euidentissimum resurrectionis. Nobis autem intelligendum est, ea quæ sunt earundem uirium, habere eandem fidem, siue concedantur, siue tollantur. Habent autẽ easdem uires, ambulare super mare corpore non mutato, & intrare ad apostolos corpore non mutato, clausis ianuis. Itẽ intelligendum est, fieri non posse ut quæ supra naturam in natura fiunt diuina potestate, ea ratione naturæ exhibeantur. Itaq; territis tali ingressu discipulis, permisit palpare passos locos sui corporis, quoniam non mutatione corporis in spiritũ, ingressus erat ad eos, sed cum crasso corpore, diuina sua potestate effectrice rerum quæ sunt supra naturam.

Quæstio 118

Si deus cum fecerit omnia secundum naturæ circuitum, est omnium dominus, ideoq; Dauid in omni loco ditionis domini iubet nos celebrare dominum, similiter & Apostolus in omni loco iubet nos attollere pias manus ad deum, cur nos solis tractũ pro uenerabili operæ & domicilio diuino habẽtes, in eũ intuemur, dum deo laudes & preces mittimus? aut quinam consuetudinem hanc docuere Christianos?

Responsio.

Quoniam nostrorum honorabilissima quæq; ad dei honorem seponimus, & est hominum opinione solis ortus honorabilior quæ
aliæ

aliæ partes mundi, propterea tempore precum spectamus omnes ad orientem, quemadmodum dextera manu in nomine Christi consignamus eos qui hoc signo egent, quia honorabilior existimatur quam sinistra: tamen si situ, non natura, ab ea differt. Sic & ortus tantum mundi pars honoratior, adorationi dei destinatus est. Neque uero propheticae & apostolicae uoci contrarium est quod nos ad orientem preces facimus: nam in omni loco est oriens orantibus. Et quoniam quam in partem sensum uidentem habemus, in eam partem adoramus, & fieri non potest ut precum tempore in quatuor mundi partes spectemus, propterea in unam partem mundi intuentes, adoramus, non quasi id solum sit opus dei, neque quasi ad dei habitationem separatim: sed quia locus est constitutus adorationi, qua nos deum ueneramus. A quibus autem morem orandi accepit ecclesia, ab ipsdem etiam locum accepit, uidelicet à sanctis apostolis.

Quaestio 119

Si nec arborum fructibus, nec animalium carnibus uescerentur qui fuerunt ante diluuium, quemadmodum nonnulli patrum docuerunt, qui fit ut Abel ex adipibus ouium quas pascebat, itemque Cain ex fructibus terrae quam colebat, libauerit? Nec uero dubium est quin uterque cibo suo praeferebat, tali sacrificio fuerit usus. Sin inutilia sibi, offerebant deo, nonne tali libatione laedebant id quod semper est? quippe cum eorum uterque munus ei conferretur ridiculum, & quod offerenti nihil detraheret. Qui fit ergo ut Caini sacrificium reiectum fuerit, Abelis autem donaria litauerint?

Responsio.

Beatus apostolus patrum pater, & religionis magister, ait: Quis uitem conferit quin de eius fructu comedat? quis gregem pascat quin de lacte gregis comedat? nimirum nullus. Quod si nullus, certe Abel gregem non pascebat ut gregis lacte non uesceret, neque Cain terram colebat ut eius fructibus non uesceretur. Praeterea si inutilia erant Caino fructus terrae, qua de causa deterioribus honorabat deum, melioribus seipsum ante deum honorabat? Itaque reiectum est eius sacrificium * non egens fructibus terrae. Quod si antehabuit Abel utilitati suae deum, Cain uero posthabuit, non dubium est quin uterque solitus sit utilitatem ex labore suo percipere.

Quaestio 120

Si firmam dei resurrectionem nonnulli arbitrati sunt, iusti autem & fontes hanc adepturi creduntur, qui fit ut Paulus eos qui ueritate fecerint, exhaeredes pronunciet, dum dicit? Nec scortatores, nec adulteri, &c. regnum dei possidebunt.

Responsio

Responsio.

Regnum dei solent literæ nominare non resurrectionem simpliciter, sed instaurationem quæ sequetur resurrectionem, in qua fiet puniendorum & glorificandorum distinctio, cum deum omnes sine dubio confitebuntur, qui & gloria gloriosos, & poena puniendos afficiet. Audient, inquit, uocem filij dei qui erunt in monumentis, & exhibunt, qui bona fecerint, in resurrectionem uitæ: qui uero mala fecerint, in resurrectionem iudicij. Distinguitur igitur resurrectio in uitam & mortem, differentia iustorum & iniustorum. Latius enim patet resurrectio quàm regnum dei, quippe cū resurrectio iustos iniustosq; comprehendat: regnum uero solos iustos.

Quæstio 121

Si anathematismum solum de absurdis intelligit uetus & nouū testamentum, qui fit ut beatus Petrus in passione Dominum negans, anathematizare cœperit: aut quæ differentia est inter anathematismum & catathematismum: & quid significat utrunq;

Responsio.

Anathema dicitur quod deo repositū & sepositum est, nec amplius in communem usum sumitur: aut quod à deo propter uitium alienatū est. Catathema uero est consentire cū anathematizātibus.

Quæstio 122

Si horis & diebus res nostræ non tenent, qui fit ut in nuptijs dixerit Dominus, nondum uenit hora mea: & Euangelista de eo, nemo iniecit ei manus, quia nondum uenerat eius hora:

Responsio.

Etiam si horis & diebus nostræ res non teneantur, tamen eorū quæ uel à nobis, uel circa nos fiunt, alia fiunt oportuno tempore, alia importuno. Vocant igitur diuinæ literæ oportuno ad rem quæ fiat tempus, presentiam horæ: importunum uerò, absentiam. Et quia post effectiōem uini, tempus oportunū existimabat Dominus discessionis ex nuptijs, propterea ante effectiōem uini dixit: nondum uenit hora mea. Rursum quia tempore Paschæ Iudeorum, oportebat Dominum comprehendi & pati quæ passus est, propterea ante Pascha dictū est de eo: Sed nemo iniecit ei manus, quia nondum uenerat eius hora: non quia horæ necessitas impedit quominus comprehenderetur, sed Domini prouidentia * necessitate horæ impediabatur Domini comprehensio, nec eam tribuissent diuinæ literæ loco. Discessit, inquit, Iesus in Galileā. Non enim uolebat in Iudæa uersari, quia Iudæi conabantur eum occidere. Sed nec antè in Aegyptum se recepisset, si satis fuisset ho

rae necessitas ad eum custodiendum quominus cōprehēderetur.

Quaestio 123

Si bonum est omnium optimum, quod uero affligitur, est omnium pessimum, & bonus est deus, homo uero affligitur, sequitur ut homo sit omnium pessimus. Nam aliarum rerum, uidelicet caeli, terrae, aeris, luminarium, & talium, nihil est quod affligi possit.

Responsio.

Si hominum causa sunt caetera quae nominata sunt, quae autem sunt alicuius causa, ea illo inferiora sunt, sequitur ut optimus sit homo, quippe qui sit supra ea quae sunt propter ipsum. Et si ipsum affligi, confert aliquid ad meliorationem hominis, optimus est homo, & hoc ipso quod affligitur, diuina prouidentia sanatur ab in generato sibi uitio. Debet autem qui uult bonum hominem cognoscere, intueri finē homini repositū post decessū. Est em̄ ille huius uitae fructus, hoc est infinita beatitudo, p̄ breui uitae afflictione.

Quaestio 124

Si cuiusque uitam praenouit deus, cur non collocauit piorum animas in robustis corporibus? Quod si praemia eis in futurum congerens, in praesentia permittit eos affligi, cur non omnes p̄i pariter afflictionibus explorantur, ut inde perspicuum fiat quinam boni sint aut mali? Quod si utraque apud utrosque reperiuntur, nonne incertum est ecquis meliorem partem elegerit? Nonne cum omnes mundi res casu & sine prouidentia ferantur, perspicuum est nullum esse discrimen p̄i & imp̄i.

Responsio.

Noluit deus presentibus honorare pro uirtute eos qui ipsi sunt dediti. Nam quae sunt in morte piorum, non sunt merces uirtutis. Et quemadmodum dicuntur p̄i non esse in mundo, sic & eorum gloria & diuitiae terrestria non sunt. Quando igitur uidemus p̄is adesse eadem quae imp̄is, debemus ratiocinari, praesentia non esse digna laboribus uirtutis. Quod si uidetur hominibus deus aliquando extulisse nonnullos eorum qui sunt ei dediti, ut Iosephum & Dauidem, non tamē ea re uirtutes eorum remuneratus est, sed per Iosephum prospexit incremento generis Israelitici: per Dauidem uero regnum spiritus constituit. Differunt autem p̄i ab imp̄is plane nihil, si materiam et res corporeas spectes. Omnia enim adsunt utrisque & dulcia & tristia. Sed differunt inter se primo spe futurorum, & aduersis pro pietate patiendis: deinde diuinis auxilijs, quibus saepe conspicuos fecit deus suos, dum uel Aegyptiorum potentatum abolet, uel Chanaanæos Israelitis subiicit, uel Assyriorum ferocis

ferocitatem confopit, uel Babyloniorum regnum euerit, uel cursum & stationem contra naturam soli imperat. In his quidem ostenditur dei prouidentia: in illis uero componit pios ad spectandam aliam uitam, in qua iustos ab iniustis discriminabit gloria & ignominia.

Quaestio 125

Cum malum pro malo, aut conuicium pro conuicio reddere Paulus Apostolus uetuerit, qui sit ut ipse contra fecerit, modo pontifici, modo Alexandro fabro maledicendo?

Responsio.

Si re percussisset Paulus pontificem qui eum percusserat, aut Alexandro qui ipsi male fecerat, male fecisset, liceret dicere eum fecisse contraria istis quae docuit. Sed dicere cuique quid ei sit euenturum a deo, uidelicet pontifici, Percutiet te deus, paries dealbate: Alexandro uero, Hoc ei reddat Dominus in illa die, non est neque maledictum, neque conuicium, sed praedictiones Apostolo dignae, qui se ipsum non ulciscatur, sed det irae locum.

Quaestio 126

Si pios remuneratur deus huius uitae splendore, ut Abrahamum, Isaacum, Iacobum, eorumque posteros diuitiis, proles felicitate, & frugum prouentu, unde nam eadem praebant idola gentilibus, dum ea ubique colerent? Nonne patet gentilismum esse sanctiorem: cum quamdiu ille urbes tenuit, omni felicitate et prosperitate fruite sint & urbes & agri, idque cum crebrius oppugnarentur. Postquam uero eas occupauit Christianica praedicatione, priuati sunt & domibus & habitatoribus, reliquaque prosperitate, ac uix reliquias retinentes facultatum olim a gentilibus partarum, hoc est quod aliquando fuerint urbes, ostendunt utramque religionem causam esse, hanc nouae calamitatis, illam ueteris felicitatis.

Responsio.

A Domino deo, qui solem suum oriri facit in malos & bonos, compluitque iustos & iniustos, utrisque suppeditatur praesentis uitae corporeus splendor. Cuius enim potentia factus est mundus, eiusdem prouidentia regitur. fit igitur ut iusti uidentes se plus laborum ferre pro pietate, uitae uero bonis pares esse impiis, aliam uitam expectent, in qua erit honoris & poenae differentia iustorum & iniustorum, sicuti dictum est. Quod autem uigente gentilismo solita sint fieri excidia & urbium & agrorum, testatur solitudo Babyloniorum & Assyriorum, & Niniuae aliarumque multarum gentium. Neque uero ostendi urbs ulla potest quae uigente in utraque urbe

Christianismo, excisa fuerit. Iam uero à rebus secundis, & annonae ubertate, & habitatione aut desertione urbium & agrorū, non licet conijcere meliorum pietatem, cum Dominus deus cunctis hominibus ad eorum utilitatem talia uel praestet uel adimat. Iudicatur autem meliorum pietas ex rebus bonis, quas data opera faciunt. Sed homines immolare daemonibus (immolarunt, inquit, filios filiasque suas daemonibus) & debitum deo honorem praestare inanimatis, haec inquam fiebant uigentibus gentilibus: cum huiusmodi impia sacra uigentibus Christianis prohibita sint. Itaque à talibus cognoscenda est Christianorum pietas, non à rebus secundis, & habitatione urbium & agrorum. Hactenus autem praestat Christianismus, quatenus eo uigete, mundus minus oppugnatur, quam oppugnabatur uigente gentilismo.

Quaestio 127

Si quod perimitur, à perimente perit, & quod perimit, uitio necem infert, & talia multa in brutis omnibus animantibus reperiuntur, licetque in eis uidere non solum aliorum in alia, sed & in homines insidiarum molitiones, potest ne uerum dicere qui dicit deum omnia bona, & quidem ualde bona, fecisse? Quod si uerum dicit, & tamen bona et mala in rerum natura sunt, nonne patet bona esse se boni, & mala mali opificis, & esse duo principia inter se contraria, secundum Manichaeos? Quod si eorum interitus quae interficiuntur, fit propter bonum aliquod, quemadmodum opinati sunt nonnulli, nonne melius fuisset principio prohiberi quominus ex non esse uenirent in esse?

Responsio.

Qui ex opificio animalium tum rationalium tum rationis expertium de opifice consequentem fecit quaestionem, spectare debet eorum naturam, quae secundum opificis terminum ducit omnia mortalia quemadmodum ad ortum, sic & ad interitum. Atque hac ratione non differunt rationalia ab irrationalibus, quippe quibus idem sit opifex. Quem uero alia ex aliorum insidijs interitum sustinent, eum diuina prouidentia contingere permissum est. Si enim cum & naturali & insidiarum interitui subiecta sint, tamen non dubitarunt ea nonnulli deos facere, quanto magis deos fecissent, si ea à noxia & interitu semper immunia mansissent? Ut igitur ex ijs quae eis accidunt, sciatur ea esse quod sunt, hoc est indigna dei uel honore uel nomine, propterea & natura & insidijs obnoxia sunt interitui. Facta sunt autem bruta animalia partim ad seruitium hominis, partim ad alimoniam, partim ad castigationem, ut habetur in illo:

Dentes

Dentes ferarum immittam in eos, quæ eos cū furore prosternent. Quod si bonum est nutriri hominem à brutis animantibus, & seruitium inde ac castigationem percipere, ergo ea creata esse bonū est, nec potest hoc uitio dari uel naturæ, uel eorum usui. Quod si hoc uerum est, perspicuum est omnia ratione carētia animalia, esse opera unius boni opificis.

Quæstio 128

Si supra dictam uitiositatem inuidia salutis hominum in hominibus efficit inimicus, conās hac ratione eos futuris pœnis subijcere: bruta autem necq; salutem necq; pœnā adeptura sunt, ideoq; inexpugnabilem habent * non ne sola naturæ uitiositate uitiosa inuaduntur?

Responsio.

Ob actionis uitiositatem culpare naturam brutorum, nō est æquum. Nam ratione præditorum est bene aut uitiose agere, nō rationis expertium. Et quia propter dictum superius usum facta est brutorum natura, perspicuum est cum sit bonus usus, esse bonam naturam.

Quæstio 129

Si simplex est quod per se est, ut in literarum elementis e: compositum autem, quod est cum altero, ut pe: & quamuis ambo sint ex eadem substantia, uidelicet e, & compositum ex tribus, tamen hoc non efficit quo minus sit compositum ex ambobus: quomodo dicitur deus incompositus, cum compositionem habeat ex duabus personis, quæ consubstantiales intelliguntur, patris dico, & filij, & una persona propriæ substantiæ, quæ facile suspicionem faciat: & tamen unus uocatur, & incircumscriptus, cum tanta talisq; sit eius hypostaseon siue personarum distinctio & diuisio.

Responsio.

E & pe substantia nihil inter se differunt: est enim utrūq; linea: linea autem à linea, ut linea, nihil differt. Differt autem e à pe tali situ, quo hoc est e, hoc uero pe: & pe quidem ut linea est, unum est: ut uero pe est, trinitas est, & compositum & generatum. Per partes enim & temporali intensione constitit pe ab accidente & eo qui id fecit. Debet igitur qui naturali analogia contemplatur eum qui est supra naturam, ea sola sumere ex analogia, quæ conueniant ei qui per analogiam consideratur, ut unum & tres insunt in pe & in deo: sed in pe generatè & compositè: in deo uerò ingeneratè & incompositè. Qui enim nō habet à quo factus sit aut compositus, is necq; genitus est necq; compositus. Itaq; in deo æternam dicimus

coessentiam, sed non compositionem: in pe uero compositionem, quia per partes genitum est. Vnus igitur est deus, trinitas unitate substantiæ, sine ulla (quod ad hoc attinet) diuisione aut discretione: quemadmodum pe unum est unitate lineæ, sine ulla diuisione aut discretione. Sed differentia est in sancta trinitate modis essentia hypostaseon: in pe uero, situ lineæ.

Quæstio 130

Si cœlum, quia si esset sphaera, ut est opinio gentilium, & mouetur, propterea esset in loco: non ne quia ceu camera fixum est, aut ut pellis extensum, ut tradunt sacrae literæ, est in loco? Nam sicut id quod mouetur, ita & id quod fixum est, necesse est in loco putare esse. Quod si est, non ne existimandum est alteros ab alteris de circumscriptione cœli merito damnari? Sin secundum utrorumque opinionem cœlum in loco est, et utrisque loci qualitas & qualitas ignota est, cur alteri magis quam alteri damnari possumus, cum de hisce rebus utriusque in eadem sint damnatione & ignorantia?

Responsio.

Si quidem dicerent Christiani cœlum non esse in loco, quemadmodum dicunt gentiles, essent utriusque ex æquo damnandi, qui dicerent non esse in loco cœlum, & tamen utriusque eiusmodi uocibus uterentur quæ cœlum in loco esse significarent. Sin cœlum esse sphaeram, & sphaerice moueri, impossibile est: esse autem ut cameram, ostenditur possibile, nullo pacto possunt Christiani ignorantia damnari. De eius autem loco, ex his quæ nota sunt coniectamus, quod quemadmodum apud nos, si quod est rotundum corpus, æquale & cauum, & undique æquabiliter circinatum, id si quando in aquam demergitur, portatur ab aqua: eodem modo portatur cœlum ab aqua. Qui extendit, inquit, cœlum ut cameram: cameræ nomine declarauit rotunditatem corporis cœli. Sustinent igitur cœlum aqua: aquas terra: terram diuinum præceptum. Qui suspendit, inquit, terram super nihilo.

Quæstio 131

Cum Euangelistæ Mattheus & Lucas, Domini genus secundum carnem describentes, alter secundum naturam, alter secundum carnem descripserit, quoniam ea esset Iudaicarum rerum ratio, nonne perspicuum est Lucam pugnare cum Matthæo, cum Lucas plures Christi secundum legem genitores exposuerit, quam secundum adoptionem: cum contra scribi debuerit, quippe cum necessario debet existimari pauciores esse adoptiuos quam naturales patres? Licet enim fieri secundum legem

*

natura
ralis

ralis patris puellæ genitoris. Qui fit igitur ut, quemadmodum dixi, apud euangelistas * inuersum sit, & Lucas, cum totidem uel potius pauciores deberet nominare Christi genitores secundum legem quam secundum naturam, plures nominare deprehendatur. Quod si in generis descriptione & alter alteri, & idem sibi repugnat, possunt ne in reliquis de seruatore documētis fidem mereri? cum in ipsis statim procemijs ad contradictionē moueant eū qui cum ratione ascisci uelit in religionem nostram.

Responsio.

In generis descriptione authore Luca solus Eli pater est Iosephi secundum legem. Ab Eli uero usq; ad Nathan omnes qui subiiciuntur, sunt secundum naturam filij eorum quibus subiiciuntur, qui quomodo habet Eli ad Ioseph, aui * secundum legem: reliquorum uero omnium secundum naturam. His sic perspectis, tollitur omnis de euangelistarum contradictione calumnia, quæ ab ignoratione dictorum illorum proficiscitur.

Quæstio 132

Si secundum Mosaicam legem, frater defuncti sine prole uxore ducens, gignebat ex ea liberos secundum naturam sibi, secundum legem uero fratri, an si forte superstes frater uxorem habebat, cum ea etiam defuncti fratris uxorem ducebat in matrimonium? nō ne hoc est absurdum? Quod si ea insuper sterilis erat, non ne præter absurditatem etiam inutilitas inerat in eo coniugio, legisq; præceptum undiq; retundebatur, defuncto non adipiscente monimentum ex prole? Quænam uero mortuo accedit utilitas, si ex alterius procreatione post obitum pater appelletur alienæ sobolis?

Responsio.

Cū lex non uetuerit Israelitas in matrimonium ducere, si uellēt, non solum cognatam, sed etiam captiuam & concubinam, non est absurdum neq; detrimentosum uxorem aliam super aliam ducere * fratrem defuncti lege non uiolanda. Omnis enim absurditas in delinquendo in legem consistit. Quod si acciderit * esse, sed incertum est hoc * contempnisse legem. Est autem hæc lex lata, ut quibus priuabat mors defunctum, uidelicet paternitate & hærede, ea præstarentur ei legis prouidentia. Si enim memoriæ & hæreditatis causa connubia contrahunt homines, perspicuum est * oratus fuerit

fuerit deus ut hæc præbeat hominibus, non fit inutile negocium. Inest autem huic legi etiam alia utilitas, ut hoc cōiugio maneat hæres in eadem tribu, nec transeat in aliam. Et quoniam semel coniuncta primo uiro mulier, unum corpus facta est, non fit pater alienæ prolis defunctus, sed nascentis ex suo ipsius corpore. Vt enim qui nascitur ex huiusmodi cōiunctione, nominatur defuncti filius, sic & uxor nominatur illius uxor.

Quæstio 133

Si lex illa de qua locuti sumus, ante tempora Dauidis mandata fuit Israelitis, qui fit ut euangelista Matthæus cōmemorauerit naturales patres & ante & post Dauidem: Lucas uero ante Dauidem naturales, post Dauidem uero eos qui fuerunt secundum legem. Et si nomina patrum secundum naturam & secundum legem, in diuinis literis comprehensa non inueniuntur post captiuitatem Babyloniam, sed autoritate scripta sunt, quomodo quæ scripta sunt autoritate, ab exactioribus * poterunt?

Responsio.

Et Lucas Eli patres secundum naturam commemorauit tū qui ante, tum qui post Dauidem fuerunt. Eli uero solus fuit secundum legem pater Iosephi, cuius Iosephi propter filijtatem quæ secundum legem est, eadem ratione usque ad Nathanem genus ducitur. Vt autem Dominus Christus nominaretur Iosephi filius, qui Iosephus duos patres habuisset, uidelicet alterum secundum legem, alterum secundum naturam, effecit diuina gratia, ut cum audiemus Christum, filium esse Iosephi, nec tamen ex eo natum secundum naturam, non admiremur. Vt enim Iosephus ipse uocatus est Eli filius, nec tamen ex eo genitus, quoniam diuinæ legi sic uisum est ex uxore Eli dare filium Eli: sic uisum est deo ex uxore Iosephi dare filium Iosepho, non genitum secundum naturam ex ipso. Quod enim ex femina aliqua sine stupro nascitur, id necessario filius est uiri & feminae, quo pacto uult deus dare filium uiro aut per coniunctionem aut citra coniunctionem. Neque uero autoritate priuata usi sunt euangelistæ in enumerandis Christi maioribus, sed scriptis historicis. Erant enim Hebræi Hebræis prognati sancti euangelistæ, qui illam generis enumerationem conscripserunt, qui sane diligenter operam dabant ut conscriptum haberent genus tribus regis & Israeliticæ. Atque hac de causa postquam Babylone reditum est, quorum genus non inuenit Esdras in sacerdotum librario, eos abdicauit munere sacerdotali: atque hoc ostenditur ex libro Paralipomenon.

Quæ

Quæstio 134

Si legem Israelitis deus per Moſem miſit, qui fit ut in plurib. diuinarum literarū locis lex, non legislator appelletur Moſes?

Reſponſio.

Mos eſt non ſolum hominibus, ſed etiam diuinis literis, ſermonem appellare eius nomine qui eum dixit, ut intelligatur alicuius eſſe ſermonem, quale eſt illud: Sedebat Eunuchus in curru, & legebat prophetam Eſaiam. Et rurſum: Abominationem, inquit, deſolationis dictam à propheta Daniele. Similiter & nos ſolemus dicere: Comparauī prophetam Ieremiam, aut Apoſtolum.

Quæſtio 135

Si uerax Chriſtus eſt, qui ſe & actione & re eum præſtet quem perhibent diuinæ literæ, Emmanuel autem uocatum iri Chriſtum prædixerunt diuinæ literæ, quomodo uerax Dominus exiſtimabitur, qui poſtquam natus eſt, nuſquam Emmanuelis nomine fuerit appellatus? Nemo enim Chriſtum, ubi uenit, Emmanuelis uoce nuncupauit.

Reſponſio.

Si in euangelicis narrationibus continetur euentus diuinarum de Chriſto prædictionum, nobisq; tradidit beatus Matthæus eū eſſe quem diuina prædictione ſtatutum fuerit uocatum iri nomine Emmanuelis, non ne uocatur nomine Emmanuelis? Nō intermiſit autem ſancta dei eccleſia * ex doctrina ſancti euāgelij Emmanuelē nominare Dñm. Habemus autē in nomine Chriſti omnia alia Chriſti nomina cōprehenſa, etiā ſi nō omnibus ſemper utamur. Nec enim quia uocat Emmanuel eſt; ſed quæ eſt, uocat.

Quæſtio 136

Si parentes aſpernari diuinis literis uetitum eſt, & qui uetita facit, peccator appellatur, qui fit ut Dominus Chriſtus parētes ſuos compluribus locis aſpernatus, tamen ſine peccato eſſe perhibeat? Nam in nuptijs matrem obiurgauit, dum dixit: Quid mihi & tibi, mulier? Item cum eum uidere uellet mater, matrem et fratres appellauit eos qui dei uoluntatem exequuntur. Item cum beatus prædicaretur uenter qui eum geſtaſſet, & ubera quæ ſuxiſſet, ipſe beatos dixit eos qui dei uoluntati parent: quæ omnia in matris contumeliam ab eo dicta putantur, quod eius matre nominata, & beata dicta, alij ab eo eius matri oppoſiti beati dicti ſunt. quæ oppoſitio certe in contrarijs rebus intelligitur. Iam uerò cum ſancta uirgo ad tanti operis miniſterium delecta fuerit, qui fit ut, quemadmodum dictum eſt, indigna fuerit habita quæ beata dicere

ceretur? Sin dicta illa inter se contraria sunt, non ne quæ inter se contraria sunt, ea alterum ab altero dissoluuntur?

Responsio.

Illud, quid mihi & tibi mulier, non ad obiurgationem dictum est matri à seruatore, sed quasi hoc demonstrare uellet: non nos ñ sumus qui curam susceperimus uini quod in nuptijs consumitur: tamen præ amore, si uis, ne deficiat eos uinum, dic ministris ut faciãt quæ ego eis dixero, & uidebis eis non deesse uinum: id quod etiã accidit. Non ergo uerbis matrem obiurgauit, cum eã factis honorarit. In alijs uerò non ita locutus est quasi matrem priuaret honore debito, sed ostendit quam maternitate beata dici debeat uirgo. Si enim qui dei sermonem audit & exequitur, is Christi frater & soror & mater est, & eius mater habebat utrunq; , perspicuum est eius matrem debuisse hac maternitate beatam prædicari. Nam dei sermonem audire & exequi, uirtutis est, animæq; puræ, quæ tota deum spectet. Et quia non quamlibet sceminam elegit deus quæ Christi mater fieret, sed omnium sceminarum uirtutibus excellentissimam, propterea Christus uolebat ob hanc uirtutē prædicari matrem suam, per quam uirtutem illa id assecuta fuisset ut uirgo mater fieret. Nihil autem fecisse Christum in parentum ignominia aut contumacia, testat Lucas Euangelista, dum dicit: Descendit cum Iosepho & Maria Hierosolyma, eratq; eis obediens.

Quæstio 137

Si ante sepulchrum Maria Dominum unxit unguento, & nos eius passionis & resurrectionis monumentum in baptismo peragimus, qui fit ut primum ungamur oleo, deinde peractis in lauacro monumentis illis, unguento postea consignemur? Non ne hic contra facimus quam factum est circa Dominum, cum ille primū oleo fuerit unctus, deinde passus? An non et superuacanea olei unctio adhibetur baptizandis, siquidem solo unguento ad passionē unctus est Dominus?

Responsio.

Quandoquidem facit
*
sepulturam post mortem eius facit sepeliendi. Beata uerò Maria ante mortem unguento perfudit Dominum, ut scriptum est: Quod fecit, inquit, hæc ad sepulturam meam fecit: anticipauit enim ungere corpus meum. Itaq; non fit hoc contra quam debeat, sed quod in Domino factum est ante tempus, id in baptizandis fit suo tempore. Ungimur autem uetere oleo, ut fiamus Christi, hoc est uncti: ungueto aut ad recordationē eius qui ungueti unctiōne pro

pro sepultura sua habuit, idque fit typo quidem in presentia, ueritate autem in futuro, uocante nos seruatore Christo ad communionem tum suarum passionum, tum glorie.

Quæstio 138

Si iustus est qui eum qui peccauit, propter eius peccata plectit, potest ne deus esse iustus, qui tantum populum propter aliorum lapsus interfecit? Lapsos dico Ionathanem et Dauidem, illum in scietate, soluendo ieiunium gustatu mellis: hunc numerando temere populum. Quod si quis dicat subditorum mortem fuisse poenam principum, nonne iniquè facit deus qui in fontes subijciat poenis: ut interim taceam quod sacris literis aduersatur, quæ dicunt: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.

Responsio.

Populi poenam, esse acerbissimam poenam regum qui peccarunt, declarat ipse beatus Dauid, orans deum ut in se domumque suam transferat populi cladem. Est enim regni tempestas diminutio subditorum. Similiter & Saulus interfectorus erat filium suum Ionathanem, ut eius nece mederetur cladi populi, nisi populus iurare anticipasset, non esse moriturum Ionathanem. Ac quemadmodum constat homo ex anima & corpore, sic & regnum constat ex rege & subditis: & quemadmodum si manu peccauit homo, et uapulatur dorso, non afficitur iniuria ab eo à quo uapulatur: sic non iniuste facit deus, si propter regum lapsus populum ulciscitur. Solet enim multum angere reges, clades populi: nam regni poena, est clades populi.

Quæstio 139

Si deus unus est deus, certe omnia id habet ut sint unum, ut simplex & compositum, mortale & immortale, genitum & ingenuum, gignere & non gignere. Cum igitur pater genuerit, filius uero non genuerit: & filius genitus sit, pater non genitus sit, quomodo potest unus deus uocari pater & filius & spiritus? Ex eo quod gignatur, aut non gignatur, & gignat & non gignat: quæ uidentur esse pugnantia.

Responsio.

Si est deus coessentia trium diuinarum subsistentiarum, differetium inter se non substantia sed essentiae modis, & differentia modorum essentiae non diuidit id quod est in substantia, & quemadmodum in Adamo & Eua, & Setho una est substantiae ratio (est enim anima rationalis, & corpus mortuum) sed essentiae modi sunt diuersi (nam Adam factus est ex terra, Eua ex costa, Sethus ex semine) & in diuersis essentiae modis manet substantiae ratio

una

una indiuidua & immutabilis: sic & in deo identitate substantiæ personarum unus deus creditur pater et filius & sanctus spiritus. Nihil enim confert ad substantiæ rationem modus essentiæ. Igitur quæ de tribus diuinis consistentijs similiter sine mutatione dicuntur, in ijs intelligi unitatem substantiæ: quæ uerò non similiter, ea intellige modo essentiæ personarum.

Quæstio 140

Si hæredem se Christus nominat, & eum (ut est in parabola) agricolæ, hoc est ludæi agnouerunt, & se agriculturę dominos fieri cupiētes, hæredem ut hæredem interfecerūt, qui fit ut Christus ipse, & apostolus Paulus, testati sint eos id facinus commisisse per ignorantiam: ille quidem dicens, ignosce eis, nesciunt enim quid faciant: hic uero, Si cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent.

Responsio.

Bisariam dicitur ignorantia: aut enim nolens quis ignorat, dum res ad cognitionem ducentes non habet: aut uolens ignorat, dum res ad cognitionem ducentes habet, sed cognoscere non uult. Hæc uoluntariam ignorantiam solent diuinæ literæ modo ignoratiam, modo cognitionem appellare: cognitionem, dum dicunt: Et me noscitis, & unde sim noscitis: hoc est potestis à factis meis cognoscere mei nominis meorumque dictorum ueritatem. mentiens enim non possit hæc opera facere. Ab agricolis autem cognitus hæres dicitur, quatenus uiderunt hunc esse supra omnem hominem in præsentia uita, operibus quæ faciebat, & nuncupatione filij, ut exprimitur in parabola. Sed quod eum mortuum suscitaturus esset deus ex mortuis in uitam immortalem, & omnium constituturus hæredem, non cognouerunt. nec enim in parabola hoc exprimitur. Huius ergo ignorantia ratione dixit Christus: Ignosce eis nesciunt enim quid faciant. itidem & apostolus, Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent.

Quæstio 141

Si solus Christus diuina lege perfecte perfunctus est, quomodo ambulabant in lege inculpati Zacharias & Elisabet, de quibus hæc Lucas testatus est: itēque Paulus, qui iustitia legis fuit inculpatus?

Responsio.

Aliud est inculpatum esse, aliud insonem. Insons enim omnino est etiam inculpatus: at inculpatus non necessario est et insons. Qui enim in legē cōmittit ueniale peccatū, is libatione uictimarū, & cōfessiōe delicti ueniā adeptus, fit mūdus & inculpatus iustitia legis.

legis. At Christus, cum insons esset, neque usquam in legem deliquisset, nihil commisit quod egeret correctione. Admisit autem et Baptistam Iohannem, & ab eo baptizatus est, ut impleret omnem iustitiam, quam Paulus antequam Christo credidisset, nondum affectus erat: nec enim persecutus fuisset ecclesiam. Propterea Christus solus dicitur sine peccato fuisse.

Quæstio 142

Si angelus est homine superior, & sacræ literæ homines appellant deos, nonne convenit angelos quoque deos à nobis appellari?

Responsio.

Angelorum quicumque in dei ordine apparuerunt, aut cum hominibus loquuti sunt, habuerunt ipsi quoque dei nomen, ut qui cum Iacobo & cum Mose locutus est. Vocati sunt autem etiam homines dei, atque utrisque propter usum eius mandatum, datum est dei ordinem & nomen habere. Peracto deinde usu, desinunt vocari dei qui propter usum ali quem acceperunt dei nomen. Cum enim commisit angelo procuracionem populi, dixit Mose de eo: noli non obedire ei: nam meum nomen est ei impositum. Item cum mandavit magistratibus iudicium populi, dixit eis: Iustum iudicium iudicate: nam iudicium est dei. Item: Ego dixi, dei estis, & filii altissimi omnes: ubi eos dixit deos, pro, Dedi vobis honorem meum, & ordinem, & nomen. Igitur tanquam me iudicante, sic iudicate populum.

Quæstio 143

Si superior est deus, homo vero inferior, nonne confuse vocatur homo deus?

Responsio.

Hæc quæstio neque Christiano congruit, neque gentili. Vtrobique autem ad inferiores translatum est nomen superioris secundum cuiusque gloriam. Non debet autem de confessis ambigi, sed de dubiis.

Quæstio 144

Si habet deus substantiam quæ sit, & consiliū quod insit, & filium qui sit, quomodo potest, cum ex tam multis sit compositus, simplex nominari?

Responsio.

Quemadmodum deus totus est ubique, & totus in unoquoque, & totus in seipso, & huius fide habemus: sic & eius simplicitas tota est filius, & tota est habens filium, & tota consiliū est, & tota est habens consiliū. Non enim est secundum creatam naturam deus, ut esse & habere ipsum, intelligat in compositione: quemadmodum * sed quemadmodum natura ens, sic & esse eum, & habere, est supra compositionem.

Quæstio 145

Cum ex hisdem constet sanguis ex quibus caro, cur esum carnis animalium permittit deus, sanguinis vero uetat? Verum carnem, inquit, in sanguine non comedetis.

Responsio.

Vt & in hoc separet nos deus à similitudine bestiarum, quæ cū esu carnis, lambūt etiam sanguinem eorū, quorū carnes comedūt.

Quæstio 146

Si deus in ijs quæ uerū euentū habuerunt, etiā per gentiliū uates futura præsignificauit, ut cū gentiles cū gentilib. pugnarent, sæpe accidit ut faciēdo aliquid eorū quod diuinæ literæ fieri uenturū, liberati fuerint malis in secūda interrogatione positis, ut accidit in bello, cū septē illi Thebas funditus essent euersuri. Nā uaticinato Tiresia, Mengeus ex oraculi sententiā seipsum ultro iugulauit, atq; ita secundum oraculi prædictionem & urbs seruata est, et hostes à ciuib. occisi. Atq; hoc de bellorum uictorijs unū de multis à nobis dictum est.

Responsio.

Qui quæ sita soluit, debet primū ponere cōfessiones, deinde ex eis efficere solutionē quæ sitorū. Est autē in confesso, unū esse deū, totius mūdi opificē & gubernatorē, quem deum annūciāt diuinæ Christianorū literæ, uerbis diuinorū miraculorū testimonio cōfirmatis, à quo deo est futurorū & prædictio & euentus. Enūciūt autē literæ quæ hunc nūciant, gentiliū deos. Si mutabūt, inquit, gentes deos suos, qui tamē nō sunt dī. Atqui quorū dī nō sunt dī, horū ne uates quidē sunt ueritatis prophetæ, nec eorū prædictio ineuertabilē & uerū habet euentū. Vt enim procul absunt à uera diuinitate, sic & à futurorū prænotione. Iam uerò & in pugna gētiliū, cū gentilibus, qui uariè, & maximè in bellis, usi sunt oraculis, Christianorū deus consiliū suum ratū fecit. Testatur hoc pugna Alexandri & Darij, in qua deus Alexandri oracula cōfirmauit, Darij irrita reddidit. Testantur & Assyriū prælia, quibus dimicauit cum alijs multis potentibusq; gentibus, quem Assyriū deus uirgam iræ suæ, ferrāq; uocauit, modo dicens: Ecce Assyrius uirga est iræ meæ in gentē improbam. * eum. modo dicens de eo: Num * ferra sine eo qui trahit eam? Atqui * Assyrius quoniā propter successus oraculorū, quæ per uates accepit à dīs suis, secat & lacerat miseras gētes, quæ fretæ (ut & ipse) oraculis, cum eo manus conseruerunt, & ab oraculorū spe exciderunt, deo permittēte oracula succedere Assyrio, gentibus nō item. de quibus dicit deus per prophetā Esaiam: Extuli manū meā, & exaruerūt. Assyrius autem dicit: Num liberarunt dī gentiū suas terras ex manib. meis, ut liberet Dominus Ierosolymā ex manu mea? Iam secundum oracula quæ acceperat Assyrius à uatibus, uoces illas protulit & in gētes & in Ierosolymā; ac permittente deo, successerunt ei contra gentes oracu,

oracula: at contra Ierofolymam non successerunt, deo non permit-
tente. Quomodo igitur non successit septem illis ad Thebas uati-
cinatio de urbe funditus euerenda? Nam oraculi frustratio, arguit
infirmi-
tatem dei, qui oraculo ea præsignificauerit, quæ non euene-
runt. Quod si secundum uerissimam illam seruatoris uocem, sine
deo non cadit passerculus ad terram, multo magis gens tota aut urbs
tota perire non potest non permittente deo. Quod autem uniuersa
gentiliū gens à gentili gente periens, uirga & ferra iræ Domini pe-
reat, perspicuum est ex ijs quæ de Assyrijs dicta sunt. Præterea si
quæ à Græcis de uate Tiresia dicta sunt, omnino ridicula sunt, pos-
sunt ne ipsius dicta esse uera? Aiunt enim eum uirum et foeminam
fuisse, & deorum de uoluptate uiri & foeminæ controuersiam dis-
remisse. Hanc ob causam irata aduersus eum Iuno, eum cæcauit. Lu-
piter uero, ut eum de cæcitate consolaretur, ei diuinationem largi-
tus est. Enim uero si à fide aliena sunt quæ de eo fabulosa traduntur,
quomodo uera esse possunt quæ ab eo traduntur? Præterea si, quæ
admodum dicunt Græci, quæ à Parcis nentur, retexi nequeunt, non
ne inutiles sunt diuinationes ijs qui eis utuntur, cum Parcæ ad in-
eluctabilem finem necessario perducant ea quæ ab ipsis nentur?
Quod si hæc sic habent, non ne falsæ sunt & Parcæ, & diuinationes,
cum alteræ ab alteris tollantur? Et non ne seipsum frustra iugula-
uit Menœceus arbitrio diuinationis, cum causa interficiendorum
hostium & urbis seruandæ, non à dæmone penderet, qui oraculum
edidit, sed à domini ueri dei permissione?

AD GRAECOS.

- 1 * faciens naturalia nisi primo *
- id quod est facientis non secundum naturam, neque * neque facit.
- 2 Quod non simpliciter omnin * genitum &
- corruptibile in generatione secundum quadripartitum tempus,
- principium, incrementum, uigorem, & decrementum, sed quod na-
tura sit aut arte.
- 3 Si nostris nominibus uocatur deus quicquid uocatur, non ne-
cesse est ut deum sequantur propter nomen, quæcumque sequuntur
nomen nostrum. Vocatur autem deus & ueritas, & bonus, & ue-
ritati opponitur mendacium, bono malum: at deo nihil. Hoc non in-
telligens Plato, quiddam deo contrarium tradidit, uidelicet malum
necessarium & æternum.
- 4 Nihil est quod non sit certum aliquid: ut non est corpus, quin
sit hoc corpus. Atqui si materia non est certum aliquid, ne quidem
est. Esse enim nihil potest, quin sit certum aliquid.

5 Natura & ars ex substantijs faciunt quod faciunt, ut ex semine facit natura hominem, & ex homine semen. substantiæ autem sunt semen & homo. Similiter & artes faciunt ex ære statuam, & ex lateribus domum. substantiæ sunt æs & lateres. Igitur cum materia non sit substantia, quis est qui fecit ex ea? cum nec natura nec ars quicquam facere possit ex non substantia?

6 Si materia ut ait Aristoteles corpus est, nec graue nec leue, nec unum quatuor elementorum, nec ex quatuor elemētis, sequitur ut si uerum est hoc corpus, necq; calidum sit, necq; frigidum, necq; secundum naturam, necq; aliunde. Quod enim uel secundum naturā, uel aliunde calidum est aut frigidū, id quatuor elementorū est. Quod si corpus non est, necq; secundum naturam calidum aut frigidū, neque aliunde, non iam corpus est necq; graue necq; leue, nec unum quatuor elementorum. Cur ergo dicit calidum esse ætherem, propter motū cœlestis corporis, & corporum quæ in eo mouentur? Nam corpora motibus calefacientia, si calefiunt ante ea quæ ab ipsis calefiunt, certe aliunde calefiunt, quod si aliunde, etiam alteratione: & si alteratione, etiā mutatione: & si mutatione, certe ex contrario mutantur in contrarium. Est autem calido contrarium frigidum: ergo ex frigido mutantur in calidum. Sed quia non est corpus quod ex frigido in calidum aliunde mutetur, quin sit quatuor elementorum, aut ex quatuor elemētis, sequitur ut cœleste corpus non sit aliud elementum à quatuor elementis. Calefit enim aliunde, dum ex frigido mutatur in calidum.

7 Si quæ motu calefiunt corpora, maiore motu magis calefiunt, quomodo secundum Aristotelem corpus est sol, qui sit non natura sed motu calidus, si maiore motu magis, necq; calefit necq; calefacit, sed semper impari motu parem habet calorem?

8 Si autore Aristotele, definitio substantiæ est id quod contraria per uices capere potest, qui sit ut dicat rursus idem Aristoteles, materiam non esse substantiam contrariorum per uices capacem? est enim priuationis & habitus. Quod si qui definit esse hoc, definit etiam esse, cur dicit Aristoteles fieri non posse ut ex eo quod omnino non est, fiat aliquid, cum materia, ipso autore, definat & esse, & hoc esse?

9 Si ex eo quod omnino non est, nō fit aliquid, ergo ex eo quod est, fit aliquid. Sed cum hoc sit materia, potest ne uerum dicere Aristoteles, qui dicat materiam non esse?

10 Si nō alteratur materia, nihil potest ex ea fieri. Sed si quicquid alteratur, id ex hoc in hoc alteratur, & materia non est hoc, sequitur

tur ut non alteretur, itaq; non fiat aliquid ex ea.

11 Si ex quolibet in quodlibet non fit mutatio, sed in contrarium in eodem genere, ut in qualitate non fit mutatio ex albo in aliquid aliud, sed in nigrū, quā nā ratione mutā materia in generatione substantiarū, quæ fiunt ex ipsa, cū nihil habeat quod mutari possit.

12 Si quemadmodum est in animatis animal, & in coloratis color, sic est & in materiatis materia, qui fit ut tollendis animatis, tollatur simul & animal, & coloratis color, at tollēdis materiatis, non tollatur etiam materia. Sin tollitur cum materiatis materia, quōnā modo est materia ante materiata.

13 Si carere aut præditum esse, est eorū quæ sunt, certe quod omnino non est, id neq; caret aliquo, neq; præditum est. Quomodo ergo prædita est materia priuatione, cum non sit eorū quæ sunt.

14 Si fieri non potest ut idem in eodem moueatur utroq; motu, uidelicet secundum naturam, & contra naturam, quōnam modo sol secundum naturam mouetur ab occasu ad ortum: contra naturam uero ab ortu ad occasum, propter sphaeram. Nec enim potest idem in eodem contrarijs secundum naturam moueri motibus.

15 Si non esset sol, superuacaneus esset oculus: & si non esset oculus, superuacaneus esset sol. quod si alter propter alterum necessarius est, uterq; genitus est. Ingenitum enim, propter nihil est ingenitum, nisi propter ipsum solum, uel potius nec propter ipsum. quod enim causam non habet, id causam non habet.

16 Si fieri non potest ut cum esset tempus, id quod factum est factum sit causa, non tempore, qui fit ut dicāt Græci mundum factū esse causa non tempore.

Si fieri non potest ut mundus sit sine anno, quomodo æternus & ingenitus est mundus, cum annus non sit æternus, sed ex ambitu plurium dierum constet.

17 Si genitus est annus, quomodo ingenita sunt & æterna quæ sunt in anno.

QVAESTIONES GRAECANICAE, SIVE GENTILES,
ad Christianos, de incorporeo, & de deo, & de resurrectione mortuorum.

1 Vnde perspicuum est esse aliquid incorporeum? & an est incorporeum?

2 Vnde perspicuum est id per se esse posse extra corpus? & an est id per se incorporeum?

3 Vnde perspicuum est melius esse incorporeū quàm corpus? & an est melius incorporeum quàm corpus?

- 4 Quid est incorporeū: utrū anima? an melius quāam anima ut
 5 Qua nam re differt anima à deo? (deus?)
 6 Vnde perspicuum est an omnino sit deus?
 7 Et si est deus, quærendum est an faciat, an fecerit aliquando,
 an facturus sit aliquid.
 8 Et an fecerit, an faciat, an facturus sit.
 9 Et quid & quomodo faciat: an cū consilio, an sine consilio.
 10 Et si cum consilio, usus instrumento, an sine instrumento.
 11 Et si sine consilio, utrum sine ratione faciat, sine cogitatione &
 consideratione, an cum aliquo iudicio.
 12 Et si cum iudicio, cuiusnam indigentia egeat iudicio. Sin sine
 iudicio, qua nam id ratione sit peruestigandum.
 13 Et si concesserimus fieri aliquid ab eo, utrum id incorruptibile
 le est, an corruptibile. & si quidem incorruptibile est, dubitamus
 an quod omnino genitū est, possit esse incorruptibile, qua ratiōe,
 & an corrumpat, quid differant opera immortalis ab humanis.
 * multo diutius sæpe multa eorum durāt eo corrupto qui ea fe
 cit, ipsa incorrupta, ut in ædificijs uideri licet * talium.
 14 Et si corrumpit id quod sit à deo, cuius nam uitio corrumpit?
 eius ne qui fecit? an eius quod factum est? an alicuius externi quod
 contrariū fiat ei qui fecit? Quodcunq; aut horū ponamus, non du
 bitū est quin uitium sit eius qui fecit. Siue enim id quod factū est, pro
 pter aliquod insitū suū uitium debet corrūpi, is qui fecit in causa est,
 qm̄ id tale fecit, ut restaret in eo malum aliquid: siue aliquis extrin
 secus & contrariū ei qui fecit, sit id uitio eius qui fecit, quia nō pos
 sit uincere contraria: siue ab eo qui fecit est uitium, perspicuū est ip
 sum esse qui malus est. Atq; hæc de his hæctenus ex multis pauca.
 Nam si uolumus, quærendū est quid sit corpus, & ex quibus cor
 pus, & quæ inde nascunt dubitationes. Sed his omīssis, ad mirabi
 lia ueniamus, uidelicet ad ea quæ de resurrectione dicunt. Est enim
 & hæc una de uilibus dubitationibus, quæ mouent apud eos qui
 cor habēt lapideū. Si em̄ oportet, inquit, saluos resurgere eos qui
 obierint, si contigerit hominē mori in mari, deinde comesum à pis
 cibus, rursus ab alijs hominibus comedi in comedendis piscibus,
 quomodo recipiet carnes ab alijs hominibus consumptas? Nes
 cesse est enim ut aut hic resurgat sine carnibus, quas comederunt
 alijs homines comedendo pisces, ut iam dictum est: aut illi reddere
 iusi partes carnis huius, eas deponant, & mutili fiant, ut expleant
 id quod eis deest quos iniuste comederunt. Atque hæc tanquam
 ridentes aiunt homines cordis lapidei. Ego uero uos exhortor
 ut

ut extra dubitationem discatis sermonem de resurrectione, qui necessario demonstrat necesse esse ut sit resurrectio quibusdam demonstratiuis uerisq; rationibus. Demonstrationibus enim ueritate confirmatis, nullā (ut hoc sciatis) dubitationū rationē habebō. Nā et ineptū et rixosum est, cōtra firmā demōstrationē uelle cōtēdere.

RESPONSIONES CHRISTIANAE AD IAM DIC-
ctas quæstiones, deductæ ex religione naturalium rationum.

Hæc dicta non sunt rationales dubitationes, sed artis expertes quæstiones. Sermo enim qui affert rationales dubitationes, in ijs quæ consentaneè dicuntur colligit absurdū, ut, Solus homo ridet, quicquid ridet est animal, ergo solus homo est animal: quæ quidē sunt consequentes propositiones, sed absurda est conclusio. At in propositis dictis nihil absurdū ex consequentia collectū est: itaq; non rite uocatae sunt dubitationes. Si fieri non potest ut idem eadē & ignoret & sciat (nam de omni re oportet uerā esse affirmationē aut negationē) qui fieri potest ut qui ignorat an sit incorporeū, cognoscat cōsiliū & iudiciū, cogitationē & cōsiderationē, mētēq; et rationē, quæ sunt incorporei opera. Nā in ignorātia esētig incorporei, cognoscere incorporei opa, hominū est nesciētū qd dicāt.

Inferre dubitationē, & soluere dubitationē, non est sensus neq; corporis. Atqui qd nō est corporis, id necesse est esse incorporei.

Vnde quærimus incorporæ essentia declarationem? Si enim quærere de quopiā an sit, an nō sit, rationis est: & ratio est opus rationalis: & corpus per se est irrationale: patet esse aliquid incorporeū, cuius propriū est quærere & iudicare. Aliud. Non confitēti esse aliquid incorporeū, ineptū est ratione quærere & iudicare an sit aliquid incorporeū. Absurdū est enim uti actionibus incorporei, & tamē ignorare essentiā incorporei. Aliud. Dug sunt in nobis facultates, quæ res cōprehendūt, sensus & cogitatio, quarum actiones tantū inter se differūt, ut quæ ab altero comprehendunt, ab altero non possint. Sed cū omnes facultates sint substantiarū facultates, necesse est ut sint duæ substantiæ, quarū alterius proprium sit sentire, alterius cogitare. Quod si est, sequit ut sit aliqua substantia incorporea, cuius proprium sit cogitare, quemadmodum sentire corporis. Aliud. Si est aliquid animatum, necesse est ut sit anima: animæ enim participatione animatum est animatum. Si intelligentia nō est per seipsam, sed in anima, necesse est ut sit anima per seipsam, in qua insit intelligentia. Aliud. Si corpus eget anima ad uiuendum & sentiendum, anima uero non eget corpore nec ad uiuendum nec ad cogitandum, sequitur ut aliud sit anima quàm corpus.

Aliud

Si anima im-

perat

perat corpori, & corpus obtemperat imperijs animæ, aliud est anima quàm corpus. Aliud. Si animæ artificis rationem

obtinet, corpus autem instrumenti, & non est idem instrumentū quod artifex, sequitur ut non sit idem corpus quod anima.

Aliud. Si prima est ratio, & postea id quod est secundum rationem (nam in anima est ratio: in materia autem id quod est secundum rationem) sequitur ut aliud sit anima quàm materia. Atqui quod aliud est quàm materia, id etiam aliud est quàm corpus.

Aliud. Si quod corpus non est, ne substantia quidem est, quomodo diuiditur substantia in corpus & incorporeum, cum id quod diuiditur, sit necessario in ijs in quæ diuiditur?

Quæstio

Si est aliquid incorporeum, unde perspicuum est id per seipsum esse posse?

Responsio.

Cuius præsentia corpus redditur præditum uita & sensu & cogitatione, cum per se sit horum expers, absentia autem rursus redditur mortuum & insensibile et cogitationis expers, id necesse est ut sit per se, tanquā quod suapte natura sit incorruptibile. Aliud.

Afferre scitè rationales dubitationes, & eas similiter scitè soluere, non est sensus opus. Et enim in confesso, nō posse sensum attingere cognitionis substantiam & ueritatem. Quod si ita est, & sciētia est attingere substantiæ & ueritatis cognitionē, neque sensus est, & quod nō sensus est, id neque corporis est, necesse est ut sit aliquid incorporeū per se, in quo insit sciētia. Aliud. Si oportet substantiā esse per se, & diuidit substantia diuisione prima in corpus & incorporeū, non ne est incorporeū substantia quæ est per se? Aliud.

Quod potest seipsum separare à patiēdo cū corpore, et tñ nō corrūpi, potest etiā separari à corpore, & tñ nō corrūpi: itaque pulchrius & honorabilius est corpore, quippe quod causa sit ut pulchrū sit corpus, sua præsentia. Tale autē dicimus esse rationalē animā, quæ est spiritus mētalis, prædita uita & cognitione, & per se mouens, cui animæ cōsubstantiales esse dicimus angelos & dæmonas. Et ut in uniuersum loquar, omne substantiale quod ab aliquo teneri non potest, id corpus est tenēti ipsum. Et diuinitatē esse dicimus incorporeā, nō quia sit incorporea (est enim deus substantia sua ut ultra corpus, sic & ultra incorporeum, utpote utriusque horū opifex: nec enim fecit deus id quod ipse est) sed quemadmodum solemus in ijs quæ apud nos materialia sunt, semper uenerari diuinitatem: sic & in nominibus, non quasi deo his egeñte, sed nos ijs ostendimus eadē animo de eo cōceperimus. Hoc igit modo nominamus eum

eum incorporeum, tametsi sciamus eum esse ultra incorporeum, utpote huius opificem. Ponatur autem omnino hoc quoque in hoc sermone, quo ostendatur esse aliquid incorporeum. Si nihil esset in rerum natura incorporeum, ne corpus quidem esset: sed quia est aliquid incorporeum, sicut & corpus, necesse est contrarijs nominibus contraria inter sese distinguere. Etenim deum uocamus increatum, eum increati nomine à creatis distinguentes, quod nisi essent creata, ne deus quidem ab his distingueretur nomine increati. Hac igitur distinctione quæ fit nomine increati, ostenditur deus esse ultra corpora & incorporea. Si enim nomen, Creatum, omnia simul complectitur & corporea & incorporea, perspicuum est, cum hoc nomine à creatis distinguatur, necessario etiã à corporibus & incorporeis distingui: ac quod inest alijs incorporeis, uidelicet non teneri à corporibus, idem inest etiam deo, non ut incorporeo, sed ut ei qui est ultra incorporeum. Et quia non habere opificem & dominum, præstantius est quàm habere, uocamus deum increatum. Quod enim est increatum, id nec opificem habere potest, nec dominum. Similiter quoniam non teneri ab aliquo, præstantius est quàm teneri, eum uocamus incorporeum.

Quæstio.

Vnde perspicuum est an omnino sit deus?

Responsio.

Ex rerum statu & permanfione. Nec enim essent quæ sunt, nisi deus esset ante ea, qui partes omnes creaturæ ut opus erat, ad utilitatem totius creaturæ cõstituit, nobis cognitus prædictione & doctrina prophetarum & domini seruatorisque nostri Iesu Christi, & eius apostolorum dictis, diuinorum miraculorum testimonio cõfirmatis.

Quæstio.

An faciat deus, an fecerit, an facturus sit: & an faciat cum consilio, an sine consilio?

Responsio.

Fecit deus, & facit, & faciet sua uoluntate. Fecit enim creaturam, quæ prius non erat, quia uoluit: cuius statum idem sua prouidentia tuetur, quod est facit, idemque eam recreaturus est, & in meliorem statum recreando perducturus, quod est faciet, ut eam purget ab omni uitio, quod ei ex rationalium uesania accidit: non quia iudicio & cõsideratione postea melius aliquid inuenerit: sed à primordio & ante mundum cõditum erat ei statutum facere. Nam nec ad cognitionem, nec ad potestatem potest accedere deo aliquid postea, quod non antè habuerit. Quod autem uoluntate fecerit deus mundum

G dum

dum, hinc perspicitur, quod cum posset facere plures soles, fecit unum. Qui enim plures soles facere non potest, ne unum quidem facere potest. Et qui unum potest, is necessario etiã plures potest. Cur ergo non fecit deus plures soles, cum posset, nisi quia noluit. Quod si quos non fecit soles, uoluntate non fecit, sequitur ut quem fecit, uoluntate fecerit. Ac sicut solem, sic & reliquas omnes partes mundi tum incorruptibiles tum corruptibiles, quæ ex dei consilio habent quod sunt, & quod talia sunt.

Quæstio.

An melius sit incorporeum quàm corpus.

Responsio.

Si corpus animatur & mobile fit, non corporis alterius, sed in corporei præsentia, non potest non esse incorporeũ melius quàm corpus. Aliud. Si ex materia & specie est omnis corporea substantia, & non ex materia species, sed aliunde uenit materiæ, non potest incorporeum non esse melius quàm materia, cum ab eo ueniat in materiam species. Aliud. Si non potest æquale cognosci ignoto inæquali, qui possit corpus cognosci ignoto incorporeo. Aliud. Si corporea omnia in corpore ita sunt ut oculis, incorporea uerò ratione perspiciantur, non potest anima non esse incorporea. Aliud. Si potest anima mente agere (agit autem anima mente cum seipsam separat ab omni sensu) non potest non esse per seipsam.

Quæstio.

Quid differt deus ab anima?

Responsio.

Quantum differt opificem & dominum esse, ab opificem & dominum habere: & quantum differt quod est supra id quod est, ab eo quod est.

Quæstio.

An consilio facit deus, instrumento usus, an sine instrumento?

Responsio.

Non eget deus ulla re quæ sit extra suam naturam: ac quemadmodum sine instrumento deliberat, ita sine instrumento facit. Si enim simulatq; uult aliquid fieri, id consistit, nonne superuacanea est natura instrumentorum quæ fiunt?

Quæstio.

Si sine consilio facit deus, utrum sine ratione facit, sine cogitatione & consideratione, an cum aliquo iudicio? & si cum iudicio, cuiusnam indigentia eget iudicio? sin sine iudicio, quam ratione?

Respon

Responsio.

Si cognoscibilia sunt opera dei, & quæ cognoscibilia sunt, ratione cognoscibilia sunt: necesse est ut ratione cognoscat deus quæ facit. Facere autem cum cogitatione & consideratione & iudicio aliquid nostrarum rerum, artificum est proprium, qui his ad meliorem finem operum perueniunt. Deus uero cum cognitionem nec assumat nec amittat, nullo horum eget.

Quæstio.

Si quod omnino genitum est, potest esse incorruptibile, quamnam ratione?

Responsio.

Quorum incorruptibilitas ex alterius consilio pendet, ea non possunt in generatè incorruptibilia esse. Itaque solum deum dicimus habere immortalitatem, quoniam ex propria natura, non ex alterius consilio, hæc insunt ei.

Quæstio.

Si corrumpitur quod fit à deo, cuius uitio corrumpitur? eius qui fecit, an eius quod factum est? an alicuius externi, quod contrarium fiat ei qui fecit?

Responsio.

Nec conditoris, nec contrarij uitio corrumpuntur quæ corrumpuntur, sed finitione opificis, efficientis in singulis corruptionem, in uniuersis incorruptionem. Si enim alicuius eorū quæ dicta sunt uitio corrumpentur quæ corrumpuntur, totum genus corrumpetur, tum singulorum tum uniuersorū. Si enim concederemus alicuius uitio esse corruptionem, non seruaretur in eis quæ corrumpuntur, genus eorum quæ fiunt, incorruptum, uitio & in singula & in uniuersa pollente. Quod si ullius uitio uniuersa corrumpi non possunt, ne singula quidem cuiusquā uitio corrumpuntur, sed finitione dei. Si enim non est in rebus uitium ullum quod possit impedire generationem, ne est quidem in rebus uitium ullum quod genus corrumpat. Aliud. Si deus est supra incorruptibiles, ut eorum conditor, sed supra ingenitum non est (nec enim est ingenitorum opifex) non sequitur ut quicquid incorruptibile est, idem sit ingenitum. Aliud. Si incorruptibilis est deus suapte natura, itemque incorruptibilis est anima eiusdem opificis uoluntate, qui fit ut in tanta incorruptionis differentia, sequatur secundum nos ut quod est incorruptum, idem sit ingenitum? Aliud. Si igitur conferunt aliquid ad statum corruptibilem, nonne res incorruptibiles ministræ sunt corrumpentiū, causa incorruptionis earum

rum ducente eas ad huiusmodi ministerium? Quod si est, perspicuum fit posse aliquem habere immortalitatem, propter aliquam causam in usu positam: at in generatione non item. In genitum enim oportet sine ulla usus causa esse ingenitum. Aliud. Si primum corpus est elementum, secundum autem ex elementis, quod autem corpus ex elementis est, non potest esse ingenitum (nihil enim ingenitum potest esse posterius genito) nonne si corpora ex elementis sunt incorruptibilia, genita erunt incorruptibilia? Aliud. Si genita sunt omnia elementa, nonne nugatorium est ingenita dicere quae sunt ex elementis? Si enim materia per se nec elementum est, nec substantia, sed assumpta qualitate & quantitate, fit elementum & substantia, qui possunt quae ex talibus elementis efficiuntur, esse etiam ingenita, si contingat eis esse incorruptibilia? Aliud. Si aliud est corpus, aliud incorruptibile corpus, & aliud corruptibile corpus, ac secundum differentiam incorruptionis & corruptionis, diuiditur corpus in incorruptibile & corruptibile, nonne necesse est proprium esse corporis quod diuiditur, ut sit genitum & ingenitum? Quod si nihil horum proprium est diuidendi corporis, nonne erit corpus quod diuiditur nec genitum nec ingenitum? Quod si fieri non potest ut neutrum sit corpus quod diuiditur, necesse est ita diuidi corpus, ut aliud sit incorruptibile, aliud corruptibile, in quae diuiditur corpus quod diuiditur.

RESPONSIONES DE RESURRECTIONE,
ad positas superius de ea quaestiones.

1 Quod homo à piscibus, & piscis ab hominibus comeditur, id nec hominem resoluit in piscem, nec piscem in hominem: quin utriusque resolutio fit in elementa ex quibus primum compositi fuerunt, tametsi modus resolutionis fit mutua comestione. Sed omnis resolutionis, quocumque modo ea fiat, finis est quod quae resoluuntur, ea in elementa abeunt. Non debet ergo propter mutuum hominis & piscis comestionem, afferri affectata controuersia, quae tollat resurrectionem: sed spectanda est potentia dei, qui non solum promisit se facturum esse mortuorum resurrectionem, sed etiam cepta iam in seruatore nostro Christo resurrectione, firmam praebuit nobis eius fidem. Quod si elementa posita sunt ad creationem eorum quae fiunt, & ad recreationem corruptorum, nonne si incredibilis & impossibilis putatur recreatio corruptorum, incredibilis & impossibilis erit etiam creatio eorum quae primo fiunt: id quod est absurdum.

Nec

2 Nec mundi creationē, nec eiusdem recreationē credunt Græci. Quod si uerum dicunt, primū sic fiet perspicuum. Dicunt enim tempus esse æternum. Atqui si tempus est æternū, necesse est etiam temporis partes esse æternas, uidelicet horas, & dies, & menses, & annum. Quod si hæc non sunt æterna, quippe cū sint in eis alia priora, alia posteriora, ne mundus quidem, cū sit in tempore, potest æternus esse.

3 Propter duas res credendum est non esse mortuorum resurrectionē, aut quia non potest deus resuscitare mortuos, aut quia non conducit resurgentibus esse incorruptibiles. Horum autē alterum est impium, alterum ridiculum. Quod si est, nōne ex impietate & risu constat ratio eorū, qui non credunt mortuorū resurrectionē?

4 Quæ deus per se facit, ea iussu facit: est autem æqualis iussui dei essentia eorum quæ ab eo fiunt. Cogitasti, inquit, & præsto fuerunt. Quod si hoc conuenienter de deo dictum est, nōne qui resurrectionem non credit, idem non credit deum habere talem potestatem? Nec enim alia re egent qui resurgunt ex mortuis, quàm dei iussu.

5 Si uerum est, ut est, id quod de inexpectatis dici solet, uiam inuenit deus, nōne falsam rationem affert qui mortuorum resurrectionem non credit?

6 Si cū fiet recreatio, necessariò tolletur omnis hominum de mundi opifice ambiguitas, eius operib. contraria, nōne erit mundi recreatio melior quàm creatio? nam propter recreationem bona est creatio, quod si illa fieri non posse credatur, non poterit non esse pessima mundi creatio.

7 Aliud est omnino esse impossibile, & aliud alicui esse impossibile. Omnino impossibile est, ut diametrū esse eiusdem mensuræ cuius latus. Alicui impossibile est, ut naturæ sine semine facere animal. Cuinam horum impossibiliū subiiciunt resurrectionem, qui eam non credunt? Si primo: falsa est ratio: non enim recreatione fit discrepans diameter à latere: at resurgētes recreatione resurgunt. Sin alicui, at deo oīa possibilia sunt, quæ alicui impossibilia sunt.

8 Si in præsentī uita pius ab impio sola spe differt, nōne qui tollit spem futurorum, tollit pij & impij differentiam?

9 Si sine singulis non potest esse uniuersale, nōne si creata sunt singula, creata erunt etiam uniuersalia? Quod si est, nōne falsum est coæternum esse hominem reliquasq; mundi partes deo? ut si creatus est Plato, potest ne homo non creatus esse?

10 Qui fit ut Græci, ponentes æternū esse mundum, non ea tradiderint

diderint quæ positionē necessariò sequunt̃. Si esset, ut ipsi uolunt, æternus mundus, meritò dicerent non fore mundi recreationem: creati enim mundi est recreatio, non increati. Non esse autem æternum mundum, ex eo patet, quòd homo non est coæternus deo. Si enim uniuersale est coæternum deo, necesse est ut sint etiam singula. Sin minus, ne uniuersale quidem.

11 Semel omnes homines recreatione eò perducere ut sint incorruptibiles, longè diuinius est secundum * quàm eos in statum hunc mortalem, in quo sumus, adduxisse. Reseruabat autem deus nobis id quod melius & diuinius est, ut posterius, ut posito in eo nostro statu, quo si priuati essemus, ut uolunt qui resurrectionem non credunt, quanto esset melius nos non esse, quàm esse. Est enim inutile, quicquid suo fine priuatur.

12 Si fieri nō potest ut aliquis pro re quæ nō sit, mortē præponat uitæ suæ, qui fieri potest ut si, quemadmodū uos asseritis, nō est uera de resurrectione doctrina, pro ea tamen suæ uitæ præposuerint martyres mortem? Ecquæ uerò fuit unquam alia religio, cuius doctrina diuersis tormentis & mortibus confirmata fuerit, nisi hæc Christianorum de resurrectione mortuorum?

13 Si quæ non credunt Græci, ea nec sunt, nec erunt, ergo in cognitione Græcorum sita est rerum essentia. Qui sit igitur ut in plurimis, & ijs maximi momenti opinionibus, perspicuum sit eos & ipsos secum, & inter se pugnare? Talis enim pugna nō sinit positam esse in cognitione Græcorum essentiam rerum.

14 Si non credunt eorum testimonio, qui resurrectionis parentē ex mortuis in uitam æternam surrexisse uiderunt, & tamen in uicta demonstratione tollere non possunt doctrinam de resurrectione. Nam quòd homo à piscibus comeditur, dubitationē habet: demonstrationem non item. fieri enim non potest ut eadem res & impossibilis demonstratur, & tamen facta ostendatur. Rem uerò re ipsa potestate demonstratam, nullus syllogismus potest euertere.

15 Sol cum est supra terrā, sub terra non est: & cum sub terra est, supra terram non est. Potest ne igitur æternus esse, ut uultis uos, cum id æternè non habeat ut supra terram sit aut sub terra? Quòd si eum qui æternus nō est, æternū opinantur Græci, possunt ne fieri de digni esse, dum sanciant non fore resurrectionē mortuorum?

16 Id quod modo supra, modo infra est, eorum est quæ aliquando nec supra erant, nec infra. Potest ne igitur sol æternus esse, qui anteq̃ supra aut infra esset, non erat? Ergo qui solem natura sua genitum non intelligunt, nōne absurdum est eis credere non resurgere

gere mortuos, quorum resurrectionis parens iam factus sit eorum primogenitus resurrectione?

17 Dum pollet faciētis potestas, tum etiam materia idonea est ad effectiōem eius quod fit. Sed si aliquis mortuus idoneus est deo ad resurrectionem, necessariō etiam omnis: & nisi omnis, nemo.

Non sunt autem argumētis nostris metienda dei opera: sunt enim supra mentē & sensum & rationem opera dei, in quibus est etiam à piscibus deuoratum mortuum necessariō rursus in uitam uenire, licet eum acciderit ab aliquo corrumpi.

18 Potest ne esse uerum, dominum potestatem habere in uiuos & mortuos, si, quemadmodum uos uultis, non habet potestatem transferendi alium in alium?

19 Si meliorū conditor est deus, deteriorū non itē, nōne est hoc argumentū infirmitatis dei? quod quidem est impium dicere. Sin par est dei potentia ad effectiōem utriusq̃, cur non creditis resurrectionem mortuorum in incorruptionem resurgentium?

20 Si deo factu non est impossibile, nobis autem ut fiat est conuolucibile, ut ex calamitosa & corruptibili uita ducamur in beatum incorruptumq̃ statum resurrectione potius, quàm ut philosophorum laboriositate ad formicarum laboriositatē deducantur philosophantes Græci, migratione animarū: quid magis ridiculum esse potest, quàm illam rem testatam non credere: hanc uerò sine probatione credere & tradere, ut olim athenizans philosophus Plato, postea formicizet?

21 Si autoribus Græcis, quia est, non quia uult, facit deus homines, qui fit ut Plato aliquādo sit animal rationale & homo, aliquādo animal irrationale & formica, per transanimationē? Si quidem necesse est ut quia deus est, fuerit Plato factus homo, necesse est ut cum Plato mutatur, & ex homine fit formica, mutetur etiam deus, & desinat esse quod est. Sin Plato transmutatur, & tamē deus non desinit esse quod est, sequitur ut non quia est, sed quia uelit, faciat deus homines.

22 Si dei opus non corrumpitur, & homo corrumpitur, non est homo opus dei, si uera dicunt qui hoc dicunt.

23 Si genus nostrum generatione incipit esse, & corruptione desinit esse, fieri non potest ut deus quia sit, non quia uelit, causa sit ut simus aut non simus.

24 Si quæ sunt ex elementis, fiunt rursus elemēta, an absurdum aut impossibile uidetur, rursus esse ea quæ sunt ex elementis?

25 Si sub termino non est deus, sed omnis termini dominus est,

potest' ne penes eum esse ut facti sint & corrumpantur homines: ut uerò siamus & non corrumpamur, non item?

26 Si recreans nos deus in incorruptionem, hoc facit (ut uos asseritis) mutatione propositi, cur non magis mutatione propositi permittat esse semper?

27 Si dei dona sunt eiusmodi, ut eorum nunquam poeniteat, & nobis largitus est esse, cur non expleat quem de nobis scopum habuit principio, recreans nos in immortalitatem?

28 Secundum eos qui credunt mortuorum resurrectionem, dei iusto iudicio & morimur & reuiuiscimus, illud hominis inobedientia, hoc hominis obedientia. Quibus igitur ignota est causa mortis, isdem & naturæ hominis opifex ignotus est. Cùm autem ignorant & causam mortis, & opificem naturæ hominis, nonne eadem ignorantia dicunt non esse mortuorum resurrectionem?

29 Aliud est omnino non esse, & aliud tale non esse: ut aliud est principio non esse factum hominē, & aliud postquā factus sit, corrumpi. Et cū non sit deo, opus opere operosius, nonne absurdum est credere deo de creatione eorum quæ omnino non erant: eidem de recreatione corruptorum non credere?

30 Si quemadmodum homo antequā factus esset, erat potestate in elementis ex quibus factus est, sic & postquā est corruptus, est potestate in elementis, qui sit ut nō credāt Græci deo, pollicito se resuscitaturū mortuos, tanquā res sit impossibilis, cū homo potestate sit in elementis, quemadmodum olim creandus, sic & nunc recreandus?

31 Si nō poterat deus principio incorruptibiles facere homines, certè ne nunc quidem potest. Sin habuit à primordio potestatem faciendi nos incorruptibiles, nec eam amisit, nonne absurdū est non credere (quasi res sit impossibilis) deo pollicito sese incorruptibiles facturū etiam reliquos homines, ad similitudinem eius qui ab eo resuscitatus est ex mortuis in uitam incorruptibilem?

32 Potestate est animal in semine, naturæ: potestate est lectus in ligno, arti: potestate sunt resurgentes in elementis, deo. Quòd si est, nonne absurdum est credere naturæ naturalia, & arti artificiosa: deo uerò non credere diuina?

33 Diuinæ auctoritati nihil non obtemperat. Si mare & terra diuino iussu olim dederunt quæ non acceperant, nonne nūc magis dabunt quæ acceperunt uolente deo?

34 Si quemadmodum natura ex corrupto semine non potest facere animal, & ars ex corrupto ligno lectum, sic nec deus potest ex corrupto homine facere incorruptibilem, sequitur ut dei potentia sit

fit definita, sicut nature & artis. Quòd si hoc dicere absurdum est, absurdum est etiam non credere deum posse ex corrupto homine facere incorruptibilem.

35 Si quemadmodum infidelibus hominibus impossibile uideatur ut fiat resurrectio, sic impossibile est deo facere resurrectionem, sequitur ut nihil differat deus ab homine. Sin immensum differt, ut certè differt, nonne absurdum est non credere deo facturum ea quorum faciendorum habet potestatem?

36 Quæ potest facere deus supra naturam, nonne absurdum est non credere eum eadem reficere supra naturam?

37 Si eius effectioem quod fit non secundum naturam, putandum est incredibilem esse & impossibilem, nonne erit etiam primum facti hominis incredibilem & impossibilem effectio, cum factus fuerit non secundum naturam? fieri enim non potest ut factus fuerit ex homine homo, nisi prius factus sit homo supra naturam.

38 Si non fiam iterum quod fui, quomodo accipiam uirtutis uitæ præmia, quæ in hac uita non fuerim adeptus? Si enim non fit mortuorum resurrectio, nonne inter se pares erunt & qui faciunt martyrica certamina, & qui patiuntur? Quòd si hoc iniustum est, nonne iniustum est non fieri mortuorum resurrectionem, in qua sola fieri potest distinctio eorum qui iniusta fecerint, & qui passi fuerint, discrimine honoris & pœnæ?

39 Si quid fuerit & quid sit homo, non præterit cognitionem dei eo mortuo, non est impossibile eum rursus esse. Nam opera dei, sunt ei nota & possibilia. Quòd si non sunt ei possibilia, ne nota quidem.

40 Si bonum est esse nos in hac uita mortales, & melius esse nos immortales in futura, nonne absurdum est dicere deum potentem esse ad efficiendum bonum, impotentem ad melius?

41 Si impossibile est deo mortale corpus efficere immortale, nonne erit mors ualentior deo, qui non possit ab ea tueri subditos suos?

42 Si deus potestatem habet uiuificandi mortuos, nonne sunt apti ad resurrectionem resurgentes? Quòd si & deus ad resuscitandos mortuos potens, & ipsi ad resurgendum apti sunt, quæ locum habet eorum incredulitas, qui mortuorum resurrectionem non credunt?

43 Si ut simus & ut non simus, penes deum est, nonne penes eundem erit ut fiamus immortales? Quòd si ut fiamus immortales, extra dei potestatem est, non erit penes deum ut non simus.

44 Si quam habent naturam immortalia & mortalia, ex dei uoluntate habent, cur non sit possibile immortales fieri mortuos uolente deo?

Quorum

45 Quorum oppugnantia infirma sunt, eorum status firmus est. Quod si omnibus oppugnandi modis usi Græci ad tollendum dogma resurrectionis, id tollere nequiverunt, quod id eius potestate qui facit resurrectionem, inconcussum in varijs oppugnationibus seruetur, cur sit incredibilis mortuorum resurrectio, cum eius dogma nec manibus nec lingua conuellatur?

46 Si maximum est indicium inuictæ & incircumscriptæ potestatis dei, quod sunt omnium hominū uiuentiū & mortuorū ideæ & actiones tum bonæ tum malæ, nonne est mortuorū resurrectio indicium incircumscriptæ potestatis cognitionisq; dei, cum per eam rursus in uita collocet homines? Quod si est, nonne priuabit deum tali iudicio, qui priuabit mortuos resurrectione?

47 Si sperantes Græci se sua repugnantia sublaturus dogma de resurrectione, à spe aberrarunt, nonne rursus à spe aberrabunt sperantes rursus non fore mortuorum resurrectionem?

48 Debent Græci oppugnantes resurrectionis dogma, aut non uinci in pugna, aut uicti non diffidere de resurrectione. Alioquin erit eorum primus inanis labor, argumentum absurdæ eorum incredulitatis.

FINIS.

Errata operarum incuria commissa, sic castigato.

Fol. 6. linea 10. lege comitate. 7.30. quia. 12.40. nubibus. 24.31. uidelicet. 39.9. particeps. 119.8. concudent. 123.7. que. 128.40. aduentu. 129.39. deserta. 137.3. Amalechitarum. 138.39. magistrōs uestros. 174.20. regnum. 194.31. effendi nodos. 196.40. dele totam lineam usq; ad sequentis uersus uocē Eandem. 198.14. uendicantem. & lin. 16. prophetamus. 199.9. affulserit. 201. effulsi. 213.32. qui sit. 214.19. quia per eam fit ut non sit quod generatur.

BASILEAE, PER HIER. FROBENIVM,

ET NIC. EPISCOPIVM,


M D LV.

OPERA ET VITAE



MDCCCLXXXIII





FR O BEN.